3 1761 05216192 4

$4.50

$10.

Gottheif

DINANDI HANDII

TVRSELLINVS

SEV

DE PARTICVLIS LATINIS

COMMENTARII.

159644.
28.2.21.

VOLVMEN PRIMVM.

LIPSIAE
IN LIBRARIA WEIDMANNIA
IMPENSIS G. REIMERI.

1829.

VIRO ILLVSTRI

GODOFREDO HERMANNO

EQVITI SAXONICO PROFESSORI IN ACADEMIA LIPSIENSI ORDINARIO
SOCIETATIS GRAECAE PRAESIDI

S. D.

FERDINANDVS HANDIVS.

Vtrum difficilius esset, gratam animi mentem in pectore reprimere, an in declarando hoc sensu aptum, quod et venerationi nostrae et dignitati eius, quem veneramur, responderet, signum invenire, diu multumque dubitavi. Nam ex quo te, Hermanne, vir illustris, et Lipsiam reliqui, uno hoc desiderio tenebar, ut aliquando possem monumentum exhibere, quo tibi gratias longe debitas agerem, et tibi me multis nominibus obstrictum esse significarem. At quod te tuoque celeberrimo nomine et meritis in me tuis satis dignum videretur, non inveni, idque me umquam inventurum esse diffisus sum. Tamen idem animus, quo te admirari atque inter philologos principem existimare solebam, tanta etiam pietate tantoque amore

praeditus erat, ut me quotidie debiti mei admoneret, atque molestam sollicitudinem mihi excitaret. Nemo enim est, cui tam multa quam tibi debeam, nemo, cui uni magis placere cupiam: nemo autem est, cui difficilius sit satisfacere, aut offerre aliquid, quod ipse non iam comparatum habeat. Hac dubitatione dum haesito, id certe praevidi, nisi grato animo plus quam ingenii viribus tribuerem, atque auderem aliquid, numquam me has officii mei partes esse impleturum. Ita factum est, ut, quum in hoc libro de particulis conscribendo laborarem, eum tibi, tamquam pietatis meae aliquod documentum, mittere constituerem. Quo consilio non modo sollicitantis animi impetum compescui, sed duplex mihi paravi auxilium laboris, et ut in hoc diuturno negotio, si quando molestiam aut taedium sensissem, dulcissima tui nominis, cui haec scribebam, memoria recrearer, et ut, si difficultate ac copia rerum me pene oppressum vidissem, haberem, cuius ad egregium exemplum suspicerem, aut cuius monita et praecepta me in viam magis apertam reducerent. Hac cogitatione institutum et confectum est hoc opusculum, cuius primam partem nunc tibi trado. Tu vero ad voluntatem magis respice, quam ad ea, quae ipse perfeci: illa si tibi placuerit, etiam ad haec fortasse aliquid redundabit benevolentiae, qua, quae displiceant, aut excusentur, aut condonentur. Modo me, quem semper singulari amore amplexus es, tua disciplina non prorsus indignum censeas. Atque in hac non tantum libri, sed totius animi dedicatione acquiescere possem, tuoque iudicio, cui nulla iniquitas, nulla invidia insita est, reli-

qua omnia committere, nisi etiam ratio consilii mei reddenda, idque dicendum esset, quo modo hanc doctrinae partem tractare voluissem, et cur hanc, qua incedo, viam longiorem ingressus essem.

Ad particulas latinas me a Catullo meo avocavit Reimerus, qui quum divenditis exemplaribus constituisset Tursellini librum iterum edere, et per alios sciret, me iam multum per tempus in hoc studio versari, a me petiit, ut huius editionis parandae curam susciperem. Atque ego consentiebam, neque consilium hoc a me alienum putabam. Novam igitur Tursellini editionem curare institui in eum modum, quo tu, Hermanne, Vigeri librum meliorem reddere quam novum scribere maluisti. At paullo post mutavi hanc sententiam. Nam quum Reimerus liberum huius rei agendae arbitrium mihi permisisset, ego autem viderem, in Tursellini libro permulta et falsa et inutilia et aliena esse, atque annotationes, quibus errores corrigerentur et omissae partes adderentur, volumen ipso antiquo opere maius postulare, nihil superesse cognovi, quam ut hunc ducem relinquerem, et novum librum componerem. Quo factum est, ut praeter exempla a Tursellino et a Schwartzio allata nihil omnino repeteretur, et si quae bona observatio occurreret, ea ipsis his auctoribus singulatim adscriberetur: tamen Tursellini nomen in titulo servavi honoris caussa, ne is, qui ante alios primus et inter primos diligentius hanc rem tractavit, et fundamenta huius doctrinae iecit, oblivione hominum obrueretur. Quamquam liber, qui in novissimis editionibus Horatio Tursellino tribuitur, ab eo, quem

ille Romanus conscripsit, tam diversus et aliorum additamentis constipatus est, ut primi auctoris manum vix agnoscas. Quum enim Tursellinus anno MDIIC. parvum libellum in tironum usum edidisset, quem typographi per omnes terras sedula opera vulgabant, et eodem fere tempore Godescalci Stewechii libellus de Particulis linguae latinae Coloniae Agrippinae MDLXXX. prodiisset, non minus scholarum usu tritus et saepe repetitus, Iacobus Thomasius, Lipsiensis, anno MDCLI. utrumque opus coniunxit, et eorum, quae Stewechius propria habebat, magnam partem ad Tursellinum transtulit, aliaque multa e Durreri et Parei libris et de suo adiecit. Errare autem mihi videntur Almeloveenius in Syllabo plagiariorum p. 41. et Facciolatus, quum narrant, Tursellinum iam Stewechiano libro imprimis usum esse, eumque adeo exhausisse. Si ille adhibuit hunc librum, male adhibuit, nec copiam, quam Stewechius suppeditaverat, exemplorum ingentem prudenter locavit. Gravior esse videtur exprobratio, qua Bailletus in Iudiciorum Vol. II. Part. 2. p. 32. refert, aut potius referre vult, libellum, quem Antonius Schorus de Particulis latinis conscripsisse, sed morte interceptus non perfecisse diceretur, a Tursellino alicunde acceptum suo nomine editum esse, et quod Noltenius in Bibliotheca latinitatis restitutae p. 18. existimat, Tursellinum Octaviani Vulpelli *Syntagmate de praepositionum et adverbiorum et coniunctionum significatione* sua arva rigasse. Illud convicium tam falsum adeoque ridiculum esse videtur, quam Bailleti error, quo id, quod garrula fama pertulerat, stolida aure excipiebat, et nominis pro-

nuntiatione deceptus, sed confidenter admodum narrabat, Tursellinum sibi adoptasse librum Terentii Scauri, antiqui grammatici: hanc Noltenii sententiam equidem excutere non possum, quia Vulpelli Syntagma nec ipsum vidi, nec ab aliis commemoratum invenio. Illud tamen constat, inter ceteros, qui in particularum explicatione versati sunt, Adamus Durrerus, Philippus Pareus, ne aliorum compendiariam opellam commemorem, nemini delatam esse palmam, quam Tursellinus per omnia saecula tenuit. Atque hoc non suis meritis effecit, sed per eos, qui libro novis curis aucto et transformato nomen primi auctoris detrahere noluerunt. Edidit librum et in omnibus partibus emendavit Conradus Schwartzius, coburgensis gymnasii rector, vir subtili ingenio, et rebus grammaticis valde eruditus, et magnis doctrinae copiis instructus, cuius grammaticam latinam, multis aliis praestantiorem, semper mirabar viris doctis aut incognitam aut non usurpatam fuisse. Ille Tursellino egregiam operam navavit corrigendo errores, et rariorem verborum usum a vulgari distinguendo, et novas observationes addendo. Sed contra Schwartzium adversarius exstitit Iacobus Facciolatus, qui quum celeberrimum librum Germanorum fines exiisse et adeo in scholas patavinas penetrasse cognovisset, ne quid a se instituta latini sermonis ratio detrimenti caperet (haec eius sunt verba), Tursellinum edidit Patavii MDCCXV. id maxime in Schwartzio vituperans, quod sibi potius et viris doctis quam tironibus consuluisset, neque e bonis tantum scriptoribus exempla imitanda, sed ex omnibus promiscue collegisset, nullo delectu adhibito. Cui reprehensioni etiam diligen-

tiae et doctrinae laudes et malevolentiae deprecatio interpositae erant in hunc ambiguum modum, ut Schwartzius nesciret, utrum magis huic animi professioni crederet, an invidiosam insimulationem repelleret. Tamen se defendit in praefatione secundae editionis, et potuit quidem facillime. Tum Facciolatus personato nomine scripsit *Epistolam Christophori Meyeri ad I. Conradum Schwartzium, in qua sententiam Iacobi Facciolati de postrema libelli H. Tursellini de part. lat. sermonis editione ei aperit,* eamque Bremae typis excudi iussit. Ea prodiit ficto nomine Eleutheropolis a. 1724. In hac epistola Facciolatus prima libri capita percenset, et exemplis nonnullis demonstrare vult, regulas nimis multas esse factas, earumque plures uno nomine comprehendi potuisse. Neque vero ei deerant argumenta. Nam Schwartzius saepius ad singula verba magis quam ad totam orationis formam attenderat, et verba, quae nihil haberent commune, construi, aut alienis verbis respondere dixerat, neque universam materiem recto et continuo ordine distribuerat. At haec non ex nostri, sed istius temporis conditione perpendere oportet, nec nunc quidquam refert, quid aliter instituendum, quidve melius perficiendum fuisset, exponere. Vtilitas libri permagna erat, nec tantum a tironibus, sed a doctis quoque viris accepta. In secunda editione Schwartzius multa omisit, quae non omittere debebat. Qui anno MDCCLI. quartam editionem paravit, Io. Augustus Ernestius erat. Id colligo et ex testimonio Fischeri in Animadvers. ad Velleri Grammaticam Vol. II. p. 136. et ex Ernestii nota ad Taciti Agricolam, c. 15. Pauca Ernestius immutavit, non-

nulla nova adiecit, et in priore parte Facciolati sententiam saepe contra Schwartzium tuitus est, interdum specioso magis quam iusto et subtili iudicio: veluti in verbo AMPLIVS, quod pro *amplior* dici quum Schwartzius raram loquutionem vocasset, idque Facciolatus impugnavisset, Ernestius sophisticari ait Schwartzium, referens hoc ad usum verbi *amplius* cum genitivo coniuncti. At doctissimum virum in ridiculum errorem induxit typographus, qui signum annotationis in alienum locum transposuerat. Post hos viros duo commentatores nominandi sunt Schützius et Meinerus. Ille Doctrinam particularum Dessaviae a. MDCCLXXXIV. inchoavit, non absolvit (nam quae Lipsiae quatuor annos post prodiit, non nisi titulo differt): hic Tursellinum vernacula lingua reddidit, alia meliore ordine disposuit, alia distinctius declaravit, alia praesertim e Lactantio addidit. Sed ut hi, ita ceteri omnes, qui in hoc studium incubuerunt, non totum particularum usum per omnia tempora et scriptorum genera disponebant, nec universam vocabulorum naturam, et si quae ad rationem pertinerent, satis exigebant: critici autem, qui nostris his temporibus, utilitate huius studii cognita, subtiliori observationi novam operam dare coeperunt, plurimi aut investigatione non absoluta, aut perversis opinionibus decepti sunt, ut regulas falsas et ex paucis locis, saepe ne intellectis quidem, collectas conficerent, neque animum adverterent, orationem non singulis vocabulis, sed continuo eorum nexu constare, et omnia ea, quae cogitatione concepta essent, etiam perspicua repraesentatione sub oculos, ut ait Quinctilianus, subiicienda

esse. In dictione enim non omnia cogitantur notionum ratione, sed magna pars ad sensum et ad eam animi facultatem pertinet, quam nos nunc ab imaginibus appellare solemus. Errarunt autem viri docti vehementer in eo, quod neque ad vim respiciebant, quae ex ipsa enuntiationum forma et sensu in particulas redundat, neque ea, quae tantum perspicuitati et declarationi inserviunt, ab iis accurate discernebant, quae notionibus continentur. Quare in hoc studio non sufficere mihi videtur multa lectio: opus est cauto et firmo iudicio, quod tempora et rationem consuetudinis constituat, et in nativam cuiusque particulae indolem inquirat, et subtiliter cognoscat, quemnam sensum particula afferat sententiae, quaeve vis ex ipsa sententia rursus in particulam transeat. Quod negotium quam difficile esset, nemo me magis perspexit: quam molestiam secum ferret, saepe magno laboris taedio sensi: sed conatus sum tamen, atque tantam operam consumpsi, ut tu, humanissime Hermanne, etiamsi non subtilitate iudicii aut eruditione tibi satisfecerim, fortasse assiduitatem et constantiam saltem approbes. Neque vero quemquam hodie esse puto, qui huic ingenii exercitationi aut utilitatem aut dignitatem deesse existimet, neque cum iis pugnabo, qui omnem usum particularum, quas orationis partes non necessarias appellant, non certa ratione regi, sed fortuito scriptorum lusu et ornandae orationis caussa conformari contendant. Praeclara enim et verissima sunt Tursellini verba de particulis in Praefatione praemissa, quae hic apponam: „parva quidem res in speciem et exilis, sed ad usum

magna, ac plane necessaria. Nisi vero obscurum est, quantum momenti habeant in corpore ad motum usumque membrorum molles ossium commissurae, nervi, ceteraque, quibus artus omnes apti connexique inter sese continentur. Quippe sine his coniunctionibus et quasi vinculis non secus atque humanum corpus sine nervis dissoluta, minimeque inter se apta et cohaerens languet oratio. Itaque non immerito fortasse Caligula ille Caesar hoc nomine Senecam irrisit, quod eius scripta arenam sine calce esse diceret."

Particularum nomine, ut tu, vir praestantissime, me docuisti, complector quatuor genera, adverbia, praepositiones, coniunctiones, interiectiones, quarum omnium regiones et terminos a viris doctis parum distincte definitos esse nemo ignorat. Pronomina, quae Tursellinus particulis, nescio quo argumento, annumerabat, nullum hic locum obtinent, praeter eas formas, quae adverbiorum vicem explent, aut cum particulis cohaerent constructione et notione, sicuti fit in nonnullis adiectivorum et nominum formis. In adverbiis, quum omnia, quae ex nominibus et verbis formantur, hic afferre non attineret, idque negotium lexicis relinquendum esset, difficultas haud parva in dubio delectu obiiciebatur, nec puto, me in hac re approbationem omnium assequuturum esse. Elegi enim et illustravi ea solum adverbia, quibus aliquam proprietatem competere videbam in coniungendis et construendis verbis, et in quibus significatio aut constructione verborum mutatur, aut grammatica ratione constituitur. Ita omisi *acervatim*, *acriter*, *aegre*, aliaque huius generis.

Mihi vero de his particulis dicturo ante omnia duae res decernendae videbantur. Primum enim, quoniam duplex via patet aeque bona et probabilis, statuendum erat apud animum, utrum in hac expositione ab universa particularum natura inciperem ita, ut generum rationem et diversitatem ante demonstrarem, quam singulas particulas suo generi submissas illustrarem, an de ipso particularum usu prius agerem, et cuiusque originem, utilitatem et elegantiam declararem. Vtrumque habet, quo se commendet. In illa via suppeditatur compendium, quod plures particulas una regula, unovè nomine comprehendat: in hac autem usus et natura singularum, quarum nulla expers est proprietate per se spectanda, distinctius et clarius demonstrari potest: illud, quum imprimis in constructione vocabulorum versetur, grammaticae scilicet partem exhibet, hoc quum maxime in significationibus constituendis laboret, ad lexicographi officium pertinet. Atque hanc alteram viam, quae mihi non brevior quidem, sed certior esse videbatur, propterea ingressus sum, quod videbam, ex iis, quae de natura et usu particularum disputarentur, facilius ad ea transiri posse, quae de generibus et ordine particularum dicenda essent. Nam longa est et multiplex haec disquisitio generum: in qua praeter alia quaeri debet, ad quodnam genus particula quaeque referatur, quo modo adverbia et coniunctiones naturam suam commutent, quo pacto coniunctiones, quae rationi et ratiocinandi usui propriae esse videntur, interdum etiam in enuntiationibus non compositis locum obtineant, quale sit illud tertium genus, quod non ad intellectum, neque ad rationem, sed

ad sensum attinet, et declarationi atque ornatui orationis inservit, sicuti pictores disponendis figuris lumina addunt, et partes singulas coloribus distinguunt. Atque haec non uni linguae latinae tribuenda sunt, sed universam sermonis humani naturam continent. Mihi vero primum de usu latinae linguae dicendum videbatur, et quamquam vocabula ad litterarum ordinem disposita sunt, nullam tamen, si quae oblata erat, omisi occasionem, qua similia coniungerem, diversa discriminando componerem, atque ita efficerem, ut principia huius doctrinae facile inveniri, generales linguae leges perspici possent.

Alia res, quam reprehensum iri praevideo, haec est. Significationes et regulas nimium in modum multiplicasse videbor iis, qui res numeris computare solent. At quas diversas posui unius vocabuli rationes, non sunt diversae significationes: quibus varium usum demonstravi, non sunt regulae, sed observationes. Equidem de hac re ita arbitror, neque eorum opinionem approbare possum, qui nescio quid novum et consueto more melius reperisse sibi visi sunt, quum varias significationes ad unam reducere studerent, veluti si quis dixerit, *ut* non habere duas aut plures significationes, sed unam, quae sit *quomodo.* Quo parum aut nihil efficitur. Significatio uniuscuiusque vocabuli semper una est, atque illud *ut* nihil aliud significat quam *ut.* Atqui in vocabulorum cognitione duae res considerari debent, et quo modo ex una et primitiva significatione varius usus prodierit, quod fit notionibus vel commutatis vel ad alia verba accommodatis, et quibus verbis eadem sententia in aliis linguis exprimatur, aut qua di-

versa ratione una notio aut sententia ab aliis gentibus cogitari et verbis reddi soleat. Quare nos oportet in vocabulis multiplicem usum unius, quae subest, significationis accurate indagare atque observare: et quo plures partes dignoscemus diversas, aut quo diligentius id, quod compactum et concretum videmus, scalpello quasi resolvemus, eo subtilior erit investigatio, veluti naturalium rerum scrutatores corpora, quae varias vires et naturas in se habent uni formae subiectas, multa ex parte tractare, atque etiam in simplicissima, quae videtur, re diversitatem aliquam distinguere solent. Paucae enim sunt animi humani notiones primitivae, ideoque pauca vocabula tam simplicia, ut non variam potestatem recipiant, et usu mutentur, neque omnino sufficit eorum studium, alioquin laudabile et necessarium, qui per etymologiam ad primariam significationem alicuius vocabuli progressi, in hoc fundamento acquiescunt, quamvis difficilius, nec minus necessarium sit, totam stirpium germinationem et propagationem persequi, et in notionum explicatione versari. Vocabulo semel facto, usui conceditur tam magna libertas, ut saepe significationes nascantur, quae non ex prima radice deductae, sed ex germinibus extremis, vel ex seminibus translatis ortae videantur. Atque hoc erat meum consilium, ut in quacumque particula omnia discrimina, quae aliquam distinctionem admitterent, accurate demonstrarem, et universam eius naturam ab omni parte illustrarem, ideoque sicubi aliquam proprietatem in coniunctione aliorum vocabulorum vel in enuntiationum formis observassem, eam etiam seorsum notarem: hoc est, ut

non regulas aut significationes multiplicarem, sed unius stirpis multiplicem formationem exponerem. Observatione igitur longa et perpetua opus erat. Saepe enim in his rebus auctoritas et usus magis valent quam ratio, et quod a nullo umquam scriptore dictum est, negari decet, potuisse dici, nec omnia, quae optimis scriptoribus placuerunt, etiam a reliquis, non malis quidem, probata sunt. Quare equidem in usu demonstrando, ubi necessarium videbatur, tempora et scriptorum genera distinxi: quae omni tempori cunctisque scriptoribus communia sunt, exemplis comprobavi ex diversis auctoribus desumptis.

Sed aliam reprehensionem mihi imminere video etiam ab operis magnitudine. Multa esse dicent, quae tamquam omnibus cognita omitti, multa, quae brevius dici potuisse et vero debuisse videantur. At non sine consilio agere, sed omnem materiem tribus voluminibus complecti volui, nec tamen ullam argumenti partem negligere. Primum igitur mihi propositum erat, omnia, quae a viris doctis hucusque disputata sunt de his rebus, colligere et iudicio pensare. Tum in universae rei alicuius expositione ne ea quidem omitti possunt, quae multis aut omnibus nota sunt. Nam in rerum natura nihil tam parvum aut vulgare esse potest, quod consideratione non dignum putemus, aut quod non ad alia argumenta graviora nos perducat. Denique cavendum erat, ne exempla nimis multa apponerentur. In eo enim, quod fieri potest, nihil refert cognovisse, quam id saepe fiat. Itaque ratione quod demonstrare sufficiebat, uno tantum exemplo comprobavi: cu-

ius rei autem auctoritas a solis exemplis pendebat, plura apposui, vel omnia. Attamen si quis ad unam rem demonstrandam plura a me allata inveniet, ubi unum satis fuisse arbitretur, videat ipse, quo ista exempla differant aut scriptorum diversitate, aut enuntiationum forma, aut alia caussa, quam ubique verbis exponere longum erat. Et in hac exemplorum multitudine colligenda et disponenda eam mihi legem praescripseram, ut ne unum quidem afferrem, quod non ipse in veterum libris inspexissem et perpendissem, non temere credens aliorum testimonio saepe fallaci. Quo in negotio aliorum erroribus impeditus, quum ex grammaticis permulti ad ea provocare soleant, quae non vera nec apta sunt, quantum operae et temporis consumpserim, id dicere non possum, sed taedio saepissime sensi molesto. Quod ut aliquo modo levarem, in iis locis lubenter versatus sum, quae criticum iudicium exercerent. Quare multos scriptores videbis, vir praestantissime, a me explicatos aut etiam emendatos. Criticorum commentarios, quibus uti mihi licuit, excussi omnes. Scilicet si in usum tironum, quibus hodie plurima studia dicantur, scribere voluissem, aliis viae compendiis incedendum fuisset. Ceterum non deerunt, qui unum alterumve exemplum in alium locum transponendum et ad aliam eiusdem verbi significationem referendum censeant. Atque id commode fieri poterit. Nam quum vocabuli cuiusque una tantum sit notio, eaque variam admittat rationem, saepe fit, ut comparato aliarum linguarum usu unum exemplum ad plures rationes in aliis linguis discretas adhiberi, et sensus non uno modo reddi

possit. Haec eadem caussa fuit, quapropter te ipsum, Hermanne, defenderem, quum alii te in Vigeri libro locorum nonnullorum duplicem exhibuisse explicationem reprehendissent. Nam quae in antiquis scriptoribus leguntur, nostro sensu et ex vernaculae linguae ratione, quae diversa et multiplex esse potest, intelligimus, nec semper unum verbum habemus, quo totam antiquae dictionis sententiam complectamur. Sed quoniam nulla lingua nulliusque usus recte cognoscitur, nisi comparatis aliis linguis et cognatis et alienigenis, ego quoque Graecorum usum in iis composui, quae non omnibus nota esse putabam, vernaculam linguam in omnibus adhibui.

Vides, Hermanne, quod meum fuerit consilium et negotium. Non omnes libros legi, nec dubito, quin me multa et magna effugerint, et ipse habeo, dum haec scribo, ad primum hoc volumen addenda et corrigenda haud pauca. Nec vero quisquam erit tam temerarius, ut existimet, se in hoc studio omnia comprehensurum esse, aut tam iniquus humanae imbecillitatis iudex, ut in tali opere eam perfectionem requirat, cui nihil addi, aut in qua nihil corrigi possit, praesertim nostro tempore, quo tam multi viri docti et ingeniosi in hoc litterarum studium indefessa industria incumbunt, et quod hodie assidua diligentia investigamus, cras ab aliis iam inventum et expositum videmus. Sed qualiacumque haec mea sint, ea tuo patrocinio, vir humanissime, committo, eique commissa, puto, apud bonos et aequos fortasse aliquam approbationem et excusationem invenient, neque in eorum invidiam mordacem incurrent, qui censorii muneris dignitatem in inani

arrogantia frustra quaerunt. Vnum hoc addam, Carolum Beierum ad ea capita, quae hoc primum volumen complectitur, et Augustum Matthiae ex adversariis suis mecum ea communicasse, quae de particulis latinis annotata haberent. In typographorum erroribus corrigendis curam haud mediocrem adhibuit Io. Dav. Lorenzius, quem virum, tuae disciplinae olim addictum et multa doctrina insignem, in melioris fortunae incrementum tibi commendo. Mihi autem, Hermanne, eum animum eamque benevolentiam, quam semper vitae meae unum ornamentum habui, etiam in posterum conserva, atque tibi persuade, in officiis tibi praestandis et in grati animi pietate colenda me numquam esse cessaturum. Vale.

Dabam Ienae d. 23. Febr. a. MDCCCXXIX.

TVRSELLINVS

SEV

DE PARTICVLIS LATINIS

COMMENTARII.

A, AB, ABS.

A factum est ex primitivo vocabulo AB, omissa ultima littera, sicuti *e* desumptum est ab integro vocabulo *ex*. Quare antiquiorem formam nominamus *ab*. Est vero *ab* Graecorum *ἀπό*, abiecta ultima, et tenui littera in mediam mutata, quemadmodum ex *ὑπό* fit *sub*. Atque in utroque hoc vocabulo per omnia saecula servata esse videbatur nonnullis grammaticis graeca pronuntiatio litterae P, nunquam in scriptura expressa. De compositis quidem verbis certum exstat Quinctiliani testimonium Inst. 1, 7, 7. nec desunt in inscriptionibus similia exempla verbi *optinuit*. Gruter. p. 502. v. 24. p. 203. v. 40. At illa sententia quum aliis caussis, tum maxime eo infringitur, quod antiqui scribere solebant AF. *Sed*, ut ait Priscianus p. 560 (1, 8, 46. Kr.), *quia non potest vau, id est digamma, in fine syllabae inveniri, ideo mutata est in* B. Gruter. Inscr. p. 499. 12. AF VOBEIS. Igitur litterae lenitatem a primis inde temporibus placuisse, recte censebimus. Addita littera S, uti Graeci ἐξ pro ἐκ dixerunt, Latini fecerunt *abs:* de cuius origine veteres auctores consentiunt. Quamquam Festus, alieno lapsus errore, praecipit ita: *abs praepositio a Graeco deducitur ἄψ. Significat autem retractionem in partem posteriorem.* Graecum enim ἄψ, ipsum ex ἀπό factum, quum vulgari pronuntiatione latino verbo responderet, de qua re Buttmannus dixit in uberiore Grammat. graeca, p. 87, etiam etymologicae explicationi ansam praebuit. Sed in reliquis vocabulis compositis iam veteres grammatici magnopere dubitaverunt, utrum PS, an BS scriberent: in praepositione *abs* nemo dubitasse videtur. Vid. Schneideri Gramm. l. 1. p. 218. s. Vossii Etymol. Lat. s. h. v.

Quinctil. 12, 10, 32. *quid quod syllabae nostrae in B litteram et D innituntur adeo aspere, ut plerique non anti-*

quissimorum quidem, sed tamen veterum mollire tentaverint, non solum aversa pro abversis dicendo, sed et in praepositione B litterae absonam et ipsam S subiiciendo. In quo loco mirum quam multis se ipsi implicuerunt difficultatibus interpretes. Res est perspicua. *Ab* enim, primitivam formam, iam veteres mollire tentarunt abiecta littera, adeoque praepositioni seorsim ponendae extra compositionem addiderunt S litteram absonam, quae parum iuvabat. Cicero Orat. 47, 158. *una praepositio est abs, quae nunc tantum in accepti tabulis manet, et ne his quidem omnium: in reliquo usu mutata est. Nam amovit dicimus, et abegit, et abstulit, ut iam nescias, ab ne verum sit, an abs. Quid si etiam abfugit turpe visum est, et abfer noluerunt, aufer maluerunt? quae praepositio praeter haec duo verba, nulla alio in verbo reperitur.* Ita legendum videtur, nec necessaria sunt, quae a Schützio adduntur: *a ne verum sit an ab — aufugit et aufer maluerunt.* Nos scripsimus *et ne his quidem*, copula *et* adiecta. Cicero autem demonstrare voluit, *abs* non modo in compositione locum habere, sed re vera esse praepositionem: nam *unam* dixit pro vera, qualis esse deberet. Quare errat Schellerus, quum defendit antiquam scripturam *una praepositio est ab.* — Quinctilianus 1, 5, 69. *frequenter autem praepositiones quoque copulatio ista corrumpit: inde abstulit, aufugit, amisit, quum praepositio sis ab sola.* In quibus non, ut alii putant, ad Ciceronis verba respicit Quinctilianus, sed primitivam dicit praepositionis formam esse solam *ab.* — Velius Longus de Orthograph. p. 2224. *incipiemus ab illa, quam Cicero in Oratore annotavit. Varia enim consuetudo in aequo est ab et a et abs et au, ut quum dicimus a me, deinde ab illo, deinde abstulit, deinde aufert: quod sane tantum in duobus verbis usurpatum est, aufert et aufugit. Adiicit his praepositionibus et illam, quae scribitur per* BS *litteram,* [ita enim legendum, non *per* B *litteram*], *quam ab antiquis usitatam ait, maxime in rationibus et in accepti tabulis. Nam quotiens acceptam pecuniam referebant, non dicebant a Longo, sed abs Longo,* (ita etiam h. l. scribendum erat) *et ait religionem hanc scribendi apud paucissimos remansisse saeculo suo. Antiquos scimus et abs te dixisse: nos contenti sumus a te dicere. Scimus ipsos et ab Lucillio dixisse: nos observamus, ut praeponatur his nominibus, quae a vocali incipiunt, ut quum dicimus ab Olympo. Absumitur autem haec* B *littera, quotiens nomina a consonanti incipiunt, ut a Romulo. Si quis itaque quaesierit, quare non ab Iu-*

nóne dicamus, sed a Iunone, meminerit hic litteram I pro consonanti positam: de qua latius et supra disputavimus. Abs vero neque nominibus, neque his partibus orationis, cum quibus in confusionem [Putsch. *confusione*] *non venit, adiungitur: abs te enim duae partes orationis sunt. Scilicet verbis cum quibusdam unitate consensit, ut abstinet, abscondit. Haec enim pars orationis composita est, et quoniam et accondit habet* [i.e. locum habet, ἔχει] *et ascondit* [ita scribendum pro *abscondit*] *durius sonabat, intervenit* P *littera, quae exornaret auditum. De qua scriptione illud quaeritur, utrum per* P, *an per* B *et* S *debeat scribi, quoniam ea quae apud nos ψ litteram sonant, putant plerique per* P *et* S *scribenda, quoniam et Graeci pronuntiaverunt, ψ litteram constare ἐκ τοῦ π καὶ ς* [Putschius *per litteram ψ constare ἐκ τοῦ πίονος*. Quomodo haec emendanda essent, monstravit locus similis p. 2233, 43.]. *Sed qui origini verborum propiores sunt, per* B *scribunt.* His igitur Velius Longus docet, *a* ante vocalem, *ab* ante consonantem, *abs* non nisi in compositis verbis poni debere, neque id, quod ab aliis dicebatur, *abs te* comprobat; in compositis autem dubitari, utrum per P an per B scribatur. — Cassiodorus de Orthogr. p. 2293. *abs vero apud nos nominibus, cum quibus in conclusione venit, respuenda est, ut est, ab urbe venio, non abs urbe venio: nam in compositione non est evitanda, ut abscondo, abstineo.*

A et AB et ABS non nisi forma et sono differunt: id quod Priscianus aliique grammatici claris verbis docent, neque usus redarguit. Atque eam, quam Ramshornius in Gramm. p. 284. nuper proposuit distinctionem, quasi vocabulum *ab*, ante consonantes maiore oris intentione pronuntiandum, rem significaret proxime ab aliqua re avulsam, *a* vero ob longam vocalem notaret longinquitatem, neque exempla collata comprobaverunt, et ipsa ab omni ratione abhorret. Nam emolliendae pronuntiationis caussa dictum esse *a* pro *ab*, veteres auctores animadverterunt: at ipsa forma si significationem constitueret, omnia ea vocabula, quae *ab* non admittunt, immerito ab ista orationis gravitate exclusa essent. Ante vocales et ante H litteram nulla libertas concessa erat. Ante consonantes utrum ponerent, exigebant auribus, quibus non semper una placuit modulatio. Pertinebat enim hoc quoque ad eas res, quae ex scriptoris sensu atque arbitrio penderent, et si quis in his

quoque formis colorem quaesiverit orationi addendum, non aliam rationem sequutus est, quam in reliquis omnibus vocabulis eligendis, et aurium subtilitate perpendendis.

Charisius 2. p. 207. *a et ab hoc differunt. A praeponitur nomini, quod a consonante incipit aut vocali, quae pro consonante accipitur. Ab his praeponitur, quae a vocali incipiunt: quamvis etiam H praecedat, quae pro adspiratione accipitur. Superius a magno et a maximo: sequens ab Indis, ab errore, ab humo, et ab Hyla, et ab Hyacintho, quae Y littera peraeque apud nos vocalis existimatur.* p. 209. *abs autem fere praepositio hoc modo praefertur, ut dicamus abs me; abs illo non dicitur.* Priscianus 14. p. 994. (14, 5. Krehl.) *a et ab et abs et e et ex eandem fere significationis vim habent. Nam et locales et temporales et ordinales similiter inveniuntur. Sed quando consonans sequitur a et e magis praeponuntur in appositione, ut a domo, e iure. Ab vero et ex saepissime in compositione non solum vocalibus, sed etiam consonantibus, ut abigo, abduco, exuro, excurro. In appositione vero vocali quidem sequente semper, ut ab illo, ex illo: consonante raro. Nam a quidem et e vocali sequente, non praeponuntur. Ab autem et ex consonantibus sequentibus solent, ut dixi, praeponi, si nulla asperitas vocis prohibeat, ut Virgilius in II Aen.* [648.] *ex quo me divum pater atque hominum rex. Abs tam in compositione, quam in appositione consonantibus solet praeponi.* — Diomedes I, p. 408. *ex, ab praepositiones, si sequens verbum a vocali incipiat, integre efferuntur, ut ex oppido, ab illo. Si consonantes sequantur, extremam litteram perdunt, ut e foro, a Marco. Similiter si vocalis sequatur consonantis loco posita, ut a Iunone, e uirtute, e uino.* — Scaurus de Orthogr. p. 2263. *Quibusdam diligentioribus levitatis caussa solet demi* B, *propositum vocalibus et nominibus locorum, in quibus principes sunt litterae semivocales, aut mutae eam repudiant, a Baiis, a Capua, a Dertona. Contra non demitur* B, *quum in vocabulis, ut nominibus, est primum* A, E, O, *ut ab Aricia, ab Elia. Sin* V *aut* I, *duplicem habent rationem. Si enim sunt solae, dicuntur ut reliquae vocales, ab Arabia dico: sin proximas litteras vocales secum habent coniunctas, proinde observandum est, an sint semivocales, an mutae, ut a Venusia, a Ianiculo.* Adde Cassiodorum p. 2293.

Ubi in libris *a* ante vocalem positum deprehendatur, corre-

ctione opus esse, nemo nunc negabit; veluti in antiquioribus editionibus Varronis 2, 6, 4. *diiungunt a opere.*

Ab non tantum liquidis et mollioribus, uti Corradus de Ling. Lat. p. 346. et Schmidius in Hypom. p. 338. observaverunt, D, F, S litteras adiicientes, sed omnibus consonantibus praeponi, sedula exemplorum collectione demonstraverunt Guntherus Latin. Restit. P. 1. p. 1. et Gesnerus in Thesauro, quibus addi possunt, quae habet Noltenius in Lexico Antibarb. p. 1269. Plurima e Livii libris desumpta sunt, quippe qui pleniore forma magis delectaretur, etiam ante C et D. Vid. Gebhard. ad 3, 30, 9. Praeter litteras X et Z etiam B litteram Gesnerus omisit, et quod ab aliis affertur e Sallustii Iug. 32, 2. exemplum dubium est. Ibi enim codices praebent *a Bestia.* In Plinii Hist. nat. 6, 15, 17. recte legitur *ad Baetra*, non *ab Baetra.* Lowaeus igitur in Gramm. p. 23. unam litteram B excipit. De *ab* ante vocabulum *diis* posito vid. Bentleius ad Horat. Carm. 3, 6, 22. *Ab Iove* fere semper scribi in antiquis Virgilii et Ovidii libris observarunt Carrio ad Val. Fl. 6, 608. et Heinsius ad Ovid. Fast. 1, 236. Cf. Burm. ad Virg. E. 3, 60. Cellarius in Antibarb. c. 5. et Io. Ker in Select. de lingua Latina Observat. aliquando negaverant, *a* ante consonantem I poni umquam posse. Nunc seduli animadvertunt critici, ubi Cicero scripserit *ab institia*, *ab Iamblicho*, ut fecerunt ad Cic. Offic. 1, 19, 63. Sed ipse Cellarius, cui Heumannus ad Cic. post Red. ad Qu. 1. obloquutus erat, aliter rem se habere professus est in notis ad Cic. Epist. ad Fam. 1, 9, 53. et multis exemplis demonstravit Noltenius p. 1268. Conf. Miscell. Observ. T. 5. p. 183. Rara sunt exempla verborum litteris C. Q. T. incipientium: veluti *ab consuetudine* Cic. de Inv. 2, 53, 161. *ab consulibus* Livius 3, 33, 1. ubi tamen multi codices praebent *a*, *ab Chrysippo* Cic. de Rep. 3. 8. *ab Corintho* Liv. 31, 22, 6. sed 1, 47, 4. *a Corintho*, *ab civitatibus*, 41, 5, 5. *ab quibus* Caesar B. Gall. 4, 22, 5. sed paullo post 4, 23, 2. *a quibus.* Vid. Oudendorp. Saepius ante S et L litteras ponebant *ab.* Vid. Bentleius ad Horat. Carm. 3, 5, 43. et Epod. 17, 24. Davis. ad Hirt. B. Afric. 25. Poetae fere dixerunt *ab sede:* vid. Heins. ad Virgil. Aen. 1, 270. 3, 687. sed etiam *a sedibus* non corrigendum esse monuit Burmann. ad Lucan. 3, 388. Sic etiam saepius dicitur *ab stirpe.* Cortius ad Sallust. Cat. 10, 1. Heins. et

Burman. ad Virg. 1, 626, 8, 130. *Ab se* Cic. Verrin. 3, 59, 136. Exempla litterae z praebent Hirtius B. Afr. 72. *ab Zela* et Sallust. Iug. 61, 1. *ab Zama.*

Quod Goerenzius ad Cic. de Leg. 3, 16, 35. observasse se dixerat, Latinos concursum duplicis *a* vitare, ideoque *ab* ponere solere, veluti *generosa ab stirpe* Cic. de Divin. 1, 12, 20, *caussa ab se* in Pison. 38, 92, id non perpetuo usu constare ipse intellexit ad Acad. 1, 2, 8. ubi affert in Catil. 3, 9, 21. *ea a perditis*, de Leg. 3, 6, 14. *postea a magno.* Tamen illud probaverunt Moserus, et Bremius ad Cornel. Dion. 1, 2. rebus non diligenter perpensis. Neque certam putaverim eam observationem, qua Goerenzius ad Cic. de Fin. 3, 21, 72. 2, 21, 72. ad Acad. 2, 1, 3. invenit, proprium fuisse Ciceroni, ut cum verbo *abesse*, *abducere* coniungeret *ab*, non *a*. Nulla enim intelligitur ratio, nullus est exemplorum consensus. Loca apponere, in quibus Cicero scripsit *abesse a* ante consonantem non operae pretium videtur. Magnus est eorum numerus. Neque in geminatione praepositionis quaeri potest certus aliquis usus, de quo quae Goerenzius ad libr. de Fin. p. 273. dixit, ex parte tolluntur iis, quae p. 530. docuit. Sed in Verr. 4, 18. 39. legitur *abesse a domo*, in 5, 31, 82. *abesset a domo.*

Non ab re ubi significat non alienum ab re, veteres scriptores non utuntur forma *a*. Quod Erasmus et alii scribere solebant *abs re*, abhorret ab antiqua consuetudine. Etiam in Apuleio de doctr. Platon. 3. p. 31, 22. Elmenhorstius edidit *non ab re est*, ubi Wowerius habet *abs re*. In Gellii Noct. att. 18, 14. antiquae editiones exhibent *ab re*. Vid. Cellarii Antibarb. 4, 208. Curae post. 10. p. 347. Discuss. p. 191. Vorst. de Lat. mer. susp. p. 71. Gunther. Lat. Rest. T. 1. p. 8.

Ante nomina, quorum prima littera est Q et T, fere semper *abs* poni, id grammatici plerique docent. Vid. Vorst. de Lat. mer. susp. 8. Atque Cicero non raro, praesertim in epistolis, scripsit *abs te*, nusquam tamen *abs tuo:* neque in aliis nominibus exstat certum documentum. Tamen non desunt in Cicerone exempla verborum *ab te*, non nisi criticis suspecta: de Fin. 5, 25, 75. *discipulum cupio ab te abducere*. Quare, quod libri exhibent de Leg. 2, 10. 23. *conclusa quidem est apte tam magna lex sane quam brevi*, restituendum erat *conclusa quidem est ab te*. Ita etiam Sallustius Iug. 50. et Livius, 24, 47, 2. *ab tergo*. In Q littera non ubique eadem consuetudo. Terent. Adelph. 2, 3, 1. *abs qui-*

cis: nemo autem dixit *abs quaestore.* Caesar Gall. 4, 23, 2. scripsit *ab quibus*, Livius 3, 70, 10. *ab Quinctio*, 24. 6, 4. *ab quaerente.* Ante CH litteram *abs* dixit Plautus Pers. 1, 3, 79. *abs choragos sumito.* An *abs* litterae s praecedat, ambigitur. Pareus in Lexico Crit. p. 5. e Plauto affert exempla verborum *abs se:* at in omnibus iis codices habent *ab se.* In Caes. Gall. 1, 44, 8. olim legebatur *uno abs se proelio fusas*, nunc autem *a se uno*, et ita 3, 9, 3. *retentos ab se.* Gronovius in Livii 32, 1, 10. edidit *abs Suessa nunciatum est*, quod fieri posse negat Facciolatus in Animadv. crit. in Lex. Daneti p. 7: Drakenborchius e codd. restituit *ab.* In Sallust. Cat. 10, 1. codices duo *abs stirpe*, quod nemo probabit. Sed quum iam olim essent qui duplicandae litterae s etiam aliis in verbis faverent, eorum sedulitatem non mirabimur in vocabulo *abs.* Omnino vero tenendum est, litteram istam interpositam esse, ubi modo transitus in Q et T asperitate offendere videretur, uti in *absque* et omissa littera B in *asportare*, *sustinere:* in praepositione autem non aequalis erat scriptorum usus, nec facile potest quidquam auctoritate codicum constitui. Recentioris aevi scriptores ita abusi sunt hac syllabae latitudine, ut etiam ante vocales ponerent *abs.* Tertullianus, sive quisquis est carminis auctor adv. Marc. 4, 4, 103. *quos in evangelio dominus quoque dixit, et haedos abs ovibus cerni stantes in parte sinistra.* 5, 5, 122. *promissa abs alio.*

Priscianus 14. p. 995. (5, 42.) *abs tam in compositione, quam in appositione, consonantibus solet praeponi. Sed ab omnibus in compositione praeponitur litteris, absque c vel q vel t. — Ante q in appositione abs, abs quolibet: ante vero c vel t in compositione, ut abscondo, abscedo.*

Codices scripti fere semper in his vocabulis variant, nec potest ubique eorum discrepantia aurium iudicio compensari nam veteribus hominibus non pauca placuerunt, quae nobis nunc horrida aut absona videantur. Caesar B. Civ. 3, 10, 8. *Romae a senatu et a populo peti debere:* tres codices *ab senatu*, unus etiam *ab populo.* Ad haec Oudendorp. notavit „sed amat *ab* et *a* iungere Caesar, ut B. Galli. 5, 32, 2. *ab duce et a fortuna.*“ Id vero non Caesari proprium tribuerim, sed quae affert Oudendorpius alia exempla, comprobant usum duplicatae praepositionis, non formae varietatem.

Praepositio AB quamquam usum habet admodum multiplicem, ut grammatici in constituenda explicationis ratione et in ordinandis exemplis vehementer haesitaverint, tamen omnes, quae ponuntur, significationes ex una oriuntur notione primaria loci ac rei, unde aliquid moveatur, exeat, aut aliquo modo proficiscatur. Quare duplex est respectus et ad eam rem, quae suo loco manet immota, et ad eam, quae movetur, aut remota distat. Inde vero exsistit triplex haec ratio, qua omnis vocabuli usus regitur.

Indicatur enim praepositione AB

I. motio ex aliquo loco, quae cernitur

1. in quocunque discessu et in quacunque emissione, deductione, directione, et in exordio ab aliqua re ducto.
2. Quod refertur ad tempus, in initio et perpetuitate temporis significanda.
3. Quibus proximae sunt notiones primordii, principii, originis, cum motu et exitu comparandae, et,
4. quae cum his cohaerent, efficientiae et caussae notiones.
5. Et quum pars alicuius rei desumpta videatur universae rei, hoc modo etiam id notatur, quod alicui rei adhaereat, vel ex ea pendeat, vel quo aliquid constet.

II. Indicatur remotio, in qua et altera res remanet, et interiectum distantiae spatium apparet. Hinc usus praepositionis

1. de quacunque remotione, sive ea fiat recessu, sive liberatione et vacuitate,
2. et de distantia rerum ac discrimine.
3. Quare adhibetur idem vocabulum in ordine rerum constituendo et in numeratione,
4. et inservit comparationi rerum diversarum.
5. Illa vero rerum dispositio et numeratio etiam ad tempus refertur eiusque consequutionem.

III. Ut situm et regionem alicuius rei describamus, considerare solemus locum et spatium, quo aliqua res ab alia distet aut remota sit: quamobrem praepositio AB

1. usurpatur in regione et loco ab aliqua parte designando;
2. quod denique ad rei considerationem ex aliqua parte instituendam transfertur.

Haec vero omnia quum cognata sint et unius originis, ea inter se tam familiariter coeunt ac cohaerent, ut multis in exemplis dubium sit, nec magnopere referat, utrum hoc an illo nomine rationem comprehendas; veluti caussam intelliges, ubi alii rem ex aliqua parte considerandam censuerint. Utrumque enim unum habet argumentum, sed diversa est eius relatio.

Plurima autem, quae praepositione hac exprimuntur, etiam simplici ablativi casu, cui quidem significatio incepti motus et efficientiae et liberationis convenit, dici posse, id grammatici demonstrant, vel demonstrare debuerunt. Nec quisquam nunc de ellipsi praepositionis cogitabit, hac re ab Hermanno et ab aliis satis illustrata. Nostrum erit officium exemplis indicare, quantum pateat hic usus, et quae dictiones utrumque modum admittant, quaeve semper praepositionem in se recipiant. Nam praepositio, quae aliquam conditionem distinctius notat, omitti sive non addi potest, ubi simplicis ablativi vis ad perspicuitatem et gravitatem orationis sufficit. Plurima tamen usu constituta et servata sunt, non semper certa ratione.

1. 1. 1. Dicitur igitur AB de loco, unde aliquid exit, proficiscitur, progreditur, sive ubi discessus notatur et motus. Contrarium est *in*. Nos dicimus *von*. Graeci ἀπό construunt cum genitivo, quoniam, quae Latini motus et exitus notione comprehendunt, ad rerum cohaerentiam referunt.

Plaut. Poen. IV, 2, 107. *dum herus adveniat a foro, opperiar domi.* Cic. ad Attic. 7, 21. *mittam illa, fugam ab urbe turpissimam, timidissimas in oppidis conciones.* De Offic. 3. 20, 80. *Marius a subselliis in rostra recta.*

2. Dicunt igitur praeter verba, quae cum ipsa hac praepositione componuntur, *abducere, auferre, abalienare,* etiam *discedere, disiungere, depellere ab aliqua re* et alia huius generis, quorum exempla lexica exhibent. Notandus certe videtur usus in metaphora.

Lucanus 5, 261. *liceat discedere, Caesar, a rabie scelerum.*

Rariora sunt exempla verbi *decedere.* Cic. pro Plancio 12, 27. *quum quidem nihil a superioribus continuorum annorum decretis decesserit* (senatus). Livius 36, 22, 2. *cuius fiducia ab officio decessissent;* ubi emendarunt *officio decessissent.* vid.

Drakenborch. ad h. l. et Gronov. ad 27, 10, 1. De verbis *declinare se ab aliquo* vid. Oudendorp. ad Suet. Aug. 70. p. 283.

3. Additur haec praepositio nonnumquam etiam, a quibus abesse solet, nominibus urbium, nec tamen semper eam ob caussam, quam novissimi grammatici in occulta quadam vi graviore quaerunt. Antiquorum grammaticorum nonnulli totum usum reprehendebant. Sed sunt loca, in quibus non aliam caussam reperias quam perspicuitatem, aut orationis numerum, fortasse etiam negligentiam. In aliis quidem intelligitur urbis regio, non ipsa urbs, ut bene observavit Malaspina, in aliis non ipsa urbs, sed cives vel civitas: in aliis additur, ut distantia locorum, in aliis denique, ut situs ac regio loci designetur, de quo postea dicemus. Id autem certum videtur, addi praepositionem urbium et locorum nominibus, ubi magis ad ipsum discessum et exitum, quam ad viam respicimus: velut *ab Athenis proficisci* est *von Athen abreisen.*

Charisius Instit. gr. 2. p. 207. *has praepositiones nonnullis visum est non debere propriis nominibus praeponi, sed sic Antiochia venit, venit Roma.* Conf. Quinctil. 1, 5, 38. Snakenburg. ad Curt. in indice s. h. v. Atque huc spectant, quae Cicero de praepositionibus ante oppidorum nomina ponendis disputat ad Att. 7, 3.

Cic. ad Fam. 15, 3, 2. *ab Epheso in Syriam navibus profectus erat.* 4, 12, 4. *quum ab Athenis proficisci in animo haberem.* ad Att. 6, 1. *sed credo te binas meas de omnibus rebus accepisse, unas a Pindenisso, alteras a Laodicea.* Livius 40, 12, 2. *ex quo a Roma redii.* 37, 45, 3. *Scipio ab Elaea venit.* 5, 52, 10. *transvecta a Veiis.* Livius fere semper dixit *ab Karthagine.* Tacit. Ann. 2, 60. *orsus oppido a Canopo.* Virgil. Aen. 2, 254. *et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat a Tenedo.*

„Censet Malaspina in Castig. in Cic. ad Att. epist. aliud esse *venire Roma*, aliud *a Roma.* Omisso praeverbio signari locum interiorem, addito notari exteriorem, ut *a Buthroto* sit a locis Buthroto viciuis. Sed ut aliquando id verum esse agnoscimus, ita saepe aliter esse satis ostendunt loca veterum, quae adduximus. Et ita Augustum loqui solere, verisimile est, non in ablativis solum, sed etiam accusativis. Nam perspicuitatis caussa eum praepositiones addere solere auctor est Suetonius in Aug. 85.“ Vossius de Construct. p. 46. Ita proprie dicitur de

eo, qui cum exercitu ex aliqua regione vel ab alicuius urbis oppugnatione recesserit. Cic. Philip. 12, 5, 11. *denuntiatum est, ne Brutum obsideret, a Mutina discederet.* coll. c. 2, 4. Caes. B. C. 3, 24. *Libo discessit a Brundisio, obsessionemque nostrorum omisit.*

Propria non habet Buddimannus p. 281. T. 2. edit. Lips. Gul. Otto Reizius Spec. Pseudosynon. in Miscell. Obs. T. X. p. 126. discrimen demonstrat exemplo Livii 21, 9, 3. *interim ab Roma legatos venisse nuntiatum est:* quod neque loci proximitatem, neque urbem unde venerint legati, sed ipsam civitatem, quae illos miserit, declaret. Si praepositionem non addidisset, dubium esse, a quibus missi essent, num ab ipsis Poenis, an ab Romanis, an vero ab alio populo. Liv. 3, 2, 3. *se ex Aequis pacem Romam tulisse, ab Roma Aequis bellum adferre.*

Sueton. Aug. 100. *corpus decuriones municipiorum et coloniarum a Nola Bovillas usque deportarunt: — a Bovillis equester ordo suscepit urbique intulit.*

Caes. B. G. 7, 44. *ut erat a Gergovia despectus in castra.* von Gergovia aus. Simile est Livii 8, 17, 9. *exscensionem a Paesto facientem* i. e. ab ea parte, ubi est Paesum. Sed de his postea.

Variant libri multis in locis. Cic. Acad. 1, 1, 1. ubi Stephanus: *venisse eum a Roma pridie vesperi.* Liv. 31, 26, 5. *naves Romanae a Piraeeo venientes.* In aliis abest praepositio, quam in nomine Piraeei saepe poni demonstravit Drakenborchius. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Claud. 17.

4. Ponitur *ab* cum nominibus terrarum, quibuscum fere coniungitur praepositio *ex*.

Liv. 32, 31, 6. *litterae consulum a Gallia de gestis prospere sub idem tempus Romam allatae.* ubi Drakenb. Vitruv. 7. praef. 8. *a Macedonia Zoilus — Alexandriam venit.* Vid. Oudendorp. ad Sueton. Ner. 25. Interpr. ad Cic. Phil. 7, 8, 25.

Vocabula *extorris* et *exsul* numquam accipiunt praepositionem, sed simplicem nominis ablativum. Quod legitur apud Livium 5, 30, 6. *ne exsulem, extorrem populum Romanum ab solo patrio ac diis penatibus in hostium urbem agerent,* praepositio cohaeret cum verbo *agere.*

5. De discrimine vocabulorum *ab* et *ex* Diomedes 1. p. 408. ita: *hae praeterea praepositiones, ut quibusdam videtur, non idem unumque significant. Nec enim unum ex theatro venire et a theatro. Nam qui ex theatro se venire dicit, ex ipso venit theatro: qui vero*

a theatro, non ex ipso theatro, sed e loco, qui proximus est theatro. Scaurus de Orthogr. p. 2263. *a capite dempta quae vocant, male appellant, quod sunt de capite dempta, non a capite. — A scena venit spectator, e scena venit, qui egit: contra spectator e theatro, a theatro actor.*

„*A* et *ex* ita differunt proprie, ut *ex* progressionem de loco interiore, *a* progressionem de finibus loci significet. Cic. pro Caecina 30, 86. *Quum de vi interdicitur, duo genera caussarum esse intelligebant, ad quae interdictum pertineret: unum, si qui ex eo loco, in quo esset, alterum si ab eo loco, quo veniret, vi deiectus esset. — Si qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo me loco deiecerit. Si qui mihi praesto fuerit cum armatis hominibus extra meum fundum, et me introire prohibuerit, non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit.*" Schwarzius in Tursellino p. 1. Hoc discrimen non semper, nisi in opponendis ipsis vocabulis observari, exempla allata demonstrant. Varro de Re Rust. 2, 1, 5. *tertio denique gradu a vita pastorali ad agriculturam descenderunt.* quod antea dixerat: *ex hac vita in secundam descendisse pastoritiam.* Vid. Corradus de Ling. Lat. p. 347. Hinc saepissime in libris confunduntur *a* et *e*. vid. Misc. Observ. T. 5. p. 128.

Quod affertur e Celso 1, 3. *a balneo quoque venientibus*, non comprobat neglectum utriusque praepositionis discrimen: nam *a balneo* non est ex balneo, sed a lavatione, *vom Baden.*

Atque difficilis saepe est verbi delectus. Tibull. 2, 3, 22. *venit e templis irrita turba domum:* ubi Io. Henr. Vossius *a templis* praefert propter vocabulum *domum*, quod ipsum 1, 10, 50. secum habet *e:* tamen praestat poetica dictione *a templis;* fortasse etiam 2, 4, 30. *a rubro mari.* Sed ipsi veteres scriptores *a* dixerunt pro *e*. Caesar B. C. 3, 33, 1. *Ephesi a fano Dianae depositas antiquitus pecunias Scipio tolli iubebat.* Plaut. Cas. 2, 4, 23. *abi hinc ab oculis*, ut Trin. 4, 2, 147, quod vulgo dicitur *ex oculis.* Frontin. 2, 8, 13. *a conspectu abducere.* Vid. Vossius de Construct. c. 46. Oudendorp. ad Caesar. B. Gall. 1, 53, 4.

Affinitas huius significationis eo quoque apparet, quod saepe verba cum praepositione *ex* composita cum hac praepositione *ab* coniunguntur, velut *exciri ab Roma*. Liv. 7, 29, 10. *educere ab urbe* 8, 15, 3. vid. Drakenb. ad 10, 37, 6.

6. Cum universa discessionis notione ea quoque co-

haerent, quae ab aliqua re recedere, vel ex ea exire tantum videntur, veluti *lucem refulgere ab aqua.*

Propert. 3, 20, 8. *splendidaque a docto fama refulget avo.*

7. Neque aliam rationem habent verba attollendi, surgendi, quae etiam cum praepositionibus *ex* et *de* coniunguntur, et cum simplici ablativo construuntur.

Vid. Burmann. ad Lucan. 5, 750. Translata notione Plin. Ep. 3, 5, 13. *surgebat aestate a coena luce.* Ovid. Am. 3, 7, 53. *a tenera quisquam sic surgit mane puella.*

8. AB de loco et re dicitur, unde aliquis motus vel actio aliqua dirigitur. Nos dicimus *von wo aus*, *von wo her.*

Cic. de Nat. D. 2, 12, 32. *hunc autem motum in solis animis esse ponit, ab hisque principium motus esse ductum putat.* Plaut. Most. 3, 2, 138. *quia edepol ambo ab infimo tarmes secat.* Liv. 21, 11, 8. *ad subruendum ab imo murum.*

Liv. 31, 22, 6. *nam et terrestres ab Corintho, quae per Megaram incursiones in agros fieri solitae erant, non fiebant.* 1, 47, 4. *non tibi a Corintho, nec ab Tarquiniis, ut patri tuo, peregrina regna moliri necesse est* i. e. *von Corinth aus.* 8, 17, 19. *adversus regem exscensionem a Paesto facientem signis collatis pugnaverunt.* 31, 24, 9. *ab Dipylo accessit.* ubi olim legebatur *ad Dipylum.* Vid. Gronov. et Drakenb. Nec secus 33, 17, 11. *ni exsules quidam Italici generis Leucade habitantes ab arce milites accepissent.* int. in urbem. Drakenb. coniecit *in arcem.*

Cic. Phil. 12, 9. *tres ergo, ut dixi, viae: a supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Liv. 42, 10, 7. *locustarum tantae nubes a mari vento repente in Apuliam illatae sunt.* Horat. Carm. 1, 9, 21. *latentis proditor intimo gratus puellae risus ab angulo.* Plin. H. N. 21, 7, 18. *rosa recens a longinquo olet, sicca propius.*

Cic. de Div. 1, 17, 30. *incurvum et leviter a summo inflexum bacillum. von oben ein wenig gebogen.* Plin. H. N. 24, 10. (47.) *eiusdem acinos quinque tritos in rosaceo oleo — instillavit dentium dolori a contraria aure. vom gegenseitigen Ohre her.*

Quare saepe, ut continuata directio significetur, additur *usque.*

Plaut. Rud. 2, 6, 55. *qui a fundamento mihi usque movisti mare.* Cic. pro Cluent. 68, 192. *illam usque a mari supero Romam proficisci.* p. Sext. 58, 124. *tantus est ex omnibus*

spectaculis usque a Capitolio — plausus excitatus. Vd. s. v. *abusque.*

Et additur saepe nomen loci, quo quid pervenerit, aut protendatur. Tunc vocabulis *a* et *ad* describitur ambitus loci vel rei. Nam motus, qui in rebus ipsis nullus est, cernitur in animo vel oculis eius, qui rem aliquam considerando perlustrat.

Plaut. Trin. 4, 2, 105. *pudicum neminem esse oportet, qui abs terra ad coelum pervenerit.* Pers. 4, 4, 54. Cic. de Nat. D. 2, 66, 164. *qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt.* De Senect. 23, 83. *nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a calce revocari.* Horat. Epist. 2, 2, 4. *candidus et talos a vertice ab imis pulcher ad imos.* Cic. p. Rosc. C. 7, 20.

Plaut. Pseud. 3, 1, 10. *interminatus est a minimo ad maximum.*

Addito vocabulo *usque* Plautus Epid. 5, 1, 16. *contempla, Epidice: usque ab unguiculo ad capillum est festivissima.* Apulei. Met. 3. p. 138. 27. *ab imis unguibus sese totam ad usque capillos perlinit.* Cic. p. Rosc. Com. 7, 20. *nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur?*

9. Non mutatur haec ratio, quum coniunguntur verba, quae descensum notant, demittendi, deiiciendi, deferendi, dependendi.

Livius 28, 6, 10. *nam et venti ab utriusque terrae praealtis montibus subiti ac procellosi deiiciunt:* in quibus non addendum est *se:* nam significatio media in his vocabulis propriam habet sedem, ut 28, 15, 11. codices non interpolati exhibent: *nisi ex vehementi sole — tanta vis aquae deiecisset,* et 25, 11, 6. *plurimi in fossam praecipitavere.*

Varro de Re Rust. 2, 1, 3. *necesse est humanae vitae a summa memoria descendisse ad hanc aetatem.* conf. 2, 1, 5. Frontin. Strat. 2, 4, 1. *praecepit Spurio Nautio, ut — a colle transverso magno tumultu decurrerent.* Horat. Carm. 1, 28, 27. *multaque merces, unde potest, tibi defluat aequo ab Iove.* Petron. 90, 4. *ego quoque sinum meum saxis onerabo, ut quotiescunque coeperis a te exire, sanguinem tibi a capite mittam.* ubi Nodotius edidit *e capite,* quod non debebat probare Antonius.

Quae pendent atque adhaerent, ab aliqua re proficisci et deorsum verti videntur. Nemes. Ecl. 4, 47. *hic et ab ulmis purpureae*

dependent uvae. Cic. Verr. 4, 34, 74. *sagittae pendent ab humero.* Lucan. 5, 769. *nonne olim casu pendemus ab uno.* Senec. Ep. 33. *ab exemplari pendere.*

Terent. Andr. 1, 1, 51. *ita ut ingenium est omnium hominum a labore proclive ad libidinem, accepit conditionem.*

De verbis *spectare*, *videre ab aliquo loco* egit Oudendorp. ad Lucan. 5, 640. p. 400. et ad 8, 187. Burmann. ad 5, 640. ubi notatur frequens commutatio vocabulorum *a*, *de*, *ex*. Cortius fere ubique restituit *ex*, sed temere: tamen non improbaverim 10, 436. *quum procul e muris acies non spersa maniplis, nec vaga conspicitur.* Ibi enim interpolationis caussa in promptu est.

10. Ita dicitur de iis, qui ex superioribus et remotis locis aliquid agunt, aut in alta sede residentes ad inferiora se convertunt, etiam ubi nulla movendi notio verbis expressa est. Neque aliter Graeci in verbis ἐκ et ἀπό. Vid. Markland ad Eur. Troad. 527. ἀνὰ δ' ἔβόασαν λεὼς, Τρῳάδος ἀπὸ πέτρας σταθείς. Matthiae Gramm. p. 1193.

Lucanus 3, 585. *dum pugnat ab alta puppe Catus.* 2, 207. *intrepidus tanti sedit securus ab alto spectator.* i. e. qui ab alto spectat. Virgil. Aen. 6. 357. *prospexi Italiam summa sublimis ab unda.* 9, 375. Heins. contendit scribendum esse: *conclamat ab aggere Volscens.* sed *ab agmine* dictum ut apud Stat. Theb. 4, 802. *conclamat ab agmine primo* et Valer. Flacc. 6. 388. Propert. 4, 4, 29. *et sua Tarpeia residens ita flevit ab arce.* i. q. in alta arce residens. Ita explicandum Propert. 3, 25, 6. (23, 26.) *semper ab insidiis, Cynthia, flere soles* i. e. ex insidiis. Alii de tempore accipiebant. In Valer. Flacc. 8, 82. *dulces excussit ab arbore somnos.* quorum verborum mirae exstant criticorum interpretationes. Si integra sunt, eorum sensus est: excussit somnum residens in arbore.

11. Atque alia quoque verba ab omni motu aliena possunt cum A coniungi, ubi oratione contrahitur sententia, quam cogitatio facile explicat.

Ovid. Ars am. 2, 137. *sed non, cui dederis a litore carbasa, vento utendum.* i. e. provectus a litore, quod Plinius Paneg. 35. dixit *a portu.*

12. Discedendi vel amittendi notio quum ad verba *desistere*, *intermittere* referri possit, haec quoque cum praepositione A componuntur. Quibuscum etiam coniungi possunt verba relaxandi, remittendi, et formula *otium a labore*, *a re*, de quibus postea. Sic

Graeci quoque. Plutar. vit. Alex. 25. *ἀναπαύοντες ἀπὸ πολλῶν ἀγώνων.*

Caesar B. Civ. 1, 32, 1. *Caesar, ut reliquum tempus a labore intermitteretur, milites in proxima municipia deduxit.* Vid. Oudendorp. ad Bell. Gall. 5, 11, 6.

13. Ponitur AB de loco et persona, unde aliquid sumitur, mittitur, accipitur, datur, expetitur, auferitur. Cuius usus exempla ubique obvia sunt. Nos igitur hic ea tantum notabimus, quae aut verborum structura aut significationis proprietate insigniora videantur.

Saepe coniunguntur verba, quae in se habent praepositionem *ad*, veluti *ab armis advocare*, *ab aliquo arripere:* de qua re Drakenborch. ad Liv. 3, 16, 6. et 3, 48, 5.

Petron. 89, 64. *ab aris alius accendit faces.* id quod Phaedrus dixit 4, 9, 1. *accendere ex ara.* Diversa est ratio apud Livium 31, 17, 4. Ovid. Met. 1, 253. *sed timuit, ne forte sacer tot ab ignibus aether conciperet flammas.* Cic. de Orat. 1, 24, 111. *videar non ipse aliquid a me promsisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse.* Parad. 3, 2. *a philosophis, inquis, ista sumis.* ad Fam. 12, 22, 8. *in Sempronio maximam ab omnibus laudem adeptus esses.* Celsus 5. prooem. p. 242. Almelov. *ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt.* Cic. de Offic. 3, 16, 67. *aedes, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat.* Saepius legitur *de aliquo emere.* Plaut. Pers. 1, 3, 83. *continuo tu illam a lenone asserito manu.* Cic. in Verr. 3, 76, 177. *vidimus huic ab aerario pecuniam numerari quaestori.* Hinc *a me dare, a se solvere* dicitur de meo, per suum argentum. Plaut. Trin. 1, 2, 145. *a me argentum dedi.* Cic. ad Att. 5, 21. *homines non modo non recusare, sed etiam hoc dicere, se a me solvere.* i. e. per meum argentum. 7, 18. *Quintus frater laborat, ut tibi, quod debet, ab Egnatio solvat.* i. e. per Egnatium, debitorem suum. Sueton. Octav. 40. *Fabianis et Scaptiensibus — singula millia nummum a se dividebat.* i. e. de suo. Vid. Ernesti ad Epist. ad Att. 12, 25. Gronovii Observ. 1, 20, p. 158. (124.) Et in metaphora de re pecuniaria desumpta Cic. pro Planc. 42, 103. *sinite me, quod vobis fretus huic saepe promisi, id a vobis ei persolvere.* ubi vid. Ernesti.

Ab aliquo obsonare i. e. alterius sumptu. Vid. Gronov. Observ. 1, 20. p. 158.

Legare ab aliquo. Cic. pro Cluent. 12, 33. *itaque ei testamento legat grandem pecuniam a filio, si qui natus esset: ab*

secundo herede nihil legati. i. e. in testamento scribit, ut filius heres ei grandem pecuniam solvat. ad Att. 13. 46. Top. 4, 21.

Ab aliquo adoptare. Cic. Brut. 19, 77. *is, qui hunc minorem Scipionem a Paullo adoptavit.* Ulpianus in Dig. 1, 9, 5. *neque intererit, a quo vel qualiter adoptatus fuerit.* i. e. e cuius familia.

Ab aliquo possidere, ab aliquo uti apud iurisconsultos. Ulpian. in Dig. 43, 17, 1, 9. *quod ait praetor in interdicto, nec vi, nec clam, nec precario alter ab altero possidetis: hoc eo pertinet, ut si quis possidet vi, aut clam, aut precario, si quidem ab alio prosit ei possessio, si vero ab adversario suo, non debeat eum propter hoc, quod ab eo possidet, vincere.* 43, 17, 3, 1. *Ab aliquo frui* vel *uti:* quum datur vel conceditur ab aliquo. Ulpianus in Dig. 43, 18, 1. 43, 19, 3.

Cic. ad Att. 13, 21. *scripsit enim Balbus ad me, se a te quintum de Finibus librum descripsisse.* i. e. e tuo libro.

Caesar B. Civ. 1, 11, 4. *itaque ab Arimino M. Antonium cum cohortibus quinque Arretium mittit.* Sic etiam de hominibus Livius 2, 13, 1. *legati a Porsena Romam sequuti sunt.* Tacit. Ann. 1, 39. *legati ab senatu.*

Appellari ab aliqua re. Livius 1, 17, 6. *id ab re — interregnum appellatum.* Cic. de Leg. 1, 6, 16. Varro de Re R. 2, 1, 10. *et quod nomina multa habemus ab utroque pecore, a maiore et a minore.* Quare non dubitari debebat in Cic. de Leg. 1, 22, 58. *a cuius amore graeco verbo philosophia nomen invenit.* Vid. Munker ad Hygin. 4. p. 26. Inde Livius 1, 34, 3. *ab inopia Egerio inditum nomen.* ubi alii libri ex falsa interpretatione *ob inopiam.*

Dicitur *ab aliquo accipere, impetrare, petere, postulare, ab aliquo erudire, discere,* et quae sunt huius generis multa alia. Cic. de Leg. 1, 3, 8. *intelligo equidem a me istum laborem iamdiu postulari. Audire ab aliquo* quo differat a formula *audire de aliquo* notum est et expositum a Reizio de Ambiguis p. 146. et ab eius fratre in Miscell. Observ. T. 10. p. 127. Cicero ad Att. 5, 20. *ut — idem ad me certa de te et a te referat.* Sed ad Att. 3, 14. *hinc si aliquid a comitiis audierimus, nos in Asiam convertemus.* Ernestius explicat, post comitia quod actum sit: quod in ipsis verbis non inest. Neque *ab* pro *de* positum existimabimus, sed locum notari, unde de re ibi acta nuntium Cicero exspectaret. Verte *wenn ich erst Nachricht von den Comitien her erhalten werde.* Nisi quis id eo modo dictum esse arbitretur, quo in Epist. ad Fam. 5, 20, 3. de quo loco infra. Certe non recte correxerunt Manutius et Schü-

tzius *nisi aliquid audierimus.* In Verr. 8, 57, 130. *non hoc nunc primum audit privatus de inimico, reus ab accusatore.* Reizius per additam praepositionem *ab* putat gravius aliquid designari et atrocius: quod quid esse possit, equidem nescio. Dicit autem Cicero: hoc non nunc primum Verres audit privatus, de inimico aliquo ita iudicari, neque audit hoc nunc primum reus factus ab accusatore. In Caesar. B. G. 7, 17, 3. *nulla tamen vox est ab iis audita populi Romani maiestate et superioribus victoriis indigna.* ubi alii libri *ex iis* praebent, critici explicuerunt: *vox eorum.* nam Caesar hoc modo saepe loquutus est, ut infra indicabo. Sed intelligitur vox ab iis profecta.

Per ellipsin Cicero ad Att. 16, 7. *Antonii edictum legi a Bruto.* i. e. acceptum vel suppeditatum a Bruto.

Formulam *recipere animum a luctu* qui ad temporis notionem referebant, et *post luctum* intelligebant, ii et comparato vernaculae linguae usu et, ut videtur, locis alienis falsi sunt. Tenenda erat propria significatio verbi *recipere*, quod est recuperare, reducere. Liv. 2, 50, 10. *ut respirandi superior locus spatium dedit, recipiendique a pavore tanto.* Senec. Cons. ad Helv. 17. *huic parem virtutem exhibeas oportet, et animum a luctu recipias.* Sed ubi Ovid. Met. 14, 352. dixit *ut primum validò mentem collegit ab aestu.* recte intelligitur *post aestum*, ut Propert. 4, 4, 5.

14. Poetis licebat notionem desumendi ad res referre, quae hauriuntur: quare AB positum esse videtur pro *ex.*

Lucan. 3, 237. *quique bibunt tenera dulces ab arundine succos.* Nemesian. Cyneg. 68. *Nilique bibunt ab origine fontem.*

15. Ponitur AB cum nominibus patriae, vel terrae et civitatis, in qua aliquis vixit, aut ex qua exit. Nam originis notionem non est quod intelligamus, sed egressum et deductionem. Qui enim civitati alicui adscriptus est, ei tamquam pars inhaeret. Atque ita locorum nomina pro adiectivis gentilibus ponuntur.

Servius ad Virgil. Aen. 7, 647. *Tyrrhenis asper ab oris contemptor divum Mezentius*] *Oriundus: non qui nunc de Tuscia venit, quem antea pulsum a civibus constat.* Livius 1, 50, 3. *Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in absentem Tarquinium erat invectus.* 6, 13, 8. *Circeiensium quoque quidam cogniti et coloni a Velitris.* 2, 22, 2. *obsides dant trecentos principum a Cora atque Pometia liberos.* 43,

19, 13. In 34, 9, 1. scribendum videtur *unum Graeci habebant, a Phocaea, unde et Massilienses oriundi.* i. e. a Phocaea oriundi, unde et Massilienses oriundi. Igitur non huc pertinet hoc exemplum. Catullus 81, 3. *a sede Pisauri hospes.* Propert. 4, 6, 37. *o longa mundi servator ab Alba, Auguste.* non est Alba oriundus, sed Albanus, i. e. qui in antiquo regum genere Albano exstitit servator mundi. Varro de R. R. 2, 2, 1. *pastores a Pergamide.* Virgil. Georg. 3, 2. *pastor ab Amphryso.* Martial. Spect. 18, 2. *tigris ab Hyrcano gloria rara iugo.* Petronius 38, 2. *arietes a Tarento emit.* i. e. Tarentinos. Cic. ad Brut. 1, 10. *firmos omnino et duces habemus ab occidente et exercitus.* quod Schützius non bene explicat *in occidente.* Alia vid. apud Drakenborch. ad Sil. Ital. 5, 271. et ad Livium 4, 7, 4. 6, 13, 8. Heins. ad Ovid. Amor. 2, 6, 1. Broukhus. ad Tibull. 2, 4, 30. Burmann. ad Valer. Flacc. 5, 566. ad Petron. 38. Graecum usum comparaverunt Heius. Lect. Theocr. p. 328. et Valckenaer. ad Theocr. 1, 147.

Quare non opus erit, ut verbum aliquod mittendi substituamus in his: *legati ab Ardea* apud Livium 32, 1, 9. *legati ab Tusculo* 35, 38, 5. quamquam etiam, ut iam vidimus, dicuntur 2, 13, 1. *legati a Porsena Romam sequuti sunt.* vid. Drakenborch. ad Liv. 28, 9, 1.

Omittitur praepositio in his: Plaut. Bacch. 2, 2, 53. *Epheso quos hospes debuit nostro seni.* Mercat. 5, 2, 99. *video ibi hospitem Zacyntho.* Vid. Vossius de Constr. p. 591. Taubmann. ad Plauti loca, et Vorstius de Lat. falso susp. 19. p. 197. et Vechneri Hellenolex. p. 149. edit. Heusing.

16. Sed non modo de patria terra ac civitate ita dicitur, sed de domicilio et quocumque loco, in quo aliquis versatur, aut cui aliquis desumptus videtur.

Terent. Adelph. 4, 2, 2. *a villa mercenarium vidi.* ubi vid. Westerhov. Hyginus Fab. 190. *a mari piratae.* Virg. Ecl. 1, 8. *saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.* Sic Graeci *οἱ ἀπὸ θαλάττης, οἱ ἀπὸ γῆς.* vd. Dorvill. ad Chariton. 8, 6. p. 631.

Cic. ad Att. 5, 3. *a Pontio ex Trebulano.* i. e. in domo Pontii. Terent. Andr. 4, 4, 15. D. *unde est? dic clare.* M. *a nobis.* Plaut. Cist. 4, 1, 6. *haec cistella numnam hinc ab nobis domo est?* Hinc dicitur vulgari sermone *a me, a se,* pro: domo mea, sua. Terent. Adel. 5, 3, 2. *quisnam a me pepulit tam graviter fores?* Plaut. Mil. glor. 2, 1, 76. *foris concrepuit hinc a vicino sene.*

Atque huc retulerim *a lenone amare,* Plaut. Pseud. 1, 1, 69.

Poen. 5, 2, 122. quod est, puellam e domo lenonis amare. Gronovius quidem in Observat. 1, 20. explicat: amare meretricem, quae est habenda a lenone, quae a lenone prostituitur.

Columella 8, 5, 9. *ubi a matre pulli non exiguis pretiis veneunt.* i. e. recenter a nido desumpti, *von der Mutter weg.* Quo sensu ad tempus relato Barthius cepit Petron. 81. *qui, ne vir esset, a matre persuasus est.* i. e. statim a nativitate: veluti Iuvenal. 7, 196. *distat enim, quae sidera te excipiant, modo primos incipientem edere vagitus et adhuc a matre rubentem.* At huius loci prorsus alia est ratio. In verbis Ciceronis p. Tull. 15. *isti a consulari Macedonia et Asia.* semper erit dubia explicatio: sed vide Beierum.

Flor. 1, 11. *hos praecipue Lucius Quinctius domuit, ille dictator ab aratro.* i. e. desumptus. Tacit. Hist. 2, 92. *praeposuerat praetorianis P. Sabinum ad praefecturam cohortis.* Pichena emendavit *a praefectura cohortis,* q. e. qui erat in praefectura cohortis.

17. Quum is, qui aliquam rem agere incipit, aut eam ab extrema vel prima parte persequitur, procedere videatur ab initio, verba ipsa incipiendi, ordiendi, repetendi construuntur cum hac praepositione, quae initium ordinis rerum et primam rei partem significet.

Cic. de Leg. 1, 7, 21. *ab eo nobis caussa ordienda est potissimum.* Plin. Hist. nat. 7. praef. 1. *animal ceteris imperaturum et a suppliciis vitam auspicatur.* Cic. de Leg. 1, 6, 18. *a capite repetis, quod quaerimus.* Varro de R. R. 2, 1, 7. *ab his principibus XII signa multi numerant.* i. e. numerare incipiunt signa ab his pecudis vocabulis. Plaut. Asin. 5, 2, 41. *da, puere, ab summo. age tu interibi ab infimo da suavium.* Cic. de Senect. 14, 46. *is sermo, qui more maiorum a summo adhibetur in poculis.* Unde formula *a summo bibere*, de qua Lipsius Antiq. Quaest. 3, 1. p. 151. Plaut. Most. 1, 4, 33. *interim da ab Delphio cito cantharum circum.*

Plin. Hist. nat. 10, 16, 18. *is tradit — cornicem a cauda de ovo exire. mit dem Schwanze zuerst.*

II. 1. Haec, quae de loco et rebus dicuntur, ad tempus, ut in aliis fit, transferuntur. Atque haec duplex est ratio, in exemplis non semper distincta. Nam aut ipsum principium respicimus, aut magis perpetuitatem et temporis spatium. Primum igitur praepositione AB designatur temporis et praeteriti et praesentis et futuri certum initium et principium, a quo aliquid esse vel fieri incipiat.

Plin. Hist. nat. 18, 12, 33. *serere eos qua velis terra licet ab Idibus Octobris in Calendas Novembres.* Cic. Philip. 2, 41, 104. *ab hora tertia bibebatur.* Martial. 10, 82, 2. *a media nocte togatus ero.* Quinctil. Instit. 2, 17, 12. *ab initio.* Terent. Andr. 1, 1, 21. *rem omnem a principio audies.* Ita explicandus est Quinctil. Instit. 2, 1, 8. *si rhetor prima operis sui officia non recusat, a narrationibus statim et laudandi vituperandique opusculis cura eius desideratur.* Qui *a* explicant *post*, omnem loci sensum pervertunt. De verbis *a mane* vid. Parei Lexic. crit. p. 3. De alio usu verborum *a primo* et *ab initio* posthac loquuturi sumus. Quo differant *ab initio* et *a principio* exposuit Ch. Ernestius in Synon. p. 1.

Temporis initium saepe a rebus apparentibus vel actis denominatur. Livius 27, 2, 9. *Romani ab sole orto in multum diei stetere in acie.* Varro de R. R. 2, 1, 18. *nunc appello foeturam a conceptu ad partum.* i. e. a conceptus tempore. Cic. de Lege agr. 2, 21, 56. *infinito ex tempore, non, ut antea, ab Sulla et Pompeio consulibus.* Cornel. Att. 5, 3. *cum quo a condiscipulatu vivebat coniunctissime.* Sed falsum est, quod praepositionem in his desiderant Iustin. 12, 6, 17. *Callisthenis philosophi preces, condiscipulatu apud Aristotelem familiaris illi.* Est enim hic ablativus caussalis.

Saepe additur vocabulum *inde.*

Livius 1, 5, 5. *iam inde ab initio.* 2, 65, 7. *iam inde ab infelici pugna castrisque amissis ceciderant animi.* Alia vid. sub v. *inde.*

2. Deinde perpetuitatem temporis designamus non tantum a certo quodam initii termino exeuntes, sed simul totum spatium una comprehensione complectentes. Nos dicimus *seit.*

Cic. de Div. 1, 51, 115. *vixit ab omni aeternitate.* de Orat. 3, 2, 7. *annus primus ab honorum perfunctione.* non intelligit annum primum post honorum perfunctionem, sed primum in ipsa perfunctione. Caes. B. Gall. 8, 1, 1. *Caesar quum a superiore aestate nullum bellandi tempus intermisisset.* Clarkius et Davisius abiiciebant praepositionem: quam ut defenderet, Oudendorpius intelligebat aestatem praecedentis anni: quod ea, quae sequuntur, non admittunt. Est vero, per aestatem inde ab eius initio. Hinc dicitur *a multis annis*, *seit vielen Jahren.* Lucan. 3, 156. *multis intactus ab annis.*

3. Peculiarem usum constituunt nomina, quibus tempora humanae vitae et aetatis significantur.

Terent. Ad. 1, 1, 16. *iam inde ab adulescentia.* Cic. ad Fam.

1, 9, 67. *refero me ad mansuetiores musas, quae me maxime, sicut iam a prima adolescentia, delectarunt.* Liv. 26, 19, 3. *arte quoque quadam ab iuventa in ostentationem earum compositus.* Sueton. Dom. 12. Cic. ad Fam. 5, 8, 11. *a pueritia sua.* 10, 3, 3. Cic. p. leg. Man. 1, 1. *ab ineunte aetate.* i. e. ab extrema pueritia. de Off. 2, 13, 44. Plaut. Trin. 2, 2, 20. Iustin. 12, 14, 10. *a parvula aetate.* Cic. ad Fam. 4, 4, 15. *a prima aetate.* pro Planc. 21, 52. Tacit. Ann. 1, 4, 4. *prima ab infantia.* 2, 56, 2.

Tac. Hist. 3, 34, 1. *a primordio sui.* Liv. 4, 36, 5. *iam inde ab incunabulis imbutum odio tribunorum.* Columel. 1, 3, 5. *a primis cunabulis.* Ovid. Trist. 4, 10, 7. *viridi ab aevo.* Cic. ad Fam. 1, 6, 3. *mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus.* Plutarch. de puer. educ. 5. ἐξ ὀνύχων ἀπαλῶν. Claudian. de VI. Cons. Hon. 79. *dilectaeque urbis tenero conceptus ab ungue tecum crevit amor.* ubi vid. Burmann. Talia non temere imitanda esse, monuit Schwarzius in notis ad Tursellinum. Vid. Vorst. de Latin. falso susp. 19. p. 195.

Quod Varro de Re R. 2, 8, 2. dixisse dicitur *hic ita eductus a primo.* pro a prima aetate, id nunc correctum legitur *a trimo.* Neque huc pertinent Senec. Quaest. nat. 3, 30. *sunt omnia facilia naturae, utique quae a primo facere constituit.* et Quinctil. Inst. 1, 1, 1. *ita diligentior a principiis fiet.*

4. Haec vero aetatis hominum tempora etiam designantur nominibus personae: quod fit Graecorum exemplo per metonymiam.

Cic. p. Quint. 3, 12. *ab adolescentulo.* de Fin. 2, 30, 96. *voluntate ab adolescentulo suscepta.* ubi olim legebatur *ab adolescentia.* Acad. 2, 36, 115. *quem a puero audivi.* Plaut. Merc. 1, 1, 89. *a puero parvulo.* Cic. Tusc. 1, 24, 57. *a pueris.* Terent. Ad. 3, 4, 48. *a pueris parvulis.* Aristot. Polit. 7, 17. ἐκ μικρῶν παίδων. Columel. 1, 8, 2. *ab infante duratus.* Celsus 7, 7, 15. *qui ab infantibus id vitium habent.*

Liv. 1, 39, 6. *in domo a parvo eductum.* Terent. Ad. 1, 1, 23. *eduxi a parvulo.* Andr. 1, 1, 8. *postquam te emi a parvulo.* Cic. de Leg. 2, 4, 9. *a parvis enim didicimus.* Terent. Andr. 3, 3, 7. *per nostram amicitiam, quae incepta a parvis cum aetate accrevit simul.* Colum. 5, 6, 20. *cui ab tenero consueverunt.*

Rara haec sunt: Catull. 66, 26. *a parva virgine.* Varro de Re R. 2, 1, 13. *Itaque in bubulo pecore minoris emitis annicular et supra decem annorum, quod a bima, aut trima fructum ferre incipit.* i. e. a bima vacca.

5. Ut vidimus in loco designandó addi vocabulum *usque* vel ad continuitatem vel ad finem, quousque continuetur motus vel actio, significandum, ita fit etiam in tempore.

Plaut. Poen. 1, 2, 8. *usque ab aurora ad hoc quod diei est.* Cic. in Vatin. 8. 20. *quod augures omnes usque a Romulo decreverunt.* ad Att. 7, 8. *in qua* (concione) *erat accusatio Pompeii usque a toga pura.*

Usque ad praecedente *a* tam frequens est loquutio, ut probatione vix opus sit. Plaut. Most. 3, 1, 3. *a mane ad noctem usque in foro dego diem.* Cornel. Att. 16, 3. *ab consulatu eius usque ad extremum tempus.*

III. 1. His, quae de motu et de tempore exposuimus, cognatae sunt notiones primordii et originis. Nam id quod originem habet et esse incipit, exire ac proficisci videtur ex aliqua re. Exempla omnibus nota sunt. Ex insignioribus haec afferamus.

Caes. B. Gall. 7, 73. *huc illi stipites demissi et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis eminebant.* i. e. inde ab ea parte, qua rami erant. *von den Aesten an.*

Cic. Brut. 16, 62. *si ego me a M' Tullio esse dicerem.* de Nat. D. 2, 52, 129. *si est calor a sole.* ad Famil. 16, 19. *etiam haec levior est plaga ab amico quam a debitore.* de Offic. 2, 6, 19. *haec igitur ipsa fortuna ceteros casus rariores habet: primum ab inanimis procellas, tempestates, naufragia, ruinas, incendia: deinde a bestiis ictus, morsus, impetus.* i. e. ex inanimis. Quae Gernhardus contulit exempla diversam habent indolem.

Atque hoc modo intelligenda sunt Cic. de Fin. 5, 16, 44. *quia maius erat, quam ut ab homine videretur.* ubi aut corrigere conati sunt *ederetur*, *traderetur*, aut addere *natum* vel *ortum.*

Priscian. p. 999. (14, 6, 49.) *absque quibusdam composita a praepositione abs et que coniunctione videtur.* p. 878. (10, 2. 6.) *ab eo composita.*

2. Originis et caussae notionem, quam certo argumento distinguimus, mixtam videmus in dictione *a se*, pro *per se*, *sua sponte* posita. Graeci dicunt ἀφ' ἑαυτοῦ. vid. Duker. ad Thuc. 6, 40.

Vid. Parei Lex. crit. p. 5. Cic. de Fin. bon. 2, 24, 78. *ipsum a se oritur, et sua sponte nascitur.* ubi Goerenz. Plaut. Rud. 2, 5, 21. (urna) *a se cantat, cuia sit.* ubi alii codd. *eapse.* Columella 11, 1, 5. *itaque in Oeconomico Xenophontis — egregius ille Ischomachus Atheniensis, rogatus a Socrate,*

utrumne, si res familiaris desiderasset, mercari villicum tam quam fabrum, an a se instituere consueverit: ego vero, inquit, ipse instituo. Gronovius emendandum censuit *ipse.* Plaut. Menaech. 1, 2, 66. *mane, mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit.* quod ne cum Lambino explices, *domo sua*, vide Meursii Exercit. crit. c. 1. p. 145. et Bothium ad h. l. Cf. Vorstius de Latin. falso susp. 19. p. 197. Livius 44, 33, 6. *alios ab se adiicientes plus eo, quod imperatum sit, alios minus facere.* i. e. suo instinctu, de sua voluntate: nisi malueris, de suo, ex sua parte. Sic Terent. Hec. 1, 2, 70. *narratque, ut virgo ab se integra etiam tum siet.* i. e. ex sua parte.

3. Singulari notatione non indignae videntur esse dictiones, quibus tota et universa res ab extrema, qua incipit, parte describitur: *ab stirpe, ab radice, ab fundamento* et aliae.

Sallustius Cat. 10. *Carthago aemula imperii Romani ab stirpe interiit.* Livius 34, 2, 3. *virorum omne genus in aliqua insula coniuratione muliebri ab stirpe sublatum esse.* Virgil. Georg. 1, 318. *omnia ventorum concurrere proelia vidi, quae gravidam late segetem ab radicibus imis sublime expulsam eruerent.* Sed Georg. 1, 20. *et teneram ab radice ferens, Silvane, cupressum.* i. e. quae tota est tenera. Burmannus male explicuit: recisam a stirpe. Livius 26, 13, 16. *Albam — a fundamentis proruerunt.* Non diverso sensu, sed in alia metaphora Sallustius Iug. 14, 3. *Iugurtha — Masinissae me nepotem, utique ab stirpe socium atque amicum populi Romani, regno fortunisque omnibus expulit.* i. e. ex stirpe, cum omni genere, vel inde ab avo. Cortius edidit *et iam ab stirpe.* Vide Cort. in notis ad h. l.

Cic. in Verr. 1, 56, 147. *unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo.* Virg. Ecl. 4, 5. *magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.*

IV. 1. Originis notio quum verbis, quae motum significant, in re ex alia re profecta designetur, eadem ratio etiam ad caussam significandam pertinet. Atque Latini distinguunt caussam, qua aliqua res aliqua re efficitur et hac quidem ratione ex ea pendet, et caussam, quae in actione hominum posita est. Hanc enim eo modo comprehendunt, quatenus res a parte agentis movetur vel constituitur, et inde oriri vel proficisci videtur. Dicunt igitur simplici ablativo *fieri aliquid aliqua re*, sed addita praepositione *fieri aliquid ab aliquo homine.* Cuius distinctionis ratio, nisi fallor, in eo

cernitur, quod, si quid ab homine fit, eius actio ad illam rem dirigitur, neque inter rem factam et actionem, quam voluntas modulatur, nexus necessarius intercedit, sed caussa ab ipsa persona ad rem delata videtur. Caussa autem in re posita nectitur cum re, quam efficit, proxime, eique inhaeret. Quum igitur dico, *peccatur a me*, proprie id significat, peccatur ex mea parte, ut Terentius Heaut. 1, 1, 106. *peccatum a me maximum est.* Atque ea, quam lingua Latina diversis formis expressit, ratione philosophi nostri distinguunt caussam rerum moventium a caussa in voluntate posita: de qua re subtiliter disseruit Schopenhauerus in libro: *über die vierfache Wurzel des Satzes vom zureichenden Grunde* p. 105.

Grammatici docent, quamquam in reliquis, quae ab hominibus agi vel fieri dicantur, ubique praepositio ponatur, id non attinere ad participia verborum nascendi, *natus, genitus, ortus, satus*, quae simplici ablativo iungantur. Vid. Zumptii Gramm. 451. Quid Ramshornius sibi voluerit in contraria, ut videtur, sententia p. 271, non satis expedio. Illi vero non exponunt, quo pacto haec sola participia ab universo usu recedant, quum ceterae horum verborum formae cum praepositione construantur: veluti Cornel. Att. 18, 3. *notans, qui a quo ortus*, intell. *ortus sit.* Cic. post Redit. 2, 5. *a parentibus, id quod necesse erat, parvus sum procreatus, a vobis natus sum consularis.* de Offic. 2, 5, 16. *sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non hominibus ab homine nascatur.* Caussam igitur quaeramus in ratione, qua Latini, quum *patre Marte natus* dicebant, non ad ipsam gignendi actionem vel voluntatem respiciebant, sed cogitabant eum, qui Martem patrem haberet. Ubi ipsam genituram voluissent, etiam participio addidissent praepositionem. Itaque nihil differunt formulae *amplissima familia natus* Caes. B. G. 7,37,1. et *Amazone natus* Ovid. Met. 15,552.

In Cornel. Att. 1. 1. *Titus P. Atticus ab origine ultima stirpis romanae generatus.* Lambinus et Graevius aliique abiiciendum esse existimarunt voc. *generatus*, quod nisi sit genere descendens, defendi vix potest. Nam quae Bremius de vi praepositionis affert, quasi ea longum recessum denotet, nullum habent argumentum.

Contrarium exsistit, ubi cessat voluntas, neque is, cuius caussa aliquid fit, personam agentis tenet. Tunc ablativum ponunt sine praepositione.

Iuvenal. 1, 13. *assiduo ruptae lectore columnae.* Agentis esset *a lectore.*

Poetae interdum sua licentia utuntur in omittenda praepositione. Ovid. Met. 1, 747. *nunc dea linigera colitur celeberrima turba.* Her. 12, 161. *deseror coniuge.* vid. Ruddimann. p. 212. not. Burmann. ad Ovid. loc. et ad Phaedr. 1, 21, 3. Et sunt aliqua exempla in prosaicis scriptoribus recentioris aevi, quae frustra in antiquioribus quaeras. Tacit. An. 3, 20. *donec desertus suis caderet.* Senec. Contro. 2, 9. p. 167. Gron. *tunc et contra Maximum Stertinium, quo premebatur — dixit.*

Ubi tamen res *ab aliqua re* vel *esse* vel *facta esse* dicitur, triplex est conditio. Primum enim caussa ex aliquare desumpta et interposita dicitur ita, ut magis occasio originis spectetur, et modus, qui rem istam ex sua parte moderetur. Dicuntur quidem delicta puniri poenis et legibus, quae ipsa legum vindicta puniantur: sed quum Tacitus Ann. 3, 69. ait *a legibus puniri delicta*, voluit puniri delicta ex legum ratione, secundum leges. Alia exempla huius generis, saepe a grammaticis improbata, haec sunt:

Sallust. Iug. 31. *nam illa quidem piget dicere — uti vobis animus ab ignavia et socordia corruptus sit.* i. e. quam corruptus sit animus caussis ab ignavia et socordia profectis. Liv. 4, 31, 9. *eoque ipso ab re male gesta perculso.* Cic. Orat. 57, 195. *ut ab altero non delectere, alterum oderis.* i. e. ab altera parte poematis. Nam discrimen, quod Bremius ad Cic. de Fin. 1, 7, 14. constitui voluit, ex quo *delectari ab aliqua re* dicatur de re praesenti, *delectari aliqua re* de rebus absentibus, omni ratione et usu destitutum est.

Ovid. Ars am. 1, 377. *haec a concubitu fit sedula, tardior illa.* Heinsius explicuit: post concubitum. Est vero propter concubitum, ut recte Lennep. ad Heroid. 2, 86. Heroid. 10, 16. *utque erat a somno turbida, rapta coma est.* quod etiam bene cepit Lennepius: non ipso somno, sed per somnum.

Haec, quae diximus, bene senserat, at non satis perspexerat Sanctius, quum in Minerv. 3. 4. p. 551. Bau. contenderet, passivum verbum nihil praeter suppositum desiderare, et *ab* praepositionem cum nomine compositam significare *a parte*. Quod Perizonius et Bauerus tantum aberat ut corrigerent et supplerent, ut absurditatem, quam huic sententiae inesse putabant, alienis argumentis refutare conarentur, et diversis rebus confusis ab ipsa veritate aberrarent. Sanctius quidem, in ista sententia inhaerens, imprudenter dissimulavit, quo modo intelligeretur apud Cic. ad Fam. 6, 5. *liber tuus legitur a me diligenter:* quare explicuit inepte: legi-

tur per meos. Et ita alia. Quae contra Sanctium Perizonius et Ursinus disputarunt, in quibus etiam Ruddimannus acquievit p. 209. T. 2., non ipsam rem tangunt, sed argumenta tantum allata. Discrimen enim erat demonstrandum, quod inter caussam et efficientiam intercedit.

Deinde aliquid *ab aliqua re* fieri dicitur, ubi res persona induitur et aliquid agere dicitur, instar hominis arbitrio agentis. Quamquam nonnulla, quae huc referantur, exempla etiam explicari possunt per verba *a parte*, *ex*.

Cic. de Offic. 1, 29, 103. *ita generati a natura sumus.* Cic. ad Fam. 13, 10. *Satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.* quod tamen esse potest, a parte moris. Vid. Beier. ad Cic. de Off. 1, 44, 155. Ovid. Fast. 5, 709. *pectora traiectus Lynceo Castor ab ense.*

In Cic. de Offic. 5, 2, 7. *omnis enim, quae a ratione suscipitur, de aliqua re institutio debet a definitione proficisci.* sive cum Heusingero prosopopoeiam statuas, sive cum Goerenzio explicueris, a parte, ut opponatur experientia, quod ipsum non verbis expressum est, sive cum Gottlebero, secundum rationem, tibi ipsi non satisfacies reputans logicae istius formulae usum. Quare probabis demonstrationem Beieri, qui praepositionem iusta de caussa omisit. Eadem iam olim Graevii sententia erat. vid. Friedemann. Miscell. crit. II. 1. p. 165.

Denique in conspicua rerum expressione, quam poetae maxime in carminibus usurpant, saepe rerum nominibus praepositio, quam abundare vulgo dicunt, eo quidem modo additur, ut res, qua aliquid factum est, ex altera parte apposita, non tam caussam, quam originem exhibeat, atque ita magis appareat, unde aliquid ortum, quam qua re factum sit, instrumentum magis quam caussa. Saepe explicari id potest: *per*, *ope* vel *auxilio*. Et ubi ad rem ipsam spectas, facile concesseris, si quis, poeticam dictionem non curans, praepositionem in his abundare contenderit. Inter poetas Ovidius hac forma frequentissime utitur.

Ovid. Art. am. 1, 509. *Minoida Theseus abstulit, a nulla tempora comptus acu.* Propert. 3, 25, 5. (23, 25.) *nil moveor lacrimis; ista sum captus ab arte.* Ovid. Trist. 2, 421. *neve peregrinis tantum defendar ab armis.* Lucanus 4. 153. *gelidos a gurgite cursu restituunt artus.* 2, 498. *calida proiatus ab*

ira. Ovid. Met. 14, 345. *Poeniceam fulvo chlamydem comprensus* (vel *contractus*) *ab auro.* 11, 130. ex Pont. 2, 7, 79. 3, 5, 45.

Magis id apparet in verbis neutris et in iis locis, ubi non primaria caussa appellatur, sed intercedens. Catullus quum dixit 64, 276. *purpureaque procul nantes a luce refulgent.* alio modo eamdem rem cepit atque Ovidius, qui Fast. 6, 252. dixit, *laetaque purpurea luce refulsit humus.* nam quae luce refulget humus vel aqua, etiam refulget propter lucem vel per lucem in aquam et terram iactam.

Sunt verba, quae in hoc usu certas formulas constituunt, et pro adverbiis ponuntur. Neque aliter Graeci, veluti ἀπὸ σπουδῆς, ἀπὸ τοῦ προφανοῦς i. e. palam. vid. Fischer ad Vell. 3. 2. p. 110.

Tibull. 2, 1, 55. *agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti primus inexperta duxit ab arte choros.* 1, 5, 3. *turben, quem, celer assueta versat ab arte puer.* 1, 9, 66. Silius 3, 278. *falcatus ab arte ensis.* Ovid. Fast. 2, 764. *quique aderat nulla factus ab arte decor.* Trist. 2, 461. *docetque, qua nuptae possint fallere ab arte viros.*

2. Cum verbis neutris praepositio componitur eadem ratione. Indicatur enim praepositione res, per quam aliquid ita, ut dicitur, se habeat, aut unde sit, quod est. Atque haec verba reconditam in se habent significationem passivam.

Cicero de Nat. deor. 2, 55, 138. *Nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab eo spiritu.* Acad. 2, 23, 105, *quodque nunc, quia a sole collucet, albescit.* Ovid. Fast. 5, 323. Plinius Hist. nat. 24, 5, 10. *capiti cum polenta* (imponuntur), *si a sole doleat.* Lucanus 7, 503. *calet inde nocens a sanguine ferrum.* Ovid. Met. 2, 602. *utque animus tumida fervebat ab ira.* Fast. 2, 776. *a vento, qui fuit, unda tumet.* 1, 215. Art. am. 1, 724.

Cic. Acad. 1, 7, 29. *nihil enim valentius esse, a quo intereat.* de Offic. 2, 8, 26. Ovid. ex Pont. 3, 3, 46. *discipulo perii solus ab ipse meo.* Lucan. 2, 264. *quis nolet ab isto ense mori.* Valer. Flacc. 7, 484. *an me mox merita morituram patris ab ira dissimulas?* vid. Oudendorp. ad Suet. Oth. 5. Heusinger ad Cic. Offic. 1, 2, 12. Bremius ad Cornel. de regib. 3, 3. Alio sensu dicitur *ab re perire*, ut infra demonstrabimus. Ovid. Met. 13, 597. *occidit a forti, sic vos voluistis, Achille.* 5, 191. *magna feres tacitas solatia mortis ad umbras, a tanto cecidisse viro.* vid. Burmann. ad Ovid. Met. 5, 192. et ad

Lucan. 2, 263. Valer. Flacc. 8, 317. *victus cecidisset ab hasta.* Conf. Ruddimann. p. 211. T. 2. qui quo iure hunc usum ad s.. los poetas referat, exemplis a me prolatis intelligitur.

Hic iterum commemorari potest dictio *esse ab aliqua re*, quam supra ad aliam rationem referri posse diximus.

Cicero de Nat. deor. 2, 52, 129. *si est calor a sole.* Epist. ad Fam. 9, 16, 19. *etiam haec levior est plaga ab amico quam a debitore.*

3. Ita etiam cum adiectivis componuntur nomina praefixa praepositione, qua indicatur, per quam rem aliqua conditio orta fuerit.

Plinii Hist. nat. 17, 2. *aquilone maxime gaudent, densiores ab afflatu eius.* Sallust. Hist. I. p. 934. Cort. *quae a paludibus invia fuit.* Catullus 63, 63. *uvidulam a fletu.* Propert. 4, 1, 126. *murus ab ingenio notior ille tuo.* vid. Lachmann. ad 4, (3.) 1, 9. Ovid. Met. 3, 571. *ab obice saevior ibat.* Trist. 4, 3, 26. *tempus et a nostris exige triste malis.* Propert. 1, 16, 14. *supplicis a longis tristior excubiis.* ita enim restituendum est. In his autem exemplis apparet propria praepositionis vis: nam indicat ea occasionem mediam, non proximam caussam, quae exprimitur his: *tristis excubiis, tristis malis meis.* Sed Lucanus 4, 133. *gelidosque a gurgite cursu restituunt artus.* intellige gelidos factos. Alia vide apud Ruddimannum 2. p. 267. In Ovid. Met. 3, 566. *acrior admonitu est.* non elegantiorem vocaverim cum Burmanno scripturam *a monitu.*

Peculiari modo per ellipsin dixit Lucretius 4, 1162. *at gemina et mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho.* i. e. quae mammosa est facta sugente magno Baccho.

4. Interdum etiam cum activis verbis nomina, quibus adhaereat praepositio AB, poni, eaque caussam significari, per quam aliqua res efficiatur, vel qua ope aliquid fiat, id in regulis grammatici docent. Sed exempla, in quibus ipsam caussam proximam, non occasionem vel caussam deductam intelligamus, pauca sunt in prosaicis scriptoribus, et dubia, neque ab elegantia commendanda. Graeci saepius ita loquuti sunt. Sophocl. Aiac. 470. πεῖρά τις ζητητέα τοιάδ', ἀφ' ἧς γέροντι δηλώσω πατρί, μὴ etc.

Brutus in Epist. ad Cic. 11, 10, 2. *tu enim a certo sensu et vero iudicas de nobis.* i. e. secundum. Livius 30, 6, 1. *ab*

eodem errore credere et ipse sua sponte incendium ortum. i. e. eodem errore, quo etiam milites in regiis castris incendium sua sponte ortum putaverant. Tacit. Agr. 45. *rubor, a quo se contra pudorem muniebat.* ubi omnes post Lipsium eiecerunt praepositionem. Petronius 128, 3. *numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaeco?* 75, 4. *librum ab oculo legit.* quod intelligo hoc modo: puer in legendo tam versatus est, ut non opus habeat voce, sicuti parum exercitati, sed tantum oculis. Dictys Cret. 6, 5. *ubi per Cyclopa et Laestrygona fratres multa indigna expertus ad postremum ab eorum filiis Antiphate et Polyphemo plurimos sociorum amiserit.*

Poetae inferioris aevi elegantiam quaesiverunt in hac praepositione temere addita. Priscian. Prognost. 435. *si matutino fringilla resultat ab ore.* Carm. de tabula orbis terrae 6. Poet. minor. T. 5. p. 537. *Theudosius princeps venerando iussit ab ore.* In Ausonii Epigram. 2, 6. olim legebatur: *mirantur casusque novos subitasque ruinas, quas ferat a celeri vulnere dextra valens.* Nunc editum est *quaeritur et fallit lumina plaga recens.*

Quod afferunt Cic. de Div. 2, 45, 94. *quis enim non videt et formas et mores et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos.* in eo concisa est oratio pro: a parentibus desumptos. In Liv. 32, 14, 6. *quia ab satisfaciendi quoque cura imperata enise facere videt.* intellige propter satisfaciendi curam. 32, 17, 4. *renuntiata haec legatio ab indignatione simul ac desperatione iram accendit.* i. e. a parte indignationis. Cic. pro Mil. 21, 56. *adde casus, adde incertos exitus pugnarum Martemque communem, qui saepe spoliantem iam et exsultantem evertit et perculit ab abiecto.* Garatonius quae adhibet ad defendendum hunc usum, Graecum illud ὑπὸ χεροί, et locus Cic. de Leg. 3, 16, 35. *cui ne reditus quidem ad bonos salutem a bonis potuit afferre*, et dictiones *pecuniam solvere, legare ab aliquo*, ut intelligatur *a manu abiecti*, utpote aliena nihil probant, neque inanis erat dubitatio, qua Schwarzius ad Tursellinum unum aliquod huius significationis exemplum desideraret. Schwarzius enim vidit depulsionem potius intelligi debere, quam caussam propulsionis, et explicuit: propulsavit, depulit ab abiecto: quo nihil falsius esse opinabatur Garatonius. Tamen unicum hoc verum esse arbitror. Mars enim saepe spoliantem iam evertit et ab abiecto, cui iam incubuerat, depulit. Petronius 107, 9. *si gratiam a legato moliebantur, quid ita omnia fecisti, ut, quos tuebaris, absconderes?* i. e. *a parte legati.* Alii explicuerunt: per legatum. Propert. 3, 11, 33. *et duo in adversum misit per moe-*

nia currus, ne possent tacto stringere ab axe latus. non est, axe tacto, sed ex parte, qua tangeretur axis.

5. Quod intercedat discrimen inter vocabula AB et PER, quorum illud caussam originis, hoc instrumentum caussae significat, id intelligitur ex his exemplis:

Cornel. Nep. Alcib. 5, 4. *ab hoc destitutus, primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu recipitur.* i. e. Thrasybulo auctore et monitore. Cicero pro Rosc. Am. 29, 80. *quid ais: vulgo occidebantur? per quos? et a quibus?* Ernestius interpretatur: per sicarios? ab iis, qui sicarios mercede conductos immittunt? Male quidem. Occidebantur enim per adversarios aut avaros inimicos, sed a sicariorum manu. Aliud esset, si Cicero scripsisset activo verbo praemisso: *occidebant, a quibus et per quos?* quod est: quorum iussu, et quorum per manus interfecti? Cic. Timae. 6. de mundo: *ita se ipse consumptione et senio alebat sui, quum ipse per se et a se et pateretur et faceret omnia.* i. e. per suas vires et ex se suoque instinctu. Neque vero huc pertinent, quae Schwarzius ad Plinii Pan. p. 452. contulit, caussae notionibus confusis. Nec tamen, uti fit in vulgari sermone, Latini semper id accurate distinxerunt. Metellus quum Ciceroni Epist. 5, 1, 1. scripsisset: *existimaram nec absentem ludibrio laesum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri.* Cicero Epist. 2, 13. respondit: *quod scribis non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum a me oppugnari.* ad Fam. 3, 11. *de mercenariis testibus — nisi iam aliquid factum est per Flaccum, fiet a me.* Vid. Fr. Reizius de Ambiguis p. 3. Perizonius ad Sanctii Minerv. 3, 4. p. 549. edit. Bauer. Ruddimann. 2. p. 212. not.

6. Ubi iis verbis, quae in activo requirunt praepositionem AB, in passivo positis nomen rei aliquid efficientis additur per hanc eamdem praepositionem, facile ambiguitas exoritur, veluti apud Ciceronem de Offic. 2, 16, 56. *qui captos a praedonibus redimunt.* 2. 17, 58. *si postulatur a populo.* et apud Plin. Pan. 88, *per hos praeturae etiam et sacerdotia et consulatus, immo et ab his petebantur.* Quare boni scriptores, quantum fieri potuit, caverunt, ne in tali constructione personam, a qua aliquid factum esset, notarent praepositione, sed hominem et rem, unde aliquid arcessitum aut impetratum esset.

Hoc modo Sallustius Fragm. lib. 1. p. 937. Cort. *nam quid*

a Pyrrho, Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum est aliud quam libertas? ubi vid. Dousa. Caesar B. Civ. 1, 6, 8. *pecuniae a municipiis exiguntur.* Cic. ad Att. 1, 15. *nullae mihi abs te sunt redditae litterae.* Livius 26, 39, 10. *recuperata urbe ab Romanis.* i. e. qui eam obtinebant. Iustin. 43, 5, 9. *a quibus redemptam pacem cognoverant.* Vid. Sciopp. Infam. Fam. p. 134. 136. Vorst. de Latin. mer. susp. c. 12. Cellar. Antibar. 5. p. 225. Reizius de Ambig. p. 3. Ruddimann. p. 213. T. 2. not.

Quae ab hac prudentia abhorreant, pauca sunt et recentiora. Suetonius de Gramm. 19. *Scribonius Aphrodisius, Orbilii servus atque discipulus, mox a Scribonia — redemptus.* Quinctil. Declam. 344. *redempta meretrix a divite.* Tacit. Hist. 3, 34. In Curt. 3, 12, 16. *Libertatis quoque in admonendo eo non alius ius habebat: quod tamen ita usurpabat, ut magis a rege permissum, quam vindicatum ab eo videretur.* quo minus cum Scheffero intelligas ius ab Hephaestione vindicatum, sed a rege sibi arrogatum, ipsum pronomen impedit. Facilior est usus, ubi ambiguitas ipsa re excluditur. Caes. B. Civ. 1, 23. *sestertium sexagies quod advexerat Domitius atque in publicum deposuerat, allatum ad se a duumviris Corfiniensibus, Domitio reddit.* Sic etiam in B. Gall. 2, 16. in Curt. 6, 10, 3. quae affert Ruddimann. In Caes. B. Civ. 1, 74, 4. dubia est lectio.

Ant. Nebrissensis in Grammatica p. 93. b. negat futura infinitivi passivi ablativum cum praepositione *ab* habere, nisi is ablativus in plurali positus sit: recte igitur dici *spero me amatum iri ab omnibus*, non autem *spero me amatum iri a deo.* Quam sententiam, omni ratione destitutam, exemplis refellit Ruddimannus p. 210. T. 2.

7. Caussam, quae cernitur in impulsione et in oblata occasione, designant Latini hac praepositione, quae reddi potest per *propter*, vel *ex*. Nos *aus* et *von wegen*, Graeci ἀπὸ et ἀπὸ – ἕνεκεν. Idem interdum simplici ablativo expressum videmus.

Livius 40, 13, 9. *quo deinde modo, si te metu mortis credebam coenam evitasse meam, non ab eodem metu comissationem quoque evitaturum existimabam?*

Seneca de Clem. 1, 20. *a duabus caussis punire princeps solet, si aut se vindicat aut alium.* Ita codices: vid. Gronov. ad h. l. Sic explicandum Livii 5, 28, 7. *ibi eum, incomposito agmine negligentius ab re bene gesta euntem, adorti Aequi in proximos compulere tumulos.* 3, 61, 18. Ita 5, 44, 6.

nunc a secundis rebus magis etiam solito incauti. 1, 31, 4. *Romanis quoque ab eodem prodigio novemdiale sacrum publice susceptum est.* 32, 14, 8. *ab eodem consilio et plerique Epirotarum voluntarii inter auxilia accepti.*

Balbus apud Cic. ad Att. 9, 6. *haec quam prudenter tibi scribam, nescio: sed illud certe scio, me ab singulari amore ac benevolentia, quaecumque scribo, tibi scribere.* Livius 39, 49, 5. *cognitumque primum a verecundia memoriaque meritorum haud secus quam ducem suum attollunt reficiuntque.* i. e. verecundia commoti. 30, 36, 9. 36, 24, 7. *non tam ab ira, nec ab odio, quam ut miles — aliquo tandem loco fructum victoriae sentiret.* 6, 4, 8. 37, 43. extr. 10, 31, 6. *illinc ab ultima iam dimicantibus spe.*

Livius 24, 30, 1. *tanto ardore militum est usus ab ira inter conditiones pacis interfectae stationis, ut primo impetu urbem expugnarent.* Ibi olim legebatur *ob iram.* Tacit. Hist. 4, 72. *Cerealis a metu infamiae — pressit iras.* Ita bene restituit Ernestius. Curtius 5, 4, 1. *sed vates quoque adhibere coepit a superstitione — animi.* ubi cod. Bong. omittit *a.* Vd. Rhenanus et Gebhard. ad Liv. 4, 31, 9. Gronov. et Drakenborch. ad Liv. 5, 5, 3. 24, 30, 1. 26, 1, 3. Cortius ad Cic. Epist. 13, 10, 1. De verbis *ab ira, a spe, ab odio* Drakenb. ad Silii Ital. 11, 246. et ad Liv. 2, 14, 3. 24, 30, 1 et 26, 1, 3.

Cic. de Leg. 1, 11, 31. *nam et voluptate capiuntur omnes: quae etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturali bono. Levitatis est enim, et suavitate delectans. Sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur.* Ita hic locus constituendus mihi videtur. Sed quum Schwarzius ad Tursell. *ab* cum verbo cohaerere dixisset, Ernestius, id reprehendens, explicuit *propter:* et quum Davisius coniecisset legendum esse, *sic ea errore mentis — adsciscitur,* negavit Moser dici posse *adscisci errore.* Omnia haec falsa sunt. Nam dici poterat *errore adscisci,* uti proximum *simili inscitia fugitur:* et dixit Cic. pro Sext. 9, 22. *errore hominum ab adolescentia commendatum.* Sed *ab errore mentis* eo modo Cicero usurpavit, quo Livius 30, 6, 1. de quo antea p. 29. extr.

Ablativi simplicis exempla in hoc usu non adeo rara inveniuntur, sicuti Zumptio in Gramm. 454. visum est. In Plauti Trinum. 3, 2, 54. *sed tu obiurgans me a peccatis rapis deteriorem in viam.* non probanda est interpunctio a Bothio facta, ut sit, obiurgans me propter peccata.

In Cic. Verrin. 2, 28, 69. *accusatores inimicosque eius habere in animo pecuniam praetori dare: praetorem tamen*

absolute malle accipere. emendarunt Lambinus et alii *ab salute:* quod Ernestius explicat, ob salutem, ab ea parte, quae salutem petit: Schützius autem, ab ea parte, quae absolveretur iudicio: quod uno vocabulo salutis non expressum est. Legendum mihi videtur, *praetorem tamen ab absoluto malle accipere,* i. e. ab eo, qui iudicio absolutus esset.

Non mutatur haec ratio, ubi res, quae caussam et occasionem praebet, in ipso actionis consilio ac fine posita est, velut explicari possit *ab irrisu* per, ad irrisum.

Livius 7, 10, 5. *adversus Gallum stolide laetum et linguam etiam ab irrisu exserentem producunt.*

8. In his considerari debet discrimen, quo praepositiones *ab* et *de* distinguantur. Ratio eius in promptu est. „A et *de* differunt: *a* nota est agentis, *de* est nota obiecti.“ Goclenius in Problem. Gram. 3. 42. Plinius Epist. 4, 7, 7. *credas non de puero scriptum, sed a puero.* „Ausonius in Commem. Profess. 1, 12. *teque canam de te, non ab honore meo.* versui tantum consulere voluisse videtur.“ Reizius in Miscell. Observ. T. 10. p. 127. Vid. Hekelius ad Auson. Popm. de differ. p. 1. Goerenz. ad Cic. de Fin. 4, 16, 45.

V. 1. Ab usurpatur in parte alicuius rei designanda, atque ipsa ratio, quae inter totam rem eiusque partem intercedit, ita exprimitur, ut pars ex universa re desumpta vel deducta videatur. Non multa sunt exempla: vulgo enim dicitur *ex.*

Caesar B. Gall. 2, 25, 1. *nonnullos ab novissimis desertos proelio excedere:* et paullo post: *scuto ab novissimis uni militi detracto.* Livius 42, 60, 1. *cecidere eo die ab Romanis ducenti equites.* Ad haec Schaeferus: „Graecorum παρά cum genitivo, pro quo librarii saepe dativum substituerunt.“ Sed illud Livii potest etiam explicari, a parte Romanorum, *auf Seiten der Römer.* Curtius 4, 4, 7. *prima a Macedonum navibus quinquerémis velocitate inter ceteras eminens occurrit* ubi alii codd. *e.* In Valer. Max. 4, 5. ext. 2. restituendum est e codicibus. *ferunt hinc unum a Lacedaemoniis dixisse.* Cic. pro Sext. 65, 137. *deligerentur autem in id consilium ab universo populo.* Ernestius cum Graevio coniecit *ex universo populo*, sed iure defendit Garatonius illud. Similiter Graeci γαμεῖν ἀπ' ἐσθλῶν et ἐκ γενναίων. vid. Elmslei. ad Eur. Heracl. 300.

Formula vulgari sermone composita videtur inesse in verbis

Plinii H. N. 13, 15, 29. *Venumdatae sunt et duae a Iuba rege pendentes.* i. e. ex bonis Iubae. Cf. Oudendorp. ad Sueton. Claud. 9. p. 575.

2. Quod critici multi exemplis non semper accurate distinctis docuerunt, praepositionem AB pro genitivo poni, et eamdem periphrasin effici, quam in Graecorum ἀπό illustraverunt Heinrich. ad Musae. p. 52. Graefius ad Meleagri Epigr. 1, 11. et in vernacula lingua plurimi grammatici tamquam ineptam genitivi explanationem reprehendunt, id in aliquibus locis, praesertim in poetis, quodammodo probari potest. Nam quae alicuius sunt, etiam dici possunt esse ab aliquo. In plurimis autem, quae afferuntur, exemplis aut verbum aliquod mittendi et res alicunde profecta vel desumpta intelligitur, aut *ab* explicari debet *a parte*, de quo posthac dicemus. Ubi vero haec praepositio nominibus addit notionem istam attributivam, semper cum suo nomine ei verbo, cui additur, praecedit. Attamen poetae hanc legem repudiant.

Lucret. 1, 934. *id quoque enim non ab nulla ratione videtur.* i. e. nullius rationis. Terent. Eun. 3, 5, 9. *adibo, atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.* Donatus ibi: *eius gratiam merebor.* Andr. 1, 1, 129. *ea primum ab illo animadvertenda iniuria est.* i. e. quam ille fecit, vel ex illius parte. Quae Cortius ad Cic. Epist. 3, 13, 2. et ad Sallust. Iug. 31, 1. collegit, varii sunt generis. In Livii 3, 48, 5. *ibi a lanio cultro arrepto.* Drakenborchii alteram interpretationem, *lanii cultro*, non prorsus reprehenderem, nisi ea ob voc. *arrepto* dubia esset.

Virgil. Georg. 2, 243. *dulces ab fontibus undae.* Lucretius 2, 50. *neque fulgorem reverentur ab auro.* 1, 720. vid. Weitz. ad Valer. Flacc. 5, 243.

Livius 1, 21, 8. *Mettus Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat.* quomodo alia in structura supra vidimus *principes a Cora.* 22, 37, 1. *per eosdem dies ab Hierone classis Ostiam cum magno commeatu accessit.* 38, 21, 2. *ante signa modico intervallo velites eunt et ab Attalo Cretenses sagittarii.* 42, 48, 7. Cic. Bell. Afric. 34, 4. Fortasse etiam huc pertinet Liv. 10, 14, 3. *ab Sutrio et Nepete et Faleriis legati.* 44, 14, 5. *ab Rhodiis legati auditi sunt.* quamquam in ipso nomine legatorum inest, quo nomen regatur. In 27, 5, 6. *honores omnibus ad exsolvendam fidem a consule.* Gronovius explicat fidem consulis, sed est a parte consulis, quod aliquantum differt.

Livius 37, 45, 4. *caduceator ab Antiocho.* 2, 2, 7. *his litteras ab Tarquiniis reddunt.* In his intelligimus *missas.* Vid. Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 5, 54. p. 278. ad B. Civ. 1, 1. p. 520. Drakenborch. ad Liv. 28, 9, 1. et ad 42, 48, 7. Cort. ad Plin. Epist. 4, 22, 4. Caesar B. G. 5, 54, 5. *tantum se eius opinionis deperdidisse, ut a populo Romano imperia perferrent.* sunt imperia a populo Romano profecta. Alii codices *populi Rom. imperia.* Vid. not. Oudendorp. Ovid. Met. 8, 410. *obstitit esculea frondosus ab arbore ramus.* explicationem in versum receperunt tres libri *abscisa.* Omissa praepositione Virgil. Aen. 6, 187. dixisse putant: *si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat nemore in tanto.* Sed intellige potius *in arbore.*

Livius 27, 14, 3. *sinistra ala ab Romanis et cohortes — in prima acie pugnabant et legio vicesima.* non est, ut volunt, Romanorum ala, sed a parte Romanorum, ut 37, 23, 7. *ab regiis sinistro cornu.* 3, 22, 2. *bellum ingens a Volscis et Aequis Latini atque Hernici nuntiabant.* Vd. Drakenborch. ad Liv. 37, 23, 7. Ita etiam Sallustius intelligendus Iug. 31, 1. *multa me dehortantur a vobis.* i. e. ex vestra parte.

Livius 4, 22, 6. *intentisque Etruscis ad vanas a certo periculo minas clamor supra caput hostilis captam urbem ostendit.* Fortasse intelliget aliquis periculi minas. Sed oratio est concisa brevitatis caussa. Intenti enim erant Etrusci ad vanas minas, tamquam a certo periculo profectas.

3. Formula *esse ab aliquo*, quae significat *alicuius esse*, duplicem admittit explicationem. Nam qui alicui additus et deditus est, eum ab illius parte stare dicimus. Sed probabilior videtur sententia, qua eum alicui adiunctum et ab eo profectum putemus: id quod expressit Cicero de Leg. 3, 6, 14. *Heraclidesque Ponticus profectus ab eodem Platone.* Vid. Heusinger. ad Cic. Off. 3, 33, 3. Haec sententia etiam Beiero fuisse videtur, quum ad Cic. de Off. 3, 33, 116. formulam ad auctores scholarum et ad ortum referebat cum Schützio et aliis. Usurpatur enim haec dictio maxime in discipulorum et sectatorum nominibus, et de familia vel servis.

Cic. pro Mur. 30, 63. *nostri illi a Platone et Aristotele, moderati homines et temperati, aiunt.* οἱ ἀπὸ Πλάτωνος. vid. Schaeferi Meletem. p. 27. Quinctil. 4, 2, 31. *plerique scriptores, maxime qui sunt ab Isocrate.* ubi vid. Burmann. p. 326. Cic. de Fin. 4, 3, 7. *et Zeno, et ab eo qui sunt.* ubi

Goerenz. Tusc. 2, 3, 7. *quid enim dicant et quid sentiant ii, qui sunt ab ea disciplina, nemo mediocriter quidem doctus ignorat.*

Plaut. Curc. 3, 82. *credo hercle te esse ab illo.* Terent. Andr. 3, 1, 3. *ab Andria est ancilla haec.* Vid. Palmeri Spicileg. ad Terent. p. 830. T. 4. Gruter. Lamp. Sciopp. Lect. susp. 1, 17.

Plaut. Mil. glor. 2, 2, 5. *quemque a milite hoc videritis hominem in nostris tegulis extra unum Palaestrionem, hac deturbatote in viam.* Pseud. 2, 2, 22. *esne tu, an non es ab illo milite Macedonio.* i. e. ex militis familiaribus. In Bacch. 3, 5, 3. *si a me tetigit nuntius.* quamquam verborum sensus est: si meus nuntius pervenit, *wenn der Bote von mir ihn getroffen hat*, tamen intelligas nuntium a me missum. Sicuti Cic. ad Att. 2, 12. *ibidem ilico puer abs te cum epistolis.* Similia sunt his, quae supra p. 17. posuimus.

In Cic. de Off. 3, 33, 116. *ab Aristippo Cyrenaici atque Annicerii philosophi nominati.* Beierus hanc rationem non agnoscit, ne superflua addantur verba *philosophi nominati.* Accipit igitur pro Graeco παρά, intelligens philosophos, qui Cyrenaicorum ab Aristippo nomen repererint. An vero Cicero ita loquutus fuerit, vehementer dubito, neque inanem existimaverim suspicionem, quam Heusingerus in addita ista verba conferre conatus est.

II. I. 1. Altera, cui exprimendae praepositio AB inservit, notio est remotionis. Ea autem duplicem habet rationem, qua aut nos ab aliqua re recedamus vel detineamur, aut rem a nobis removeamus, ideoque nos remota re liberemus. Ex ista remotionis ratione coniungitur cum multis verbis absentiae, alienationis, separationis, dimissionis, retentionis, prohibitionis, disiunctionis, divisionis, quae lexica notant. Rariora haec sunt.

Cic. in Verr. 5, 2, 6. *At tum in Italia bellum tam prope a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit.* Catull. 61, 104. *a tuis teneris volet secubare papillis.* Horat. Sat. 2, 5, 83. *ut canis a corio numquam absterrebitur uncto.* Livius 6, 16, 2. *haec dextra, qua Gallos fudi a delubris vestris, iam in vinculis et catenis erit?* Cic. pro Mur. 19, 39. *ab delectatione omni negotiis impedimur.* i. e. quo minus ad delectationem accedamus. ad Famil. 2, 16, 3. *illud miror, adduci potuisse te, — ut me existimares — tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem, a meque ipse deficerem.* Cicero dixit Verr. 3, 59, 136. *qui illam suspicionem levare*

atque a se removere cuperet. quod inversa ratione de Leg. agr. 2, 8, 22. *remove te a suspicione alicuius tui commodi.*

Cum his verbis etiam solum ablativum non adiecta praepositione coniungi, demonstratur in grammatica. Vid. Burmann. ad Lucan. 5, 128. Beier. ad Cic. p. Tull. 5. Seyfertus T. 4. p. 181. primus, ut videtur, subtilius observavit addi semper praepositionem, ubi remotio vel separatio fiat ab hominibus, non a rebus inanimis. Reliqui eum sequuti sunt. Sed critici sine caussa dubitaverunt de usu nonnullorum verborum, veluti *abesse.* Cic. ad Fam. 4, 6. *itaque et domo absum et foro.* 5, 15. *hic tu ea me abesse urbe miraris.* de Leg. 1, 2, 5. *abest enim historia litteris nostris.* ubi non necessaria erat Creuzeri emendatio *a litteris.* de Offic. 1, 14, 43. *tantum abest officio.* quod ne pro dativo acciperetur, docte monuit Beierus. Ovid. Rem. am. 774. *et poteras nupta lentus abesse tua.* De constructione verbi cum dativo egerunt Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 1, 37. Ellendt ad Cic. Brut. 70.

Qua significatione differant formulae *alienus ab aliquo* et *alienus aliqua re*, exposuit Zumptius in Gramm. p. 385.

Verbum *prohibere* duplicem in se recipere significationem, quum aut contrarium et infestum detineamus a rebus non attingendis, aut aliquem defendamus ab infesta re vel periculo, idem observavit Zumptius in Gramm. 469. Sed ipsa constructio ac notio una est et eadem, mutato nomine personae. In tribunorum decreto apud Gellium 7, 19. *ut eum collegae vi prohibeamus.* quod Gellius antea *ut a collegae vi defenderent.* Nam illo utroque modo etiam verbum *defendere* et alia ponuntur: *hostes a pinnis defendere* apud Gellium. 9, 1. *ab inimicorum audacia telisque defendere vitam.* Cic. pro Mil. 2, 6. Usum verbi *prohibere* addito simplici ablativo illustravit exemplis Beierus ad Cic. de Offic. 2, 12. p. 81.

2. Ex altera, quam posuimus, ratione componuntur cum praepositione omnia verba cuiuscumque liberationis et absolutionis, quae etiam simplici ablativo coniunguntur. Et quum in relaxandis et remittendis et recreandis rebus id, quod apparet, remotione fiat impedimenti vel oneris, haec quoque verba eadem conditione tenentur. Exempla ubique obvia suppeditabunt lexica. Equidem haec tantum notabo rara vel propria vi distincta.

Cato de Re R. 65, (66.) 1. *a foliis et stercore purgato!* — Quod Paullus in Digest. 46, 3, 98, 6. *an solvendo Titio Ephesi a me liberetur, videamus.* non debebant Alciato Pa-

rerg. 6, 21. auctore accipere pro *quod à me liberetur.* Nam dicitur breviter pro *liberetur a stipulatione mihi solvenda.*

Cic. p. Sulla 9, 26. *si me non modo rerum gestarum vacatio, sed neque honoris neque aetatis excusatio vindicat a labore.* p. Rabir 4, 11. *qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii sceleris vestigiis esse dico?* Expiatione enim liberabatur forum a sceleris vestigiis.

Cic. de Orat. 3, 61, 230. *aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros curamque laxemus.* de Leg. 1, 4, 11. *quod sustinere quum vel summa senectus posse videatur, nullam tibi a caussis vacationem video dari.* Sed omissa praepositione ad Fam. 5, 14, 6. Vid. Gernhard ad Cat. 3, 7. Hinc Cic. Div. in Caec. 13, 41. *qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam.* quod non dicitur, quasi negotia dent ipsum tempus, neque concessum illud tempus intelligimus partem negotiorum, sed remotum et vacuum a negotiis. Sic Terent. Heaut. 1, 1, 23. *tantum ab re tuast otii tibi?* Symmach. Epist. 5, 25. *certe si aliquid ab re tua otii est.* Quemadmodum etiam Terent. Phorm. 5, 5, 4. *et nunc una mihi res etiam restat, quae est conficienda: otium a senibus ad potandum ut habeam.* i. e. tempus a senum negotiis liberum.

Liv. 1, 31, 5. *nulla tamen ab armis quies dabatur ab bellicoso rege.* Vid. Drakenb. ad 2, 34, 1. Ennius apud Cic. Tusc. 1, 44. *uti corpus requiescat a malis.*

Sed Cic. Att. 5, 21. *ex Idibus Mai. in Ciliciam, ut ibi Iunius consumatur. velim tranquille a Parthis.* intellige a Parthorum parte.

3. His proxima atque unius generis sunt nomina, quae vacuitatem et solitudinem et inopiam notant. Nam quodcumque vacuum, quaecumque inopia exsistit remotione vel amissione alicuius rei. Nos saepe utimur praepositione *an*, sed ex diversa ratione.

Cic. de Off. 1, 21, 73. *vacuitas ab angoribus.* pro Domo 22, 58. *tam inops autem ego eram ab amicis, aut tam nuda respublica a magistratibus?* post Redit. ad Quir. 3, 7. Plaut. Trucul. 2, 1, 30. *nam quando sterilis est amator a datis, improbus est.* Vid. Gruteri Suspic. 5, 13. Cic. Brut. 63, 227 *hoc autem etiam magis probabatur, quod erat ab oratoribus quaedam in foro solitudo.* ita enim videtur legendum esse. pr. Flacc. 23, 54. *usque eo orba fuit ab optimatibus illa concio, ut* etc. Ovid. Her. 6, 156. *a totidem natis orba sit.* Cic. ad Attic. 1. 1. *quum Romae a iudiciis forum refrixerit, excurre-*

mus mense Septembri legati ad Pisonem. i. e. remotis iudiciis. Paullo ante: *qui sic inopes ab amicis et existimatione sunt, ut mihi videatur* etc. Sallust. Iug. 48, 3. *mons — vastus ab natura et humano cultu.* Cortius explicat *quod ad:* ego vero argumentum video in vocabulo *vastus*, sicuti Livio dicitur 23, 30, 6. *urbe a defensoribus vasta.*

Quod vulgo usurpatur, *vacare a negotiis*, Phaedr. 3. prol. 2. *quantum vacabit a publico officio* Cic. de Div. 2, 2, 7. idem Cicero sine praepositione posuit de Leg. 1, 3, 8. de Nat. d. 1, 1, 2.

A Sanctio 4, 6. p. 265. T. 2. haec referuntur ad caussae notionem, quae propria insit praepositioni: quod quum temere factum esse videretur, Perizonius intellexit materiam, in qua, ut ait, ipsa illa consisteret inopia: quod non magis potest probari. Alii ex antiquo more grammaticorum uno genere comprehendunt nomina copiae et inopiae, quae quamvis omnia cum ablativo coniungantur, diversa tamen reguntur ratione.

4. Proxime illam liberandi et removendi notionem attingunt verba secludendi, arcendi, defendendi, in quibus alii praepositioni tribuunt vim vocabuli *contra*, sed temere. Nos quum dicimus *vor*, *vor etwas schützen*, conatum indicamus effugiendi et evitandi. Miro modo Schützius in Lex. Cic. p. 4. haec refert ad viciniam loci, quoniam eiusdem exercitus milites inter se vicini sint.

Cic. pro Font. 17, 39. *a quo periculo defendite, iudices, civem virum.* pro Mil. 33, 91. *qui ab eo spirante forum putent potuisse defendi* etc. Virgil. Ecl. 7, 6. *dum teneras defendo a frigore myrtos.* in quo loco quantopere grammatici subtilitate abusi fuerint, vide apud Servium. Lucan. 9, 306. *nec se defendit ab aequore tellus.*

5. Cum his coniunxerim etiam verba *tueri*, *tutum esse ab aliqua re:* quamquam alios id improbaturos esse praevideo. Atqui sunt, quae etiam regionis notionem in se habeant, veluti quum Caesar B. Civ. 3, 26, 4. ait: *qui portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus*, quod explicari potest, ab ea parte, qua Africus flabat. At idem non potest in loco Livii 8, 6, 7. postea afferendo. In verbis *tutum esse ab aliqua re* respicimus remotionem et distantiam, qua quis se ab ingruente re tueatur.

Celsus 2, 3. *ac venter ei, qui a periculo tutus est, reddit mollia.* 5, 27, 2. Livius 45, 25, 10. *tunc utique petenda societas videbatur, non quae tutiores eos ab aliis faceret, sed quae ipsis Romanis minus suspectos.* 28, 44, 7. ubi vid. Gebhard. et Drakenborch. Iustin. 10, 1, 7. Curtius 6, 8, 9. *latus a domesticis hostibus muni.* Lucretius 3, 831. *quod letalibus ab rebus munita tenetur.* Sallust. Cat. 32. Columell. 9, 14, 14. Lucanus 9, 891. *gens unica terras incolit, a saevo serpentum innoxia morsu.*

Quod dicunt *cavere ab aliqua re*, veluti *a veneno* Cic. de Fin. 5, 22, 64. *ab homine impuro* Cic. Phil. 12, 10, 25. id etiam in aliis dictionibus locum habet. Ita Livius 21, 35, 12. *ut neque sustinere se a lapsu possent.* Nos: *sich vor dem Falle aufrecht halten.* Nam in his omnibus conatum intelligimus removendi.

Cornel. Hannib. 9, 3. *Gortynii templum magna cura custodiunt non tam a ceteris, quam ab Hannibale.* Livius 8, 6, 7. *ut legatos — ab ira impetuque hominum tegeret.*

II. 1. Distantia quum appareat in rerum remotione, ad eam etiam refertur denominatio. Quare praepositio AB locum vel rem significat, a qua aliquid distat. Atque ita etiam de discriminis rerum distantia usurpatur, et *diversum* et *alienum* dicitur *ab aliqua re, dissentire ab aliquo.*

Caesar B. Gall. 1, 43. *hic locus aequo fere spatio ab castris utrisque aberat.* 1, 49. *ultra eum locum, quo in loco Germani consederant, circiter passus* DC *ab his, castris idoneum locum delegit.* Contra vero 5, 32, 1. *a millibus passuum circiter duobus Romanorum adventum exspectabant.* 6, 7, 3. *positis castris a millibus passuum* XV. In hoc loco, sicuti 4, 22, 4. Oudendorpius restituit praepositionem. Livius 38, 20, 2. *a quinque ferme millibus locat castra.* Nos *in einer Entfernung von.* Et ita Graeci quoque. Plutarch. Philopoem. 4. ἦν γὰρ ἀγρὸς αὐτῷ καλὸς ἀπὸ σταδίων εἴκοσι τῆς πόλεως. Vid. Schaefer. ad Longi Pastor. p. 329. Kypkii Observat. in N. F. T. 1. p. 394.

Caesar B. Gall. 2, 30. *increpitare vocibus, quo tanta machinatio ab tanto spatio institueretur.*

Plin. Hist. nat. 16, 6, 8. *ex iis in Italia folio non multum ab oleis distant.*

Pomp. Mela 1, 9, 6. *cultores regionum multo aliter a ce-*

teris agunt. ubi Ciacconius emendabat *aliter ac ceteri.* sed perperam.

Simplicis ablativi exemplum hoc est Curt. 3, 1, 12. *urbi, quam Sangarius amnis interfluit pari intervallo Pontico et Cilicio mari distantem.*

Diversum esse, differre, discrepare ab aliqua re omnibus sunt. In Cic. ad Fam. 11, 2, 5. olim legebatur: *nec quidquam aliud a libertate communi quaesisse.* nunc correctum *aliud libertate.* Vid. Voss. de Constr. 14. p. 371. Ursin. Inst. 2. p. 166. Virg. Aen. 2, 274. *quantum mutatus ab illo Hectore, qui redit exuvias, indutus Achilli.*

2. Hinc saepe coniungitur AB cum vocabulis *prope* et *procul.*

Cic. Verrin. 5, 2, 6. *At tum in Italia bellum tam prope a Sicilia, tamen in Sicilia non fuit.* 2, 6, 3. *tam prope a domo.* Plin. Hist. n. 15, 18, 20. *tam prope a muris habemus hostem.*

Tacit. Hist. 1, 10, 2. *tam prope ab exsule fuit, quam postea a principe.* 2, 76, 2. *a contumelia quam a laude propius fuerit, post Vitellium eligi.*

Caesar B. Gall. 5, 17. *postero die procul a castris hostes in collibus constiterunt.* Vid. sub h. v.

Difficillimus est locus Valer. Flac. 7, 620. *rutilum thoraca sequentis, aut primas a matre manus premit obvius ante.* haec ita interpuncta intelligo sic: Iason obviam it, antequam alii gigantes toto corpore emergant, et rutilum thoraca sequentis aut alterius manus premit proxime a terra matre, modo e terra esurgentes.

3. Atque huc pertinet *non ab re esse,* quod significat, non alienum esse ab re, sed commodum vel utile, ut fere idem sit atque *e re esse.* Nusquam id poni pro *sine caussa* demonstrarunt Scioppius Infam. Fam. p. 57. 71. Vorstius de Latin. mer. susp. c. 8. p. 73. Cellarius Antibarb. p. 224.

Plaut. Asin. 1, 3, 71. *si papillam pertractavit, haud est ab re aucupis.* quod cum aliis exemplis collatum, Gulielmus explicat: non est rei familiari aucupis damnosum. Vide Gulielmi Quaestion. 8. p. 341. Thesaur. Crit. T. 3. P. 2. quae nescio quo casu recepta sunt in P. Scriverii Anecdot. p. 64. Sed Livius 35, 32, 6. *tamen non ab re esse Quinctio visum est, sociorum aliquos legatos interesse ei concilio.* Plinius Hist. nat. 27, 8, 35. *illud non ab re est dixisse:* et ita saepe. 31, 3, 26.

34, 9, 20. Plaut. Capt. 2, 2, 88. *quidvis, dum ab re ne quid ores, faciam.* i. e. quod alienum sit ab honestate aut ab utilitate. In Cicerone frustra talia quaeres.

In his omnibus, ut in reliquis locis additur negatio, quae necessaria esse videtur. Quare dubito, an huc pertineat Plauti Trin. 2, 1, 12. *eos cupit, consectatur, ab re consulit.* quod explicant: male consulit, et Dousa Centur. p. 395. consulit, quae nihil minus quam ex re ipsorum et usu esse experiundo inveniantur, id cum reliquis sententiae partibus non convenit. Amor cupidis sectatoribus de pecunia et bonis impetrandis consilium dat. *Ab re* est *von wegen, in Hinsicht des Geldes,* ut Terent. Ad. 5, 3, 44. *metuas, ne ab re sint tamen omissiores paullo.*

4. Locum igitur, quem aliquid ab alia re distans obtinet, remotionis notione designare solemus. Inde fit, ut AB praepositio apud scriptores recentiores descensum notet a nobilioribus rebus ad ignobiliores et comparatum rei pretium.

Plin. Hist. n. 16, 6, 8. *ab hac proxima latifoliae proceritas.* 14, 7, 9. *ab his dignatio est Sicyonio.* 17, 9, 6. *proximum deinde caprarum est, ab hoc ovium, deinde boum.*

Statius Silv. 1, 2, 147. *digna deae sedes, nitidis nec sordet ab astris.* i. e. collata cum coelo non contemnitur sedes. Vide notas Marklandi et meam ad h. l.

Huc pertinet Columell. 2, 10, 22. *ab his leguminibus ratio est habenda naporum raporumque.* i. e. collatis leguminibus.

III. 1. Veteres scriptores ordinem, quo quis alterum excipit aut sequitur, et ipsam consequutionem hac praepositione expresserunt.

Cic. Acad. 1, 12, 46. (Carneades) *qui quartus ab Arcesila fuit.* Livius 7, 1, 10. *dignus habitus, quem secundum a Romulo conditorem urbis Romanae ferrent.* Auctor de Bello Alexandr. 66. *potentia secundus a rege.* Catullus 37, 2. *a pileatis nona fratribus pila.* i. e. nona taberna inde a Castoris templo. Ovid. ex Pont. 4, 5, 26. *a magnis hunc colit ille deis.* i. e. consul Augustum colit proximo loco post magnos deos. Horatius Sat. 2, 3, 193. *Aiax heros ab Achille secundus.* Virgil. Eclog. 5, 49. *tu nunc eris alter ab illo.* Statius Theb. 4, 841. *ab Iove primus honos, bellis modo laetus ovantes accipias.* ubi Scholiastes: *post Iovem tu secundus invocabere.* Cic. Orator 64, 217. *si est proximus a postremo.*

Velleius Pat. 2, 76, 4. *proximus a Cn. Pompeio ipsoque Caesare — consul creatus esse.* vid. Ruhnken. ad 2, 127, 1. Curtius 5, 2, 5. *post hos Antigonus et ab eo Lyncestes Amyntas fuit.* De verbis *proximus a* vid. Burmann. ad Ovid. Art. am. 1, 139. Trist. 1, 3, 29. *hanc ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens.* quod Heinsius explicuit ad Heroid. 2, 86. post hanc.

2. Atque ordo rerum potest etiam a retrocedente ita designari, ut ab extremo numeretur, quotus quis ab eo absit.

Ovid. Fast. 1, 711. *haec erit a mensis fine secunda dies.* 2, 686. *traxit ab illa sextus ab extremo nomina mense dies.* Quibus Barthius in Adversar. 25, 5. perversam sententiam sibi conformasse videtur, *a* significare *ante.*

IV. Sicuti praepositio AB, id quod antea demonstravimus, comparationi rerum diversarum inservit, ita nonnulli scriptores, praesertim recentioris aevi, eam addiderunt ablativis, qui cum comparativis coniunguntur. Distantiae enim vocabulo ipsam gradationem indicare voluerunt, antiqui usus simplicitate non contenti.

Plin. Hist. nat. 18, 13, 34. *quamquam prius dixisse conveniat de rapis, — si iustus ordo fiat, a frumento protinus aut certe faba dicendis: quando alii praestantior usus ab iis non est.* Ita editiones exhibent antiquae verba, a criticis temere distracta et immutata. Cael. Aurel. de acut. morb. 1, 9, 64. *maior enim ab intemporali somno vigiliarum est vexatio.* 1, 15, 134. *quid gravabilius ab his, quae adhibenda confirmas.* Quae si comparaveris, non dubitabis etiam huc referre 2, 1, 2. *et est comparatione gravior phrenetide, non aliter quam negatus in toto visus ab ex parte impedito.* nam sensus verborum est: non aliter quam in toto negatus visus gravior est ex parte impedito. 2, 9, 30. Aurel. Chronic. 1, 4, 139. Donatus in Terent. Hecyr. Prol. 3. *haec comparatio minus a positivo sonat, et vim diminutivam exprimit.* Et ita Irenaeus, seu qui vertit illius libros contra haereses, Capella aliique. Nonnulla affert e codicibus restituenda Salmasius ad Vopisci Carin. 19. p. 826. edit. Hack. in quibus tamen dubia est scriptura apud Varron. de Re Rust. 1, 2, 16. *quocirca et succinit pastorali, quod est inferior, ut tibia sinistra a dextrae foraminibus.* Videntur enim haec verba extrema *a dextrae foraminibus* ab aliena manu adiecta esse. Quod autem huc referunt Cic. de Orat. 2, 70, 285. *ab hoc vero Crasso nihil facetius.* prorsus abhorret a Ciceronis

usu. Ille enim ait: ab hoc, qui adest, Crasso nihil facetius dictum est.

V. 1. A loco hic usus transfertur ad tempus. Quare praepositio AB de re, quam alia res proxime excipit, aut quam finitam et determinatam aliud quid incipiens proximo tempore sequitur, ita usurpatur, ut explicari possit per vocabulum *post*. Plurima exempla in se habent verba mittendi et veniendi, quae aliam quoque admittunt rationem, discedendi notione supposita: alia tamen consequutionis significationem integram obtinent. Neque aliter Graeci, de quorum usu vid. Fischer Animad. T. 3. 2. p. 108.

Livius 40, 47, 8. *ab hoc spectaculo legati missi deterruerunt suos ab auxilio circumsessae urbi ferendo.* 24, 22, 6. *ab hac concione legati missi sunt.* Haec igitur aliis fortasse videbuntur magis a verbo mittendi regi, praesertim quum etiam *dimittere* hoc modo dicatur. Livius 28, 33, 1. *ab hac oratione dimissos ad iter si comparare in diem posterum iubet.* Curtius 6, 7, 16. *ab hoc sermone dimissus.* Et propterea in Livii 40, 47, 8. Dukerus coniecit scribendum esse *ab hoc spectaculo legati dimissi.* Sed contrariam sententiam de propria praepositionis vi alia suadent exempla. Livius 44, 34, 6. *ab his praeceptis concionem dimisit.* Vid. Drakenborch. ad 23, 6, 1. Velleius Pat. 2, 104, 3. *protinus ab adoptione missus.* Cic. ad Att. 1, 5. *ut primum a tuo digressu veni.* Livius 27, 30, 17. *ipse ab eo concilio Argos regressus.* ubi vid. Drakenborch.

Livius 33, 36, 6. *Castra quum hostes a prospera pugna nequidquam oppugnassent.* 22, 34, 1. *ab Q. Fabii opibus et dictatorio imperio concussis.* i. e. postquam Fabii potestas fracta erat. ubi Io. Henr. Vossius sine caussa repudiavit praepositionem. Plinii Hist. n. 16, 39, 74. *Scipionis classis quadragesimo die a securi navigavit.* i. e. postquam arbores caesae erant.

Ovid. Trist. 4, 10, 121. *tu mihi, quod rarum, vivo sublime dedisti nomen, ab exsequiis quod dare fama solet.* Lucan. 3, 39. *nihil est sensus animis a morte relictum.* dubium est, an sit idem, quod 8, 749. dixit: *si quid sensus post fata relictum.* Propert. 4, 4, 5. et Ovid. Met. 14, 352. *ab aestu* pro *post aestum.* Ovid. Fast. 1, 167. *tempora commisi nascentia rebus agendis, totus ab auspicio ne foret annus iners.* Esse potest, post tale auspicium: Gierigius explicat, propter auspicium.

Livius 21, 38, 1. *in Italiam perventum est quinto mense a Karthagine nova.* quod breviter dictum pro, quinto mense, postquam a Karthagine discesserant. In Taciti Ann. 1, 19. et 26. *missio a sedecim annis.* est missio post sedecim annos militiae.

Vid. Burmann. ad Petron. 24. et 80. ad Ovid. Her. 5, 152. ad Metam. 3, 566. interpretes ad Curt. 6, 1, 20. Markland ad Stat. Silv. 1, 2, 144. Ruddimann. T. 2. p. 301. n. 15. Multa exempla notavit e Scribonio Io. Rhodius in Lexico Scribon. p. 343.

Ambigua esse videtur explicatio in Sueton. Aug. 8. *vixdum firmus a gravi valetudine.* quod reddunt, post gravem morbum. Nam comparari potest dictio *a morbo valere*, de qua nobis posthac sermo erit. Neque huc retulerim Plaut. Poen. 3, 3, 4. *atque eadem mulieres iam ab re divina, credo, apparebunt domi.* Intelligo redeuntes ab re divina. Ovid. Her. 3, 95. *ille ferox positis secessit ab armis.* mirabili errore Burmannus explicuit, post arma posita secessit. In Propert. 1, 13, 24. restituendum est ex antiquis libris: *sensit in Oetaeis gaudia prima iugis.* pro eo, quod Scaliger haud feliciter emendavit *ab Oetaeis iugis.*

Exempla omissae praepositionis rara sunt ac dubia. Liv. 1, 3, 4. *tantum tamen opes creverant — ut ne morte Aeneae, nec deinde — movere arma — accolae ausi sint.* Esse videtur, tempore mortis.

2. Temporis distantiam intelligimus in formulis *recens ab aliqua re, nuper ab aliqua re.* Haec enim verba, quae tempori propria sunt, cum nominibus locorum et rerum coniunguntur, quae temporis rationem constituunt.

Cic. de Nat. d. 3, 5, 11. *Homerus, qui recens ab illorum aetate fuit.* — Varro de Re R. 2, 8, 2. *pullum asininum a partu recentem subiiciunt equae.* Virgil. Aen. 6, 450. *recens a volnere Dido errabat silva in magna.*

Florus 4, 2, 67. *eius elephanti, bellorum rudes et nuper a silva consternati subito clangore.*

3. Diximus de praepositione AB in designando ordine usurpata. Atque ea etiam de numero ponitur annorum, vel de temporis intervallo, quod interpositum sit, aut quo aliquid ab aliqua re distet.

Cic. de Orat. 2, 21, 89. *vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norba-*

num. de Senect. 6, 19. *cuius a morte hic tertius et tricesimus est annus.* p. Milo. 35, 98. Velleius P. 1, 7, 3. *quum sint a Capua capta anni CCXL.* Sallust. Cat. 47. *ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum.*

Huc pertinet fortasse Liv. 7, 2, 8. *Livius post aliquot annos, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, dicitur* etc. i. e. primus argumenti auctor exstitit, ex quo saturae inventae et actae sunt. Potest tamen etiam esse *post saturas.*

De temporis distantia Curtius 6, 1, 20. *Megalopolitani, quorum urbs erat obsessa a defectione.* ubi Freinshem. correxit *pro defectione.* In contracta oratione, tempore cum loci intervallo collato Cic. ad Att. 5, 3. *ibi mihi tuae litterae binae redditae sunt tertio abs te die.* i. e. ex quo emissae erant abs te.

4. Formulae *ab his* et *ab hoc*, quae ob eam, quam exposui, caussam pro verbis *abhinc*, *postea* usurpantur, non cognitae erant antiquis scriptoribus: sed quum Ovidius, non discedens a vulgari consuetudine, dixisset *ab his*, recentiores hanc ellipsin ad singularem numerum transferebant.

Ovid. Met. 3, 273. *surgit ab his solio.* 4, 329. *Nais ab his tacuit.*

Calpurn. 2, 99. *este pares, et ab hoc concordes vivite.* vid. Heins. ad Ovid. Epist. 2, 86. Lactantius 1, 10, 3. *ab eoque primo rex perfidus.* Frustra sollicitarunt critici scripturam in Lactant. de Mort. pers. 26, 12. *ab hoc coepit suos persequi.* intelligitur enim Galerius post caedem Severi suos persequens.

5. Illo vero, quem modo explicui, sensu praepositio saepe ponitur adiunctis adverbiis, quae proximam temporis vicem significant: veluti *statim*, *confestim*, *protinus*, *primum.*

Sueton. Caes. 85. *plebs statim a funere ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit.* Liv. 30, 36, 1. *Scipio confestim a proelio expugnatis hostium castris direptisque cum ingenti praeda ad mare ac naves rediit.* Celsus 5, 27, 2. *a piscina protinus in oleum calidum demittendus est.* ubi loci notio cum tempore coniungitur. Sueton. Tib. 68. *quum primum a somno patuissent.* ubi vid. Oudendorp. et ad Calig. 27.

6. Palladius ex sui, ut videtur, temporis usu

praepositionem addidit ablativis, quos grammatici absolutos appellant.

Iun. 7, 5, 4. *ramos superiores eius arboris secabis ac stirpes: et ab uno et viginti diebus exactis, resoluto vimine vinculorum, reperies externi seminis gemmam mire in arboris alienae membra transisse.* i. e. post unum et viginti annos.

Quae alia afferunt Scioppius in Not. ad Sanct. p. 675. et in Auctar. Mariang. Epist. 7. p. 70. et Ruddimannus p. 301. T. 1. in iis omnibus nominis constructio pendet a verbo: neque aliter, ut mihi videtur, in Lucan. 1, 450. *et vos barbaricos ritus moremque sinistrum sacrorum, Druidae, positis repetistis ab armis.* ubi *repetere a positis armis* significat: a pacis tempore restituenda sacra reducere. Alii explicuerunt: positis armis intermissa sacra restituistis.

III. I. 1. AB indicat regionem et statum rei alicuius. Nam ut locum, quem aliqua res obtinet, verbis designemus, ad aliam rem respicere, et utriusque situm vel ex vicinia vel ex distantia concipere solemus. Latini dicebant rem *ab aliqua re stare* et *situm esse*, ubi intelligebant vel regionem adversam, vel vicinam, vel anteriorem. Reddi igitur potest sensus per *a parte*, *ex adverso*, *versus*, *ad*, *apud*, *iuxta*, *circa*, *ante*, *e regione:* una tamen semper est praepositionis ipsa significatio. Nos quum *cor* usurpamus, vocem habemus ex vocabulo *con* factam, sive aliam eiusdem verbi formam. Graeci etiam quasdam componunt formulas praepositione ἀπό, quae latinis respondent. Et Charisius Inst. gr. 2. p. 207. *ab duplex est: nam et pro ἀπό et pro ἐπί apud nos accipitur.* Affinitatem autem eorum, quae motus notionem habent subditam, non est quod iterum declaremus, nec possunt omnia exempla certis terminis separari.

Quod Plinius Hist. nat. 13, 25, 48. dixit: *circa Cretam insulam nato in petris purpuras inficiunt, laudatissimo a parte Aquilonis.* id breviori structura Caesar B. civ. 3, 26. *portus ab Africo tegebatur, ab Austro non erat tutus.*

Cic. de Leg. agr. 2, 25, 68. (ager est) *ab alia porta Capenas, Faliscus.* Liv. 1, 33, 7. *Quiritium quoque fossa, haud parvum munimentum a planioribus aditu locis, Anci regis opus est.* Cic. ad Fam. 15, 4, 7. *sed me Cappadocia movebat, quae patet a Syria.* i. e. versus Syriam: vd. Cor-

tius ad h. l. Nos *von Syrien her.* Ita saepe adiungitur nominibus gentium, quarum terram aliquid spectet, aut tangat. Caesar B. Gall. 1, 1, 5. *attingit etiam ab Sequanis et Helvetiis flumen Rhenum.* Liv. 24, 33, 8. *inde terra marique simul coeptae oppugnari Syracusae, terra ab Hexapylo, mari ab Achradina.* i. e. ea regione, in qua Hexapylum porta, et qua Achradina urbis pars sita est.

Liv. 45, 28, 3. *duo maria ab occasu et ortu solis finitima.* Plin. Hist. n. 33, 8, 43. *quod a sole fuit in his melius quam quod a terra.* i. e. pars soli obiecta. Theophrastus, cuius verba Plinius vertit, de Lapidibus. p. 9. *τὰ ἄνω πρὸς τὸν ἥλιον.* Nos *von der Sonnenseite.* Varro de Re Rust. 1, 7, 2. *minus officit aliud alii ab sole, luna et vento.* i. e. a parte solis, lunae et venti. Valer. Max. 4, 3. Ext. 4. *interim a sole mihi velim non obstes.* Livius 1, 33, 7. *haud parvum munimentum a planioribus aditu locis.* Hirtii B. Afric. 27. *quae primae copiae flumen a Delta transire et Mithridati occurrere potuerunt.* ubi alii codd. *ad Delta.* Caesar B. Gall. 2, 24, 2. *ab Decumana porta:* ubi vid. Oudendorp. qui tamen ad 7, 82, 3. diversa exempla confudit. Vid. etiam Cort. ad Sallust. Catil. 58, 6.

Plaut. Cist. 4, 1, 7. *nam hinc ab ostio iacentem sustuli.* i. e. ad ostium, *an der Thüre.* Merc. 2, 4, 9. *omnia ego isthaec auscultari ab ostio.* Cic. de Orat. 2, 63, 276. *quum ad poetam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset* etc. quod paullo post *a ianua quaerere.* Frontin. Strateg. 1, 5, 10. *universi a limite obstiterunt.* i. e. ante limitem, vel e regione limitis. Statius Theb. 4, 17. *summisque a postibus obstant.* i. e. ad postes. Livius 1, 37, 3. *utrimque ab cornibus positos — ita incurrisse a lateribus ferunt, ut non sisterent modo Sabinas legiones* etc. Celsus 3, 6. *ob quam caussam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus eum.*

Singulari modo haud probabili loquutus est Curtius 3, 5, 15. de Alexandri morbo: *inexperta remedia haud iniuria ipsis esse suspecta, quum ad perniciem eius etiam a latere ipsius pecunia solicitaret hostis.* i. e. quum Darius adeo eos solicitaret, qui versabantur a latere regis. Verba *a latere* per se intelliguntur locali sensu, neque admittunt supplementum. Freinshemius ait: „*a latere* h. e. qui circa eum proximi: indeclinabile ut a manu pro amanuensis.“ Quod quidem non probaverim.

Cum verbis opponendi coniunctum fere significat rem adversam vel ex adverso positam.

Lucanus 1, 59. *nullaeque obstent a Caesare nubes.* i. e. circum. Plin. Hist. nat. 17, 2. *quum in vineis pedamenta non sint a vento eo opponenda.* i. e. adversus Aquilonem, vel, ut supra, a parte Aquilonis. Stat. Silv. 1, 2, 23. *dominae niveis a vultibus obstas.* i. e. ex adverso. Theb. 4, 564. *cernimus oppositis Semelen a ventre lacertis.* i. e. regione, in qua venter potuit attingi flammis. Apulei. Apolog. p. 284, 20. *ita et tibi umbra ignobilitatis a probatore obstitit.* ubi vid. Wowerius. Sed alia videtur res in Statii Theb. 7, 445. *nullique aliis a montibus obstant despectus.* ubi dicitur despectus ab aliis montibus. Burmannus ad Lucan. 1, 50. non accurate distinxit exempla. Vid. Miscell. Observat. Vol. 3. p. 257. Quum Martialis ait 3, 23. *omnia quum retro pueris obsonia tradas, cur non mensa tibi ponitur a pedibus?* locus notatur ad pedes, ubi servis parari solebat mensa.

Est locus Livii 37, 44, 4. in libris ita scriptus *legati ab Thyatira et a Magnesia ab Sipylo ad dedendas urbes venerunt.* in quo Spanhemius olim et Drakenborch. existimabant dici posse *Magnesia ab Sipylo* pro *sub Sipylo* vel *ad Sipylum.* Vid. Spanh. de Praest. num. p. 895. Nemo tamen unquam ita loquutus est. Aliud enim, quod apud Plin. H. n. 5, 31. et Tacit. A. 2. 47. *Magnetes a Sipylo.*

2. Inde vero exsistunt multae dicendi formulae *a fronte, a dextra, a terra, a mari, a campo, a meridie, a septentrione* et alia: quae omnibus nota sunt. In libris scriptis saepe commutata sunt verba *a dextra* et *ad dextram.* vid. Burm. ad Ovid. Met. 2, 25. 3, 161.

Cic. Philipp. 3, 13, 22, *a tergo, a fronte, a lateribus tenebitur.* Livius 27, 48, 15. *ita ex omnibus partibus, ab fronte, ab latere, ab tergo trucidantur Hispani.* Caesar B. Gall. 2, 23, 4. *totis fere a fronte et ab sinistra parte nudatis castris.* Frontin. 3, 9, 7. *Thrasybulus, ut portum Sicyoniorum occuparet, a terra subinde oppidanos tentavit.* Livius 38, 32, 1. *non terra tantum, sed etiam navibus a mari fines eorum vastati.* i. e. a parte maritima. 38, 4, 9. *bina a campo castra contra arcem obiecit. A castris* i. e. ex ea parte, ubi castra posita sunt. Liv. 4, 22, 6. Vid. Drakenborch. ad 31, 24, 9. Oudendorp. ad Frontin. 4, 1, 33.

3. Non alia res est, ubi actio e loci alicuius regione exire videtur, quod cum iis congruit, quorum mentionem p. 15. feci. Sed ipse locus est, qui hoc modo significatur, et quietus status cognoscitur a motu agen-

tis, veluti is, qui stans in aliquo loco aliquid egit, egisse dicitur ab illo loco.

Livius 3, 41, 4. *iam Quiritium fidem implorante Valerio a curiae limine.* 30, 33. *tubae cornuaque ab Romanis cecinerunt.* i. e. e regione, ubi Romani constiterant. Vid. Schwebel. ad Frontin. 4, 1, 33. Fortasse huc pertinet Sueton. Caes. 60. *proelia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat, ac saepe ab itinere statim.* i. e. in itinere. Quem ad modum Valer. Flacc. 6, 388. *protinus omnes Graiugenas, omnes rapturus ab agmine Colchos.* i. e. in ipso agmine vel actu versatus. Vide nos supra p. 15.

4. Hinc dicitur proprie de periculo et malo, quod ex aliqua parte vel regione imminet.

Livius 6, 10, 8. *terrorem assiduum a Volscis fuisse.* 6, 5, 3. *criminabantur, multo eum infestiorem agrum ab nobilitate esse, quam a Volscis fuerit.* Cic. de Divin. 2, 21, 47. *a nobilitate igitur periculum.* quod male explicat Scheller. in Observ. p. 219. Valer. Flacc. 5, 360. *non tibi ab hoste minae, nec vis, ait, ulla propinquat.* Liv. 4, 22, 6.

5. Ad personam refertur haec ratio ita, ut eius partem, vel id, quod ex eius parte appareat, intelligamus. Nos dicimus *von Seiten, auf Seiten.*

Tacit. Ann. 4, 25. *ab Romanis confertus pedes.* id quod Livius 44, 40, 5. *duae cohortes a parte Romanorum erant.* Livius 1, 12, 2. *principes utrimque pugnam ciebant: ab Sabinis Mettus Curtius, ab Romanis Hostus Hostilius.* 21, 13, 4. *postquam nec a Romanis vobis ulla spes est.* 2, 24, 3. *at vero curia moesta ac trepida ancipiti metu, et ab cive et ab hoste.* 40, 34, 14. *pacemque cum iis populus Romanus, non ab se tantum, sed ab rege etiam Masinissa praestitit.* Cic. pro Mil. 35, 96. *beatos esse, quibus ea res honori fuerit a suis civibus.*

Ita intellige etiam Plin. Epist. 4, 22. *sed hoc a Maurico non est novum.* Sueton. Octav. 4. *Balbus a matre Magnum Pompeium arctissimo contingebat gradu.* i. e. a parte matris. Cic. ad Fam. 6, 13. (14.) 5. *a quibus se putat diuturnioribus esse molestiis conflictatum.* i. e. quorum ex parte. vid. Schelleri Observ. p. 167. Cic. de Offic. 2, 9, 31. *haec autem — quibus rebus pariuntur a singulis, iisdem fere a multitudine.* i. e. apud singulos — apud multitudinem: vd. Gernhard. ad h. l. nisi praestat interpretatio Beieri: conciliantur, adipiscimur a singulis. In Livii 4, 8, 4. *mentio illata ab senatu est.* dubito an

non possit explicari: in senatu, *von Seiten des Senats*, sed senatores intelligo singulos vel consules hoc universo senatus nomine appellatos, etiamsi postea patres commemorantur. Corrupta videntur esse verba de Bell. Afric. 29. *turmae interim equitum, quae pro vallo in stationibus esse solebant, ab utrisque ducibus quotidie minutis proeliis inter se depugnare non intermittunt.* Explicant quidem, a parte utrorumque ducum: quod cum reliquis verbis coniunctum quis unquam dixerit? Equidem haec non expedio nisi adhibita emendatione. Cornel. Nep. Chab. 2, 3. *Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant, Lacedaemonii cum Aegyptiis, a quibus magnas praedas Agesilaus rex eorum fecit.* Omnes fere interpretes de lucro vel de praemiis ab Agesilao reportatis explicuerunt: quod tamen absonum est. Excidisse videtur aliquod verbum, quo Agesilaus diceretur ab Aegyptiis vocatus esse. Ei enim opponitur Chabrias, *sua sponte profectus.*

Cic. ad Attic. 6, 2. extr. *salvebis a meo Cicerone.* i. e. salvere te iubet Cicero: quae dictio familiari sermone confecta est. Et Plutarch. vit. Alex. 27. *ἀπὸ τοῦ θεοῦ χαίρειν.*

6. Verba *exspectare*, *sperare*, *metuere*, *timere*, et quae huius generis sunt, secum habent praepositionem AB propterea, quia id, quod exspectatur vel timetur, ab alicuius parte exstiturum putatur, quo quidem simul comprehenditur et originis et exitus notio. Exempla in lexicis ubique obvia sunt.

Explicationem hanc confirmat Cic. ad Attic. 9, 7. *quum eadem metuam ab hac parte.* Errant igitur ii, qui in formula *timere ab aliquo* ipsum malum, quod timeatur, intelligunt, et reddunt, *vor etwas sich fürchten.* Nam dicitur tantum de eo, ex cuius parte aliquod malum immineat, vel unde periculum proficiscatur. Cic. pro Sull. 20, 59. *a quo quidem genere, iudices, ego numquam timui.* Philipp. 2, 45, 116. 14, 4, 10.

Liv. 21, 13, 4. *postquam nec ab Romanis vobis ulla spes est.* ubi Ernestius explicat: in Romanis spes posita est. Non secus Cic. in Pis. 6. 12. *spem habere a tribuno plebis, si tua consilia cum illo coniunxisses, a senatu quidem desperasse.* i. e. a parte senatus.

Sallust. Hist. fragm. p. 934. Cort. *dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est.* Liv. 33, 32, 10. *demto metu a Philippo omni.*

7. Illud vero, quod in loco designando adhibitum

esse diximus, etiam ad tempus transfertur in formulis *ab initio*, *a primo*, ita, ut *ab* non tam principium et rem ex principio continuam significet, uti supra demonstravimus, quam primam partem, quae circa initium rei cernitur. Est igitur *a primo* i. q. *in primo*, nostrum *anfangs*.

Cic. pro Cluent. 50, 138. *perinde quasi ego non ab initio huius defensionis dixerim, invidiosum illud fuisse iudicium.* i. e. sub initio. de Fin. 3, 9, 32. *quod autem in quo Sapienter dicimus, id a primo rectissime dicitur.* i. e. in principio. Ita enim recte emendarunt critici librorum scripturam *apprime*, *adprimo*. 5, 15, 41. *nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est.* Plaut. Mostell. 3, 2, 137. *hercle quin multum improbiores sunt quam a primo credidi.* Terent. Phorm. 4, 2, 14. *petam hinc, unde a primo institui.* Tacit. Ann. 1, 1. *urbem Romam a principio reges habuere.* quod reddas *anfangs*. Vid. Io. Fr. Gronov. ad Senec. de Vita beat. 7. et Nat. Qu. 5, 14. Iac. Gronov. ad Cic. de Fin. 4, 13.

8. Multis in dictionibus AB respondet vernaculo verbo *an*, quo loci notioni adiungimus notionem proximitatis, nec pauca sunt loca, in quibus nihil impedit, quo minus *ab* pro *in* accipias. Illud apparet in formulis *ab aliqua re aliquid religare*, *ab aliqua parte tenere* et in aliis.

Cic. de Inv. 2, 51, 154. *funiculo, qui a puppi religatus scapham annexam trahebat.* Virg. Aen. 7, 105. *quum Laomedontia pubes gramineo ripae religavit ab aggere classem.* In Ovid. Fast. 4, 331. *querno religant a stipite funem.* alii libri praebent *in stipite.* Ubi Frontinus Strat. 3, 9, 3. dicit: *scutis gladiisque a tergo aptatis.* nescio an non recte omittant aliqui codices praepositionem. cf. 4. 7, 20.

Qu. Cic. de Petit. cons. 3. *quum sinistra capillum eius a vertice teneret.* Suet. Vesp. 5. *quercus antiqua per tres Vespasiae partus singulos repente ramos a frutice dedit.* Coniecturae factae sunt multae: nam qui vulgarem scripturam defendunt, nullo exemplo comprobaverunt, *fruticem* appellari stipitem arboris, aut radicem, neque ipsi *rami* nascuntur e radice. Onderdorp. ita concepit sensum: ab ea parte, qua frutex est ex arbore ipsa enatus, dedit arbor singulos ramos: quae quo modo intelligi possint, non assequor. Quomodo enim locus, in quo nasci solent frutices, vocari potest frutex?

Caes. B. G. 6, 28, 6. *haec studiose conquisita ab labris argento circumcludunt.* Cic. in Verr. 5, 13, 32. *hic scilicet*

est metuendum — ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore. i. e. in pectore. Virg. Ecl. 1, 54. *quae semper vicino ab limite sepes Hyblaeis apibus florem depasta salicti.* ubi vir doctus in Misc. Obs. Vol. 5. 219. coniungi iubet: *apes ab limite vicino;* quod nemo alius probabit. Vid, Oudend. ad Sueton. Aug. 91. p. 317. Lucan. 7, 692. *Pharioque a gurgite clades.* ubi unus codex praebet *in*, quod Burmanno placuit. Servius ad Virg. Aen. 3, 570. *portus ab accessu ventorum immotus*] *id est, in accessu.* In Caes. B. Civ. 1, 67, 2. *quod pridie noctu conclamatum esset in castris Caesaris.* plurimi libri scripti exhibent *a castris*, aut omittunt praepositionem.

9. Sunt loca, in quibus nescias, utrum praepositionis significatum ad caussam, an potius ad rem e sua parte considerandam referas: at si eum reddas germanico vocabulo *bei*, sive comparaveris praepositionem *in*, totam sententiarum vim comprehensam tenebis.

Liv. 21, 36, 7. *tetra ibi luctatio erat, ut a lubrica glacie, non recipiente vestigium, et in prono citius pede se fallente.* id est, ut in lubrica glacie fieri solet. Nam si cum Walchio intelligamus luctationem a lubrica glacie ortam, vereor ne *ut* omnino superfluum offendat. Fortasse eodem modo 21, 12, 4. *conditionesque tristes, ut ab irato victore, ferebantur.* quamquam *ab* etiam cum verbo *ferebantur* caussali nexu cohaerere potest videri. Beierus conferre cum his me iussit Cic. de Off. 2, 6, 19. quae tamen aliquantum differunt.

Cic. ad Fam. 3, 13. *quis enim ad me non perscripsit te non solum auctoritate orationis, sententia tua, quibus ego a tali viro contentus eram: sed etiam opera, consilio — nullum munus officii cuiquam reliquum fecisse?* i. e. in tali viro.

10. Dictio est singularis *ulcisci se ab aliquo*, quam nos Germani reddimus *sich an einem rächen.* Intelligitur autem a parte alicuius, in aliquo.

Frontin. 3, 16, 6. *Hannibal simili consilio se a transfugis ultus est.* Plin. Hist. n. 34. 14, 41. *a ferro sanguis humanus se ulciscitur.* Vid, Muncker. ad Hygin. 184.

Neque aliter dicunt *cognoscere ab aliqua re*, quod scio alios referre ad rationem caussalem. Sicuti nos diversam sententiam exprimere solemus verbis *von einem erfahren* et *an etwas erkennen*, ita Latini quoque distinguebant *cognoscere ab aliquo*, (vid. Frontin. 1, 6, 1.) et *cognoscere ab aliqua re aliquid* i. e. in aliqua re.

Aliquantum differt dictio: *cognoscere ex aliqua re*, certe in quibusdam locis.

Caes. B. G. 1, 22, 2. *montem — ab hostibus teneri: id se a Gallicis armis atque insignibus cognovisse.* Alia vide apud Oudend. ad h. l. et ad 7, 83, 1. et apud Burm. ad Phaedr. 4, 21, 22.

Ovid. Met. 14, 323. *fictaque probes ab imagine veram*, ubi alii libri *sub imagine*, quod a glossatore profectum est. Non eodem sensu diceretur *ex imagine*.

11. Quum qui aut ab inimicorum aggressu aliquem tuiturus, aut cum eo acturus est, e regione eius adstare, aut circa eum versari soleat, is dicitur *stare ab aliquo:* quod ad quodcumque auxilii et favoris genus designandum adhibetur.

Cornel. Datam. 6, 6. *coacti sunt cum iis pugnare, ad quos transierant, ab hisque stare, quos reliquerant.* Cic. Brut. 79, 273. *ut nemo contra civium perditorum popularem turbulentamque dementiam a senatu et a bonorum caussa steterit constantius.* Vid. Calderini Observ. in Gruteri Lamp. Tom. I. p. 311. Cortius ad Cic. Epist. 2, 16, 8.

Plaut. Rud. 4, 4, 56. GR. *Omnia istaec ego facile patior, dum hic hinc a me sentiat.* TR. *Atqui nunc abs te stat: verum hinc ibit testimonium.* Ita scribenda esse videntur extrema verba hoc quidem sensu: Daemones adhuc tibi favet (vid. v. 32.), sed a me proferetur testimonium. Acidalius explicuit: *contra te.* Cic. de Invent. 1, 3, 4. *quibus in controversiis quum saepe a mendacio contra verum homines stare consuescerent* etc.

Hinc Cicero pro Cluent. 34, 93. *ab reo dicere.* i. e. pro reo. de Invent. 2, 48, 143. *qui a scripto dicet.* ad Herenn. 2, 27, 43. *quod saepe consulto multi ab reo faciunt.* Cic. de Invent. 1, 48, 90. *commune est, quod nihilo magis ab adversariis quam a nobis facit.* Add. pro Rosc. Am. 36, 104. Quod dicit Cicero pro Rosc. Amer. 30, 85. *vir et contra audaciam fortissimus et ab innocentia clementissimus:* id bene interpretantur: pro innocentibus. Alii autem: propter innocentiam. Vid. Ernest. ad h. l. Matthiae collato loco 36, 104. haec: „Est igitur pro in gratiam innocentiae seu innocentibus.“ Cic. de Orat. 1, 13, 55. *sed vide ne hoc, Scaevola, totum sit a me.* quod quum Müllerus interpretatur: vereor ne hoc totum a me et a mea caussa sumpseris, possessionis notionem subiungit, qua quidem non opus est. Varro de Re R. 1, 2, 18. *vide, ne istuc sit ab hoc.* i. e. ne non contrarium, sed ab hac parte positum sit.

Neque opus est coniecturis Ursini et Schneideri. Graeci dicebant πρός τινος. Vid. Viger. de Idiot. p. 660. Bene explicat Beierus Cic. de Off. 2, 16, 56. *eaque a levissimo quoque.* eaque ad stomachum levissimi cuiusque.

Obscuritate grammatica maxime laborat locus Terentii Clement. in Digest. 35, 1, 62. *quum vir uxori, si a liberis ne nupserit, in annos singulos aliquid legavit, quid iuris fit? Iulianus respondit, posse mulierem nubere et legatum capere: quod si ita scriptum esset, si a liberis impuberibus ne nupserit, legem locum non habere: quia magis cura liberorum quam viduitas iniungeretur.* Formulam istam, in qua antiquus usus *ne* pro *non* posuit, non uno modo explicuerunt. Strauchius in Lexic. Partic. p. 3. et Duker. de Latin. Jct. p. 351. (319.) *a liberis* interpretantur, quamdiu liberos habebit, aut post susceptos liberos: Brissonius de verb. sign. s. v. *a:* quamdiu liberi supererunt: utrumque nulla praepositionis ratione: quare Dukerus ad aliam opinionem se convertit, quasi dicatur, si nubendo non discesserit a liberis, ut *a* notet transitum ab uno ad aliud: quod et ob negationem non ad nomen simul pertinentem et ob inauditum usum omnino reiiciendum est. Restat unum hoc, ut comparemus formulas *ab aliquo dicere, haec ab reo faciunt:* quo sensus verborum exsistit hic: si in gratiam et in commodum liberorum non nupserit. Nam ex Iuliani sententia commodum liberorum universum non impedit novas nuptias: at impedit cura liberorum impubium.

II. 1. Quoniam hoc modo dicitur, ex qua parte aliquid fiat, usurpatur idem in iis, quae ex aliqua parte consideramus, et quae ex hac parte ad aliam rem referimus. Nos dicimus *von Seiten, im Bezug auf.*

Cic. pro Rab. Posth. 10, 27. *quorum impunitas fuit non modo a iudicio, sed etiam a sermone.* de Orat. 3, 61, 229. *nihil enim isti adolescenti, neque a natura neque a doctrina deesse sentio.*

Plaut. Truc. 1, 1, 26. *bis periit amator ab re atque ab animo simul.* Terent. Heaut. Prol. 13. *si hic actor tantum poterit a facundia.* ubi vd. Ruhnken. Cic. ad Fam. 1, 4. *ego tibi a vi — praestare nihil possum.* quod Schützius explicat *contra vim:* sed male.

Potest etiam in aliquibus exemplis commode reddi per voc. *secundum*, nostrum *gemäfs einer Sache*, vel etiam per voc. *ex.* Unus tamen est iste relationis sensus.

Varro apud Nonium Marc. 14, 37. *neque id ab orbita matrumfamilias instituti.* Ovid. Heroid. 2, 85. *careat successibus opto, quisquis ab eventu facta notanda putat.* i. e. secundum eventum, quod etiam dicitur *ex eventu.* Heinsius male explicuit post eventum, rectius Lennepius.

Nec repugnabimus, si quis in aliis locis praepositionem explicaverit per verba, *quod pertinet, attinet ad, pro parte.* Sed in iis, si recte observavi, semper res vel consideratio refertur ad personam, vel ad rem persona indutam.

Cic. in Pis. 40, 96. *omnes memoriam consulatus tui, facta, mores, faciem denique ac nomen a republica detestantur.* Hoc est prosopopoeiae exemplum.

Plaut. Curc. 1, 1, 51. *tam a me pudica est, quasi soror mea sit.* Quorum conferri potest Catullus 15, 5. *conserves puerum mihi pudice, non dico a populo.* quamquam etiam defendendi notio subest. Cic. ad Fam. 5, 20, 3. *a quo mihi exploratum est, in rationibus dumtaxat referendis nihil eum fecisse scientem, quod esset contra rem.* Schelierus in Observ. p. 164. *a quo* dictum putat pro *de quo.* Ernestius mutavit *de quo.* Neutrum probabile. Est enim: cuius a parte, quod ad eum attinet. Cic. de Nat. deor. 2, 49, 125. *Illud vero ab Aristotele animadversum: a quo pleraque quis potest non mirari?* Gronovius ad Liv. 27, 5. explicat: cuius pleraque. Potest etiam esse: in quo.

2. Ex his vero facile colligitur ratio, qua nomen cum praepositione AB addere solent non tantum poetae, sed optimus quisque scriptor adiectivis, ut conditionem indicent aut ad certam aliquam rem relatam, aut ex alicuius rei parte spectandam. In his grammatici praepositionem vel abundare dicunt, vel significare *propter.* Sed quo sensu haec accipi debeant, ii loci demonstrant, in quibus ipsa haec verba *ab hac parte* leguntur. Eodem modo Graeci. Theocrit. 16, 49. *θῆλυν ἀπὸ χροιᾶς Κύκνον.*

Varro de L. Lat. 8, 29. (p. 136. Bip.) *quod rogant, ex qua parte oporteat simile esse verbum, ab voce an a significatione: respondeamus, a voce.* In quibus *ab* explicatur verbis *ex qua parte.* Plancus apud Cic. ad Fam. 10, 24, 17. *securos vos ab hac parte reddemus.* Livius 1, 32, 2. *quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat.*

Columella 6, 29, 3. *ab adspectu quoque agile.* Terent. Phorm. 2, 2, 26. *otiosus ab animo.* Cic. Brut. 16, 63. *sed ille Graecus ab omni laude felicior.* Sueton. Tib. 70. *ut aliquanto ex tempore, quum a cura praestantior haberetur* (stilus). Plaut. Truc. 4, 3, 59. *tamen ab ingenio improbust.* Vid. Scipp. Susp. Lect. 5, 3. p. 244. Parei Analect. Plaut. p. 458. Cic. Brut. 66, 233. *is igitur mediocriter a doctrina instructus. angustius etiam a natura.* quod ne ad caussam referatur, demonstrat 43, 161. *nisi qui a philosophia, a iure civili, ab historia fuisset instructior.* Coelius apud Cic. ad Fam. 8, 10. *ego quidem praecipuum metum, quod ad te attinet, habui, qui scirem, quam paratus ab exercitu esses.* conf. 11, 13, 11. et Cortius ad 10, 8, 12. Cic. ad Attic. 7, 15. *sumus enim flagitiose imparati quum a militibus, tum a pecunia.* Liv. 7, 1, 7. *ab seditione et a bello quietis rebus.* i. e. quod ad bellum attinet. Plancus apud Cic. ad Fam. 10, 15, 3. *quod Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur.* Vid. Cort. ad Sallust. Iug. 48, 3. p. 634. de quo loco diximus p. 40. Ruddimann. 2. p. 264. not. Cic. ad Attic. 5, 18. *tuto consedimus, copioso a frumento — loco.* 8, 14. *omnino intelligo nullam fuisse tempus post has fugas et formidines, quod magis debuerit mutum esse a litteris.* Apuleius Metam. 1, p. 106, 41. *in aliam civitatem summo vertice montis exasperati sitam et ob id ab aquis sterilem transtulit.* cf. Barthii Adversar. p. 1220.

De usu simplicis ablativi vid. Zumptii Gramm. 457. Cortius ad Sallust. Iug. 48, 3. appellat morem vulgi, quasi in praepositione insit elegantia propria.

3. Non aliter dicuntur verba *dolere*, *laborare ab aliqua parte* vel *re*, et *valere ab aliqua re*, et alia, quibus etiam simplex ablativus additur, caussae notionem exhibens.

Plaut. Cist. 1, 1, 62. *doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab aegritudine.* Vid. Bothius ad Milit. 1508.

Plaut. Aul. 2, 2, 9. M. *Ain tu te valere.* E. *Pol ego haud perbene a pecunia.* Epid. 1, 2, 26. *a morbo valui, ab animo aeger fui.* Vid. Parei Lex. crit. p. 4.

Plin. Hist. nat. 32, 10, 46. *a frigore laborantibus.* de hominibus gelatis explicat Dalecamp. caussam intelligens, quam expressit Columella 2, 10, 6. *frigore laboranti:* equidem acceperim de febri, ut apud Horat. Sat. 1, 1, 80. Varro de Re R. 2, 2, 17. *et a frigore et aestu ne quid laborent, curandum.* *in Hinsicht der Kälte und Hitze.* Horat. Sat. 1, 4, 26. *aut*

ab avaritia, aut misera ambitione laborat. Bentleio ita emendanti omnes assenserunt. Codices autem omnes *ob avaritiam*, quod vix probari potest. Cortius ad Sallust. Iug. 31, 2. vim caussalem tribuit praepositioni.

IV. His ex ordine expositis observationes adiiciam, quae vel ad usum recentioris temporis, vel ad constructionem quorumdam verborum spectant.

1. Cum nominibus ad munera et officia pertinentibus praepositio coniungitur, ut cum significet, qui alicui muneri praeest, praesertim servos et libertos. A Graecis id desumptum putant, quemadmodum illi ὁ ἀπὸ τῶν κυλίκων. Atque recentior videtur esse hic omnis usus, et ex vulgari sermone antiquiore in libros receptus. Nam unum exemplum, quod legitur apud Ciceronem, ob ipsa verba dubium est. Aucto scilicet officiorum aulicorum numero opus erat brevi aliqua nominatione, nec sufficiebant appellativa, quae non ambiguitate laborarent. Charisius Inst. gram. 2. p. 207. *ab duplex est: nam et pro ἀπὸ et pro ἐπὶ apud nos accipitur, ut a bibliotheca, ab epistolis.*

Cic. ad Att. 8, 5. *Pollicem, servum a pedibus meum, Romam misi.* Iam Ursinus haec verba eiicienda, et *Pollicem meum* scribendum esse existimavit. Alii scripserunt, *servum a pedibus meis:* sed temere. *A pedibus* servus esset, quo Cicero ad iter vel ad litterarum missionem uteretur. Suetonius habet haec: Iul. 74. *a manu servum.* Vespas. 3. *Antoniae libertam et a manu* ex certissima emendatione Sabellici. Aug. 87. *Thallo a manu.* Claud. 28. *Narcissum ab epistolis, et Pallantem a rationibus:* et antea *Polybium a studiis.* Domit. 14. *a libellis.*

Hinc *a balneis, a codicillis, a commentariis, a iumentis, a libellis, a memoria*, de quo vid. Oudendorp. ad Suet. Aug. 79. *a statuis, a potione, ab vehiculis, a veste, ab unguentis*, et alia, quorum exempla suppeditant lexica. Vocabulum *servus* et nomen domini saepe omittuntur. Gronov. Observ. 2, 24. p. 419. Cuius usus permulta exempla ex lapidum inscriptionibus collegit Gesnerus in Thesauro p. 6. n. 35., quae hic referre non operae pretium est. Vid. Gulielm. in Plaut. Cistell. Quaest. 3. p. 379. Grut. Lamp. Gronovii Observ. 2, 24. p. 418. Dom. Calderini Obs. in Gruteri Lamp. T. 1. p. 311. Heineccius in Brisson. de verb. sign. p. 2. 9. Attende autem ob structuram verborum ad haec: Sueton. Tib. 42. *novum denique officium instituit a voluptatibus, praeposito equite Roma-*

no. Vopisc. Cari 19. *qui Diocletiano ab epistolis fuit.* Lamprid. Alex. Sev. 31. *ita ut ab epistolis et libellis et a memoria semper assisterent.* ubi vid. Salmasius. Lamprid. Comm. 6. *inter quos libertinus, qui a pugione appellatus est.* In Corn. Hann. 12, 4. *puer a ianua prospiciens.* non dubitare debebant critici, quin *a ianua* coniungerent cum verbo *prospiciens*, quod nomine carere non poterat.

„Apparet, bona aetate genitivum domini vel patroni poni solitum, quia nempe vel intelligitur vel adiicitur nomen: libertus, servus, verna, scriba, praepositus, procurator, proximus. Deinde etiam dativum sequiori aetate adiici. Rationem eius constructionis aperit Seneca Lud. extr. *is Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus ei esset.* Quamquam libri quidam pronomen omittunt.“ Gesnerus in Thesauri l. l. Conf. Buchner. de commut. rat. dic. 1, 22. p. 356. Cellar. Antibarb. 242 Curae post. 234. (203.) Noltenii Lex. Antib. p. 1266.

Quaerebant critici, an alia etiam officia praeter servos ita notari potuerint, adhibito loco Taciti Ann. 15, 35, 2. *quin eum nobiles habere, quos ab epistolis, et libellis et rationibus appellet, nomina summae curae et meditamenta.* Sed corruptum esse affirmabant optimi critici locum, cuius caussam hic exponere longum est: interim vide Gronov. et Ernest. ad eum, et respice ad locum Sueton. Tib. 42. antea a me memoratum.

Koelerus in Wolfii Analectis 4. p. 358. ellipticam existimavit esse loquutionem, omisso participio *ens.* Quod ii non immerito improbabunt, qui in his formulis brevitatem dicendi ab ellipsi distinguunt.

Ceterum has formulas saepe uno accentu comprehensas esse *asecretis, acaliculis,* notavit iam Priscianus p. 688. (5, 12, 66.)

2. Recentioris aevi scriptores praepositionem AB etiam adverbiis apponunt, quod ex vulgari sermone receptum, rationem suam in commutatis verborum formis habet. Nam adverbia in his pro substantivis usurpantur. Max. Victorin. de Arte gr. p. 1951. *adverbiis adiici praepositiones negant omnes technici, quamvis licenter veteres usi sint.*

Vitruv. 5, 7, (6.) 8. *quae efficiunt unam a foro, altera a peregre aditus in scenam.* Paullin. Iamb. ad Cyther. 437. *ab intus emicabat gratia.* Aggenus Urbic. de Contr. agr. p. 53. Goes. *a foras.* Interpres Matthaei Evaeg. 26, 58. *a longe.* Paullin. 8, 28. *a modo iam resilire via properetis iniqua.*

Vid. Gul. Insulani Sylva Observ. p. 80. Muncker ad Hygin. p. 257. Cyprian. Epist. 63, 9. *ab invicem.* Hieronym. Epist. 18. Apulei. de Herb. 112. *semina obrecta foliis ab invicem discernuntur.* Nes von einander unterscheiden. Vid. Cellarii Antibar. p. 209. (244.) Car. post. p. 290. (324.) Noltenius originem dictionis apud Hebraeos frustra quaerit: nam in quacunque lingua talia gignuntur substantivorum multiplicandi studio.

3. Quemadmodum aliae praepositiones, ita etiam AB cum suo nomine non solum e verbis et ex nominibus pendere, sed etiam ab adverbiis regi, id paucis exemplis notasse sufficit.

Livius 40, 47, 4. *si non impetrassent, tum separatim ab illis se consulturos.* Curt. 7, 2, 37. *hanc seorsum cohortem a ceteris tendere ignominiae caussa iubet.*

4. Critici, qui in nonnullis locis praepositionem abundare, atque adeo abiiciendam esse existimarunt, in aliis eam a scriptoribus omissam, aut a librariis oblitteratam denuo resitiendam esse decreverunt: quae tamen explicatione magis expedire et vindicare debebant.

Livius 2, 13, 2. *adeo moverat eum et primi periculi casus, quo nihil se praeter errorem insidiatoris texisset, et subeunda dimicatio toties* etc. ibi *quo* non est *a quo*, sed *quod, quoad, inuiefern*, pro *quum* positum, nisi hoc ipsum *quum* restituendum est. Sensus est enim verborum: quum se nulla re texisset, praeterquam quod insidiator Mucius errore deceptus esset. Livius 23, 6, 1. *hac oratione consulis dimissis — legatis.* Erant qui corrigi iuberent: *ab hac oratione:* perperam, quamquam ita Livius scribere potuisset. Dimittebantur enim legati ipsa oratione habita. Plin. Hist. nat. 7, 54, 55. *sicut in Cornelia nemo ante Syllam dictatorem traditur crematus: idque eum voluisse, veritum talionem, eruto C. Marii cadavere.* Ita codices: quare Harduinus coniecit *ab eruto*, quod esset aut a parte cadaveris excitatum, aut etiam post erutum cadaver. Alii antea emendaverant *eruto*, nec male.

5. Omittitur praepositio, ubi ipsa in verbo inest. Id grammatici docent, et caussam additae praepositionis quaerunt in perspicuitate. Vid. Ramshorn. Gram. p. 272. Exemplis nil opus est, sed rationis animadversione. Ut supra iam cum laude narravi, Seyfertus

erat, qui in Gramm. T. 4. p. 181. verbis *abesse*, *abalienare*, *abducere*, *absterrere*, *avertere* semper componi praepositionem, ubi sermo esset de rebus animatis, subtiliter observaret.

In Sueton. Oth. 3. *Poppaeam Sabinam — abductam marito — nuptiarum specie recepit.* critici dativum agnoscunt. Quod Ramshornius notat, Livium dixisse 36, 25. *ut oppugnatione absisteret*, nusquam ita Ciceronem: proprietatem non negaverimus, ille si demonstraverit, ubinam usquam Cicero dixerit *ab aliqua re absistere.* Ille enim hoc verbum non cognitum habuit.

6. Non sine caussa Burmannus ad Ovid. Her. 9, 96. animadvertit proprietatem quamdam in eo poetae usu, quo *ab* ordine verborum dirempto, et praesertim interposito pronomine *ipse*, a suo verbo distrahitur. Her. 12, 18. *ut caderet cultu cultor ab ipse suo.* 13, 116. *languida laetitia solvar ab ipsa mea.* ex Pont. 3, 3, 46.

* In libris scriptis confunditur praepositio *ab* cum v. *ac*. vd. intpr. ad Virgil. A. 10, 270. cum v. *ad*. vd. Schwarz. ad Plin. Pan. 892. Oudendorp. ad Caes. B. G. 8, 41. p. 496. cum v. *ah*. vd. Broukhus. ad Propert. p. 66. a. cum v. *at*. vd. Ruhnken ad Rutil. 1, 9. cum v. *autem*. vd. Drakenb. ad Liv. 2, 27, 12. cum v. *de*. Burm. ad Ovid. Her. 4, 96. cum v. *e*. Huschk. ad Tibull. 2, 3, 22. 2, 5, 30. Miscell. Obs. T. 5. p. 128. c. v. *in*. Gernhard. ad Cic. Cat. 6, 15. 20, 76. intp. ad Virgil. G. 2, 272. Burm. ad Aen. 6, 357. cum. v. *ob*. Drakenb. ad Liv. 24, 30, 1. cum v. *sub*. Ovid. Her. 9, 129. Saepe eam omittebant librarii post voces littera *a* desinentes. vd. Drakenb. ad Liv. 2, 59, 6. 2, 34, 1.

ABANTE.

Vocabuli ABANTE, quod eodem modo conformatum est, quo verba *exante*, *inante* iam antiquis temporibus, nullum in libris inveni exemplum. Sed Scip. Gentilis in Parerg. ad Pandect. 1, 14. p. 36. et Gruterus p. 717. n. 11. afferunt inscriptionem hanc Romae in aedibus Francisci Novelli ad Sanctum Marcum repertam: FUNDI HUIUS DOMINUS INFANS HIC IACET SIMILIS DEO. HUNC ABANTE OCULIS PARENTIS RAPUERUNT

NIMPHAE IN GURGITE. MONUMETUM QUOD FILIUS PATRI FACERE DEBUERVT IPSE FECIT. Gruterus MONVMENTV QVOT. Scipio Gentilis comparat Italicum *avante*, vertitque ista verba: *avante gli occhi: ἀπ' ὀμμάτων*. Et aliam inscriptionem in indice Gruterus, sed falso numero notat: aliam Aquilae repertam edidit Ludov. Ant. Muratori in *Saggi di Dissert. accad. pubbl. lette nella Accad. di Cortona*. T. 2. p. 143. IN. AG. P. XV. IN. F. P. X. ABANTE. LON. P. XIS. LATV. P. XIIS. Vide vocabulum ANTE.

ABHINC.

1. ABHINC adverbium est ex *ab* et *hinc* compositum, quod proprie significat vel ab hoc tempore, vel ab hoc loco. Usu autem haec significatio eo restringebatur, ut fere de tempore usurparetur, in annis et diebus et mensibus retro numerandis, et in notando praeteriti temporis intervallo, quo aliquid a praesentia distaret. Nos dicimus *von jetzt*, *vor*, *nun vor*. Apponuntur ob temporis complexum cardinalia, nec quisquam antiquorum scriptorum dixit *decimo abhinc anno*, sicuti nostris hominibus saepe placuit.

Cic. Verr. 1, 12, 34. *Quaestor Cn. Papirio consuli fuisti abhinc annos quatuordecim: ex ea die ad hunc diem quae fecisti, in iudicium voco.*

In Plin. Hist. nat. 14, 4, 3. *septimo abhinc anno in Narbonensis provinciae Alba Helvia inventa est vitis uno die deflorescens.* Harduinus e duobus codd. edidit *hinc*. Sed alii libri *septem his annis:* et recte, vel ob ipsum verborum ordinem, de quo postea dicam. Plinius enim loquitur de septem proximis annis, quorum aliquo tempore inventum erat illud vitium genus.

Componitur ABHINC et cum accusativo et cum ablativo, omissis, ut ait Vossius de Analog. c. 24. p. 486., praepositionibus *ante* et *in*. Et Charisius p. 175. *Plaut. in Mostell.* [2, 2, 63.] *qui abhinc quadraginta annis occisus foret: ubi Caper, utroque casu recte dicimus, quamvis ut sordidum et vulgare, inquit, quidam improbent.* Erant igitur, qui accusativum unicum probarent. At casus isti nominum per se significant spatium et rationem temporis. Vid. Noltenii Lex. Antibarb.

p. 1271. Facciolatus vero praepositionem appellabat *abhinc:* quod etiam Ruddimannus 2. p. 292. probavit, nullo quidem argumento. Ipsa autem significatio vocabuli non mutatur constructione nominis diversa, neque accusativus magis in usu erat quam ablativus.

Plaut. Casin. Prol. 39. *sed abhinc annos factum est sedecim, quom conspicatus est primo crespusculo puellam exponi.* Cic. p. Balbo 6, 16. *etenim si Cn. Pompeius abhinc annos quingentos fuisset* etc. Philipp. 2, 46, 119. *etenim si abhinc annos prope viginti hoc ipso in templo negavi posse mortem immaturam esse consulari, quanto verius nunc negabo seni?* de Divin. 2, 57, 118. *Demosthenes quidem, qui abhinc annos prope CCC fuit, iam tum* φιλιππίζειν *Pythiam dicebat.* Terent. Andr. 1, 1, 42. *interea mulier quaedam abhinc triennium ex Andro commigravit huc viciniae.* Vellei. Pat. 1, 6, 1. Plaut. Most. 2, 2, 63. *mirum quin vigilanti diceret, qui abhinc sexaginta annis occisus foret.* Cic. in Verr. 2, 52, 130. *Herodotus quum Roma revertitur, diebus, ut ipse putabat, quinquecim ante comitia, offendit eum mensem, qui consequitur mensem comitialem, comitiis iam abhinc triginta diebus habitis.* Nos schon vor 30 Tagen. ad Att. 12, 17. *quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV spopondisse dicit Flavius* etc. p. Rosc. Com. 13. 37. *Quo tempore? Abhinc annis IV.*

Vellei. Pat. 1, 12, 5. *Carthago diruta est, quum stetisset annis* DCLXVII, *abhinc annos* CLXXVII.

Non addito numero annorum definito Gellius Noct. Att. 1, 10. *tu autem, proinde quasi cum matre Evandri nunc loquare, sermone abhinc multis annis iam desito ateris.*

Eodem sensu Plautus et recentiores scriptores dixerunt etiam *hinc.* Trucul. 2, 3, 19. *me nemo magis respiciet, ubi iste huc venerit, quam si hinc ducentos annos fuerim mortuus.*

Quum verbis *abhinc centum annis* antiquo usu significetur, quid ante centum annos factum sit, a Vorstio non sine caussa quaeritur (p. 163. de Latin. mer. susp.) num illis verbis etiam id exprimi possit, quod intra centum annos factum sit: siquidem scriptores nostrae aetatis saepe ita loquuntur, et affert Vorstius exempla. At desunt antiqua.

In hoc autem, quem exposuimus, usu *abhinc* semper praecedit nominibus annorum vel dierum, et pro-

ximo quidem loco. Cuius rei caussam in eo conspicio, quod adverbium cum his nominibus una notione copulatur, iisque inhaeret.

2. Rara sunt exempla, in quibus *abhinc* non additur ablativo aut accusativo, sed coniungitur cum verbo.

Pacuv. in Armor. iudicio apud Charis. Inst. 2. p. 175. *seque ad ludos iam inde abhinc exerceant.* Cic. pro Rosc. Com. 13, 37. *repromittis tu abhinc triennium.* Apulei. Apol. p. 310, 5. *sed abhinc ferme triennium est, quum primis diebus, quibus Oeam veneram, publice disserens de Aesculapii maiestate, eadem ista prae me tuli.*

3. Goelenius in Observat. p. 76. et Vossius de Vitiis serm. p. 164. quum observassent *abhinc* non nisi de re praeterita dici, quam sententiam Schorus de Phrasibus sub h. v. Buchlerus in Elegant. reg. Westerhovius ad Terent. in Addendis p. 192. aliique multi comprobaverunt, adversarius exstitit Scioppius in Gramm. philos. 2, 2, 3. p. 217. (p. 152.) et in Animadv. in Vossii libr. de Vitiis s. p. 12. demonstrans, in iis Pacuvii et Ciceronis locis, quos modo apposuimus, particulam de futuro tempore usurpari. Eadem iterum exposuit Vorstius de Latin. merito susp. 2. p. 22. 18. p. 163. Tum vero Borrichius in Defens. Vossii p. 269. et Ciceronis locum orat. p. Rosc. Com. de praeterito tempore explicabat, ut ista verba dicta esse viderentur pro *repromisisti ante tres annos*, et Pacuvii auctoritatem ad usum meliorum scriptorum attinere negabat. Illud etiam Facciolatus fecit in Tursellino, quamquam in notis ad Ciceronem Scioppio assentatus erat: de qua inconstantia egit Schwarzius in Monum. ingen. 1. p. 148. Conf. Iensii Collectan. et ad ea Kappius p. 56. Titius in Manud. ad Excerp. c. 33. p. 167. Sed Io. Casp. Khunius in Animadv. ad Vorstii librum Argentor. 1715. editus p. 4. et Schwarzius in Tursellino iterum excitaverant locum Palladii 4, 13, 9. de equorum dentibus: *sexto anno, quos primo mutavit, exaequat, septimo anno omnes dentes eius explentur: latent abhinc aetatis notae.* Ernestius, qui ultimam editionem Tursellini emendasse fertur, addit: „sed quid impedit, quo minus etiam hic sit *ab hoc tempore* i. e. a septimo anno.“ Quibus quid vir doctissimus sibi voluerit, non perspicio. Videlicet quaeritur, num *abhinc* etiam de annis non retro nume-

randis usurpetur. Quare Vincentius Bellovac. scripsit *latent hinc.* Universa ista ratio haud aliena est ab indole vocabuli: at usus eam admittere noluit. Igitur boni scriptores omnes usurpabant de tempore futuro loquentes verba *ad* et *post.* Unus, quod sciam, Symmachus Epist. 4, 59. *Quadrigarum curulium nobilitas praeparanda. Nec pretium proxima abhinc aestate mittemus, sed iam necessitatem praecurrat electio.*

Castalionem tum in Bibliorum versione, tum in Dial. sacr. Genes. 40, 19. 2 Reg. 20, 5. de futuro tempore *abhinc* dixisse, notavit Ruddimannus 2. p. 292.

4. De loco usurpatum *abhinc* in uno Lucretio deprehendisse sibi visi sunt grammatici omnes. Poeta enim ille 3, 967. *aufer abhinc lacrumas, barathre, et compesce querelas.* ut vulgo legitur. Sed praeter suspectum illud nomen *barathri,* quod nemo satis explicuit, etiam *abhinc* aptum sensum praebet nullum, nisi pro *hinc* accipias, sicuti Plaut. Pers. 5, 2, 19. dixit *iurgium hinc auferas.* Meinerus ad tempus referebat vertens *von jetzt an:* quod reliquis verbis non convenit. Quamquam igitur ipsa vocabuli formatio non poterat aliena videri a notione loci, tamen non permisit communis usus. Nos certe alia exempla plura desideramus.

ABSQVE.

1. Absqve praepositio est, cum ablativo componenda. Significat absentiam rei exclusae. Atque in hac exclusionis notione discrimen cernitur, quo vocabulum *sine* distinguamus. De origine vocabuli absqve egregie disputavit Priscianus XIV. p. 996. (14, 5, 44.) *derivatur autem ab eo, quod est abs, absque: nam que quando vim et significationem coniunctionis non habet, syllaba est, non pars orationis, quomodo in ubique, undique, itaque, denique et similibus.* p. 999. (14, 6, 49.) *absque quibusdam composita a praepositione abs et que coniunctione videtur, sed numquam que coniunctio compositione suam vim amittit, ut atque, neque, quoque. Ergo quando amittit significationem, syllabice magis adiecta* (Krehl. *syllabica magis adiectio.* non male) *vi-*

detur. Est igitur, ut mihi videtur, derivatio, ab, abs, absque, quomodo ab unde undique, ibi ibique (leg. *ubi ubique:* ut Krehlius etiam emendavit), *ita itaque, uter uterque, quis quisque: in quibus coniunctionis significatio nulla remanet. Ostendimus tamen in superioribus, quod etiam Graeci soleant addere δὲ sine aliqua coniunctionis significatione, ut ὅδε, τοῦδε, τῷδε.*

Praepositionem esse hanc vocem, comparato Graeco usu, idem demonstravit Priscianus, qui quum docuisset, nonnulla Graecorum adverbia *apud Latinos ideo praepositiones accepta esse, quia et casualibus praeponerentur et gravi accentu pronuntiarentur*, pergit p. 999. *sine etiam et absque apud Graecos adverbia sunt, ut supra dictum est, quae praedicta ratio fecit apud Latinos praepositiones putari. Habent autem consimilem significationem, quae est negativa, nec in compositione inveniuntur.* Tamen Donatus ad Terentii Hecyr. 4, 2, 24. dubitabat, utrum in hoc loco pro praepositione, an pro adverbio acciperet.

2. Distingui debet antiquior usus a recentiori. Nemo enim veterum scriptorum usurpavit hanc praepositionem, nisi in formula *absque eo esset*, de qua deinceps dicemus. Nam quod apud Plautum legitur in Mostell. 3, 2, 78. *subdiu coli absque sole perpetuum diem.* factum est a Camerario, hoc quidem in loco haud felici interpolatore. Duo exempla, quae apud Ciceronem exstare videbantur Cellario (Antibarb. p. 105. et Cur. post. p. 172.) suspecta aut falsa sunt. De Invent. 1, 36, 62. *est autem quaedam argumentatio, in qua propositio non indiget approbatione: et quaedam, in qua nihil valet absque approbatione, ut ostendemus.* Ad haec Oudendorpius: „MSS. omnes dant cum ed. omnib. *sine adprobatione.* Ac nullus dubito, quin et alii viri docti invenissent suis in codicibus, si attendissent. Quis hoc primus mutaverit, nescio: perperam sane. *Absque* eo sensu Ciceronis aevo non erat latinum. Vide me ad Lucan. 6, 152. Heinsii Advers. p. 145. quo in loco mire hallucinatur Withov. in Encaen. p. 142. Frustra igitur Cellarius in Cur. post. c. 5. protulit hunc locum, ut probet *absque* pro *sine* fuisse tunc in usu, subiecitque alterum ex lib. 1. ad Attic. Ep. 10. (19.) *Nullam a me epistolam ad te sino absque argumento ac sen-*

tentia pervenire. Sed quovis pignore contendere velim, in menda cum locum per verbum *sino* cubare. Pro *sine* male etiam *absque* suppletum fuit in Inscriptione Claudio Imp. dedicata, apud Fabrett. p. 726. 728. Inscript.“ Ciceronis verba correcta esse videntur a librario quodam elegantiae studioso, cui integra verba *sino sine argumento* ob ingratam syllabarum similitudinem displicerent, nec dubito ita restituere. Si quis tamen existimaverit, etiam antiquis temporibus *absque* vulgi in ore fuisse, et a Cicerone in epistola negligenter scripta admissum esse, suspectam rem aliquo modo excusabit, at ipsum veterum usum non vindicabit. Etiam in Lucan. Phars. 6, 152. versum, in quo legitur: *absque cruore*, ab interpolatore quodam inficeto profectum esse, iam satis expositum est quum ab aliis criticis, tum nuper a Car. Frid. Webero p. 570. Dissert. de spuriis Lucani versibus.

His castiganda sunt, quae Schellerus in Observ. p. 8. contra Ernestium protulit. Nec quidquam profecerunt Celarius in Antibarb. c. 2. et Io. Casp. Khunius in Animadvers. ad Vorstii librum Argentor. 1715. 15. qui exempla serioris aetatis cum istis suspectis non satis prudenter contulerunt.

Restant igitur recentioris temporis haec, in quibus tamen omnibus *absque* significat *praeter*, quod aut de tota re excepta, aut de partibus exceptis dicitur. Illud reddas per *außer*, sive per *fern von.*

Quinctil. Inst. Orat. 7, 2, 44. p. 608. Burm. *an etiamsi nulla ratione ductus est, impetu raptus sit et absque sententia.* i. e. praeter sententiam. Gellius 2, 2. *Invitavit Taurus patrem praesidis, ut sederet. Atque ille ait: sedeat hic potius, qui populi Romani magistratus est. Absque praeiudicio, inquit Taurus, tu interea sede, dum inspicimus quaerimusque, utrum conveniat, tene potius sedere, qui pater es, an filium, qui magistratus est.* i. e. cohibito iudicio. Apulei. de Habit. doctr. Platon. 2. p. 25, 12. *nec frustra est, quod sola virtus fortunatissimos potest facere: quum absque hac ex aliis prosperis non possit felicitas inveniri.* Cod. Iustinian. 10, 72, 1. *ideoque censemus, ne quis absque praecepto viri illustris comitis sacrarum largitionum vel coquendum aurum sumat vel capiat deinceps retinendum.* Eugenii, ut fertur, Epigr. v. 11. *absque modo largus.* Vide alia apud Bünemann. ad Lactant. 4, 13, 8.

Quare differt *absque* quodammodo a *sine:* quamquam Priscianus l. l. utrumque ex aequo comparat, neque recentiores gramma-

tici, qui *absque* pro *praeter* positum ad depravatum usum referunt (vide Schwartzii Grammat. 928. Cellar. Cur. post. p. 212.), satis ad discrimen attenderunt: quod intellexisse videtur Vorstius de Latin. merito susp. p. 76. Donatus etiam ad Terentii Hecyr. 4, 2, 25. *absque, extra: ut sit adverbium magis quam praepositio.* Tamen sunt loca, in quibus pro *sine* dictum esse facile concedas, veluti Apulei. Metam. 9. p. 228, 32. *ni respecto communi periculo, vix eum ab impetu furioso cohibuissem, asseverans brevi, absque noxa nostri, suapte inimicum eius violentia sulphuris periturum. ohne Nachtheil für uns* Symmach. Epist. 5, 31. *propinquam sancti Asclepiadis philosophi absque litteris meis abire par non fuit.* 2, 59. *si quid absque te dulce est.* Auctor Declam. in Cic. 1, 7. *absque carnificis nomine.*

Partis exclusionem habet in his, quae etiam explicari possunt per *praeter*, nostrum *ausgenommen* vel *aufser.*

Gellii Noct. Att. 13, 18. *id quoque animadvertimus apud Aeschylum ἐν τῷ πυρφόρῳ Προμηθεῖ et apud Euripidem in tragoedia, quae inscripta est Εἰνώ, eumdem esse versum absque paucis syllabis.* Symmach. Epist. 2, 36. *Consulti pontifices — absque paucis, qui me sequuti sunt, ut eius officium statuerent, annuerunt.* Mamertin. Genethl. Maxim. 8, 3. *absque paucissimis.* Solin. Polyhist. 46. de phoenice: *postera parte purpureus absque cauda, in qua roseis pennis caeruleus inscribitur nitor.* i. e. excepta cauda.

In Apuleii Apolog. p. 310, 1. *scitis, quid domi conditum celetis, et absque omnibus profanis tacite veneremini.* intelligitur: exclusis omnibus profanis, vel remoti ab omnibus profanis. Ammian. Marcell. 23, 5. p. 395. Gron. *ad summam polliceor universis, rebus post haec prospere mitigatis absque omni praerogativa principum, qui quod dixerint vel censuerint pro potestate auctoritatis iustum esse existimant, rationem me recte consultorum vel secus, si quis exegerit, redditurum.* i. e. non utens praerogativa principum, reiecta praerogativa.

Quae 18, 10. leguntur: *vim in se metuentem prope venire permisit intrepidam et visam opertamque absque labra ipsa atro velamine certiore iam spe mariti recipiendi — benignius confirmavit:* haec corruptione laborare nemo negabit. Gronovius emendavit *adusque labra.*

3. Formula est dicendi Comicis familiaris *absque*

te esset, absque eo esset: de qua haec notanda. Praeter comicos de reliquis scriptoribus nemo ea utitur: quare ipsa ex vulgari sermone desumpta esse videtur. Reliqui enim dixerunt, *si tu non esses, si illud non esset.* Vid. Vorst. de Latin. mer. susp. p. 80. falso susp. p. 46. Atque eumdem sensum istius formulae esse grammatici autumant, *si tu non esses, nisi hoc fuisset,* adduntque omissam coniunctionem *si:* quae omnino non suppressa est. Nam quaecumque conditionalis sententia etiam coniunctione non adiecta efformari potest, sicuti fit in vernacula quoque lingua nostra. Facilius intelligitur *hoc,* quod in uno Plauti loco personae nomine expressum, ut sensus sit, si hoc a te remotum, sine te esset: quod nos ad ipsam personam referimus: *wärst du nicht gewesen.*

Plaut. Menaech. 5, 7, 33. *nam absque te esset, hodie numquam ad solem occasum viverem.* ubi edit. antiq. non correcti praebent, *si absque te essem.* Et ita Bacch. 3, 3, 8. Trin. 5, 2, 3. Et prima persona Pers. 2, 2, 55. *nam hercle absque me foret et meo praesidio, hic faceret te prostibilem propediem.* Et tertia Capt. 3, 5, 96. *quod absque hoc esset, qui mihi hoc fecit palam, usque offrenatum suis me ductarent dolis.* i. e. ille, qui mihi hoc palam fecit, si non esset. Transpositis verbis Trin. 4, 1, 13. *nam absque foret te, sat scio in alto distraxissent.* Terent. Phorm. 1, 4, 11. *nam absque eo esset, recte ego mihi vidissem.* Hecyr. 4, 2, 25. *quam fortunatus ceteris sum rebus, absque una hac foret, hanc matrem habens talem, illam autem uxorem.* In his ne cum Bentleio corrigas *sim,* attende ad Graecum usum. Donatus quum legisset, *absque una haec foret,* adverbium esse putavit, *absque foret* pro *abesset.* Sed quod idem ille exhibet, *absque uno hoc foret,* quaeri potest an praestet. Attamen in *una hac* intellige rem, non uxorem.

Ironiam, quam Pareus Lex. crit. p. 13. in hac formula inesse dicit, ipsa allata exempla non continent. Barbari nostrae aetatis scriptores hac formula admodum delectabantur, ut novam etiam per praepositionem *sine* fingerent: *sine eo esset:* cuius pravitatem exposuit Vorstius l. l. p. 74.

4. Ab his diversa sunt, in quibus ABSQVE pro *et abs, et ab* ponitur, veluti in vetustissima evocationis formula apud Macrob. Sat. 3, 9. *urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis.*

ABVNDE.

De vocabulo ABVNDE hic nobis disserendum est, non ut inter particulas, quarum constructionem peculiarem grammatici notandam esse censeant, id quoque verbum collocemus, verum ut omnino ab hoc ordine secludamus. Demonstratur enim in lexicis *abunde* esse adverbium, factum ex *abundus*, idque saepe instar substantivi poni, et cum genitivo construi, ultimam syllabam habens productam. Quae omnia aut incerta sunt aut falsa. *Abundus* enim nemo omnium scriptorum Gellio antiquiorum dixit, ipsumque hoc vocabulum factum est ex *abunde*, quod neutrum est adiectivi *abundis*, et substantivi usum in se recipit, sicuti *pote* et *necesse*, et adverbium fit, cum adiectivis et adverbiis componendum. Productam syllabam ultimam, nullus, quod sciam, locus comprobat, neque a regula aberravit Drepanius Florus, quum Psal. 23, 5. dicit: *hic semper abunde refectus*. Comparativi exemplum nullum exstat, sed dixerunt *abundantius* et *abundantissime*.

Glossar. Graec. *ἄφθονον τὸ πολύ, abunde, ubere*. Igitur *abunde* ab *abundis* deductum. In Terent. Andr. 4, 3, 14. Palmerius, assentiente Ph. Carolo in Animadvers. p. 13., ex aliquo codice protulit: *quibus res sunt minus abunde*, unde fecit *abundae*. id improbare debebat Guyetus, qui idem verbum antiquo fragmento Accii apud Non. Marc. 4, 192. s. v. *ferox* restituendum censebat. *neque vi tanta quisquam est, neque tam abundis fortunis ferox*. Ibi tamen omnes libri exhibent: *tam abundans fortunis ferox*.

Significationem ipsa vocabuli origo indicat. Opponitur id, quod satis est. Liv. 4, 22, 3. *frumentum non necessitati modo satis, sed copiae quoque abunde ex ante convecto sufficiebat*. Nam dicitur de eo, quod cum quadam abundantia large et copiose fit. Sed triplici modo hoc adiectivum usurpatur. Primum enim dicitur *abunde esse* eodem sensu ac *satis superque esse*. Ita saepe Plinius in Epist. 4, 30, 10. 5, 8, 7. 7, 2, 3. Pan. 44, 7. et Celsus 1, 3, p. 26. Alm. et Tacitus Hist. 2, 95. Tum *abunde* coniungitur cum genitivo. Sallust. Cat. 58, 9. *commeatus abunde*. Quinctil. Inst. 10, 1, 94. *abunde salis*. Vid. Heins. Adversar. 407. et 771.

Sueton. Caes. 86. Virg. Aen. 7, 552. *terrorum et fraudis abunde est.* Denique cum adverbii potestate praemittitur adiectivis et adverbiis. Sisenna apud Non. Marc. 11, 61. Sallust. Iug. 14. 18. *abunde magna praesidia.* Cat. 21, 1. ubi Cort. Quinctil. Inst. 11, 1, 36. ubi vd. Spalding. Ovid. ex P. 4, 3, 37. et additur verbis: quo uno modo Cicero semel usurpavit de Div. 2, 1, 3. *erit abunde satisfactum toti huic quaestioni.* Ovid. Met. 15, 758. Columella utitur formula *hoc dixisse abunde est* 4, 19, 1. et 5, 3, 9.

Ob constructionem notanda sunt Sallust. Iug. 102, 7. *quod parentes abunde habemus, amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis.* Fragm. Hist. 22, 26. *abunde libertatem rati.* Vellei. Pat. ita loquutus est, ut *abunde* proxime attingeret significationem verbi *satis:* quare Boeclerus et alii (vid. Misc. Obs. 8. p. 76.) pro ipso hoc positum illud esse arbitrabantur. Sed omnibus his locis communis est negationis aut, quae ad idem genus pertinet, interrogationis forma. 2, 17, 1. *Sulla, vir, qui neque ad finem victoriae satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest.* 2, 103, 4. *vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus.* 2, 116, 4. *quem virum ne qui intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil non optimo civi — perisset.* 1, 16, 2. *quis enim abunde mirari potest?* Quod enim non abunde fit, potest etiam non satis esse.

ABVSQVE.

Praepositio AB coniungitur ita cum vocabulo VSQVE, ut utrumque uno accentu comprehendatur, servata tamen ista praepositionis vi et significatione, de qua p. 13. diximus. Atque id usu factum videtur, non ratione. Quare grammaticis dubitatio iniecta est de genere et formatione huius vocabuli. Donatus in Edit. sec. p. 1761. *praepositio separatim adverbiis non applicabitur, quamvis legerimus, desursum, desubito, derepente, et exinde, et abusque et dehinc: sed haec tamquam unam partem orationis sub uno accentu pronuntiabimus.* Et Servius ad Virgil. Aen. 7, 289. *abusque et adusque usurpative dicimus: praepo-*

sitio enim nec adverbio iungitur, nec praepositioni: usque autem aut praepositio est, aut adverbium. Et ad 11, 262. *quum praepositio praepositioni numquam cohaereat, abusque et adusque licenter admissum est.* Rara sunt exempla, nec sufficiunt ad constituendam proprietatem, quam poetis tribuit Ruddimannus T. 2. p. 286. Etiam Gesnerus poeticam appellat transpositionem particularum *usque ab.*

Ex Plauti Amphitr. 1, 1, 97. afferunt: *haec illic est pugnata pugna abusque mane ad vesperum.* quod ex antiquis libris desumptum esse videtur. Nam vulgo legitur: *haec illic est pugnata pugna usque a mane ad vesperum.* quod iam Gesnerus improbavit. Virg. Aen. 7, 288. *et laetum Aeneam classemque ex aethere longo Dardaniam Siculo prospexit abusque Pachyno.* Avien. Arat. 169. *inde pruinoso si lumen abusque Dracone in convexa feras.* Apulei. Apol. p. 311, 30. *cui enim cani, cui vulturio Alexandrini coeli quicquam abusque Oeensium finibus oboleat?* Ammian. Marc. 19, 4. *Atque ut Thucydides exponit, clades illa, quae in Peloponnesiaci belli principiis Athenienses acerbo genere morbi vexavit, abusque ferventi Aethiopiae plaga paullatim proserpens, Atticam occupavit.* Solin. Polyh. 1. *Elin abusque Sicyone mille ducenta stadia uno die transierunt.* Vid. Salmas. p. 833. b. E.

Singulari modo Tacitus An. 15, 37. *volucres et feras diversis e terris et animalia maris Oceano abusque petiverat. Oceano abusque* igitur, si vera est scriptura, pro *ab Oceano usque:* cuius dictionis miror non plura exstare in recentioribus scriptoribus exempla. Ceterum quod Heinsius coniecit, *mari Oceano abusque petiverat,* quodque Ernestius et Gesnerus probaverunt, id non necessarium esse videtur. Volucres et feras enim Tigellinus e diversis terris longinquis, et animalia maris ex ultimo oceano petiverat.

AC.

Vide vocabulum ATQVE.

ACTVTVM.

Priscianus 15. p. 1013. (4, 20.) *similiter actutum derivatum est ab actu, id est celeritate. Virgilius in IX. Tum* etc. Sosip. Charis. p. 175. afferens eumdem

Virgilii locum: *actutum, cito.* Servius ad Virgil. 9, 255. *actutum, confestim sine dilatione: et est adverbium temporis.* Haec antiqui grammatici. Gerardus Vossius ad anadiplosin recurrit, qua Horatius formaverit *cinctutus* a *cinctus.* Sed magis conferri debebat *astutus*, ab *astu* factum. Idem Vossius in Grammatica p. 159. *actutum*, ait, quasi *actu tum:* quod vix intelligitur: sed sensum vocabuli esse vult: tam cito, quam agere possis. Equidem intelligo, uno actu, nulla alia re intercedente, nulla interposita mora. Comparari potest Graecum αὐτίκα, et Saxonicum *flugs.* Lindemannus, qui in Specim. IV. de Adverbio latino p. 17. verbale putatesse ex obsoleto verbo *actuo* factum, significationem concipit *cum multo actu, non segniter, celeriter.*

Rara sunt exempla in oratoribus: semel usurpavit Cicero, semel Livius. Frequentior usus apparet in comicis.

Plaut. Amph. 1, 1, 204. *Vide sis, quam mox vapulare vis, nisi actutum hinc abis.* Asin. 3, 3, 115. *inscende actutum.* Pseud. 1, 2, 53. *ne dictum esse actutum sibi quaepiam vostrarum mihi neget.* Terent. Phorm. 5, 6, 12. Ad. 4, 4, 24.

Cic. Philip. 12, 11, 26. *ego mortem actutum futuram puto.* Liv. 29, 14, 5. *M. Valerius — actutum in Italia fore nuntiaverat.* Virgil. Aen. 9, 254. *tum cetera reddet actutum pius Aeneas.* Symmach. Ep. 1, 41. *sed si bene aestimo, actutum merebitur.* 2, 64. 3, 43. 5, 35.

AD.

Ut originem vocabuli AD constitueret, Gerardus Vossius ad Hebraeos confugit, et vocem עד in latinum sermonem translatum esse existimavit. Qua subtilitate omnino non opus erat in primitivo vocabulo. De scriptura iam inter antiquos grammaticos ambigebatur multum. Nam litteram extremam etiam in hoc vocabulo, uti in reliquis omnibus littera D terminatis, asperiori sono pronuntiatam esse, testatur Quinctilianus 12, 10, 32. *quid quod syllabae nostrae in B litteram et D innituntur adeo aspere, ut plerique non antiquissimorum quidem, sed tamen veterum mollire tentaverint, non solum aversa pro abversis dicendo, sed et in praepositione B litterae absoram et ipsam S subiiciendo.* de quo loco diximus p. 1. Illam vero pronun-

tiationem vulgarem multi servabant in scriptura: de qua re Quinctilianus 1, 7, 5. *illa quoque servata est a multis differentia, ut* AD, *quum esset praepositio,* D *litteram, quum autem coniunctio,* T *acciperet.* ubi Spaldingius bene monet, ab ipso Quinctiliano hanc differentiam contemni. Conf. Nannii Miscellan. 3, 25. Alii grammatici, qui notionum varietatem ubique oculis subiicere solebant, utriusque vocabuli distinctionem obstinatissime tenuerunt.

Charisius 2. p. 203. *At coniunctionem,* AD *vero praepositionem scribunt: εὐφωνότερον tamen est, ut haec per* D *scribatur, ne subsequens* T *littera, duriorem suique similem sonum litterae amplexa, dictum faciat immitius.* Intellexit enim praepositionem in compositis verbis. cf. Vel. Long. p. 2225. Terent. Scaur. p. 2250. *scribendi autem ratio quatuor modis vitiatur: — per immutationem, ut quum* AT *coniunctionem per* D *scribunt, et eamdem, quoties praepositio sit, per* T: *quum alioqui e contrario debeat fieri.* Eadem Velius Long. p. 2230. et apud Cassiodorum p. 2287. Mar. Victor. p. 2457.

AT apparet in inscriptionibus. vid. Noris. in Cenot. Pison. 4. p. 453. (p. 216. Harles.) Dausque. Orthogr. p. 43. 48. et in vetustissimis codicibus. vd. Pierius ad Virg. Aen. 4. p. 54.

Universa praepositionis AD significatio ex ea ratione proficiscitur, qua duae res se attingere tentant, et qua motus aliquis versus aliquam rem dirigitur. Atque hac proprietate differt a vocabulis *apud* et *in*. *Apud* enim ipsam propinquitatem notat, in qua duae res iuxta positae sunt, *in* autem introitum et modum, quo aliquid in aliquam rem penetrat, aut penetrare videtur. Unde Senec. Epist. 73, 14. *deus ad homines venit, immo, quod propius est, in homines venit.* Conf. Diomed. 1. p. 409. Quamquam in multis haec ita conveniunt, ut altera praepositio alterius vim in se recipiat. Ex illa vero universa notione omnes, quae diversae admodum esse videntur, significationes in certos ordines deduci possunt, in quibus scilicet, re ad animum et cogitationem relata, metaphoricae distinguantur a propriis. Equidem haec persequar hac exemplorum distributione. Componitur enim AD praepositio

I. 1. cum verbis, quae motum ad aliquam rem directum significant, quo nomine etiam verba adhiben-

di, accommodandi, et quae aliquam conversionem indicant, comprehenduntur.

2. Hoc refertur ad tempus et res, quae in tempore fiunt: quare etiam de rerum terminatione et de eventu dicitur.

II. 1. Tum AD indicat quietae rei vicinitatem et praesentiam, qua aliam alia res attingere videtur. Cuius rationis multiplex est usus: nam ponitur

2. praepositio in occasione et nexu rerum indicandis, et

3. transfertur ad tempus, et

4. in numeratione adhibetur.

III. Denique inservit ea designandis rationibus, quae in rebus per cogitationem ponuntur, quaeque cernuntur

1. in comparatione,

2. in rerum conditione ad alias res relata,

3. in iis, quae rebus addant regulam et modum, et

4. in fine atque usu rerum significandis.

His interpositae erunt quaestiones de vi adversativa et caussali, quam grammatici huic quoque praepositioni tribuerunt, ageturque

IV. de quibusdam formulis, quae non unum, sed multiplicem habere videntur sensum, aut aliis adiunctis vocabulis, novam aliquam proprietatem in se recipiunt.

I. I. 1. Primum igitur praepositio AD nomini eius rei tribuitur, quam aliquid motu attingere cupit et in qua ipse motus terminatur, vel certe directionis finis apparet. Ita collocatur cum omnibus verbis eundi, proficiscendi, veniendi, accedendi, advocandi, afferendi, promovendi, mittendi, attingendi: quorum multiplex usus deprehenditur in metaphoris: sicuti dicitur *pertinere, sufficere ad aliquid.* Graeci dicunt πρός, Germani *zu, nach.*

Exempla ubique obvia sunt et in lexicis notata. Ego tantum haec commemorabo. Saepe coniungitur praepositio cum verbis, quae ipsam habent in sese: de qua re egit Drakenborch. ad Liv. 2, 36, 6. et ad Praef. 11. sed ad 40, 29, 12. observat Livium

nusquam dixisse *adire ad aliquem:* quo interdum usus est Cicero. ad Fam. 3, 10, 19. 3, 7, 4. in Verr. 1, 47, 123. Brut. 90, 311. vid. Broukhus. ad Tibull. 1, 5, 39. — Cic. ad. Qu. frat. 1, 1. *hic annus, qui ad laborem tuum accessit.* — *Ad calculum* s. *calculos vocare:* de qua dictione Drakenb. ad Liv. 5, 4, 7. — Solemnem militum formulam *ad arma* illustravit Duker. ad Flor. 2, 15, 8. Drakenb. ad Liv. 3, 15, 6. — Cic. ad Att. 3, 3. *te oro, ut ad me Vibonem statim venias.* Terent. Eun. 3, 5, 64. *eamus ad me.* — In verbis *intrare ad portum, evehi ad portum,* ut Liv. 35, 39, 5. *Villius quinqueremi nave ad ostium portus est invectus.* alia est ratio: nam *ad* significat regionem: quo modo dicitur Liv. 37, 13, 8. *pars in salo ad ostium portus in anchoris stetit.* vd. Gronov. ad illum locum libri 35. — *Ad pedes descendere, ad pedes deduci* dictio est militaris, de qua vide Gronov. ad Liv. 21, 46, 6. — Lactant. 2, 8, 4. *ex bono ad malum transcendit.*

2. In multis respicitur maxime ad terminum. Tunc AD significat *usque ad*, quod saepe etiam diserte exprimitur in extremis rebus indicandis.

Caes. B. Civ. 3, 60. *item ab angulo castrorum sinistro munitionem ad flumen produxerat.* Curt. 3, 9, 10. *ut quantum posset, agmen ad mare extenderet.* Lucan. 3, 630. *ratis ad summos repleta foros.* Columella 12, 47, 2. *quum ad fauces usque fuerint composita.* Dial. de corr. eloq. 19. *quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere, quem usque ad Cassium Severum faciunt.* Curt. 6, 5, 27. *laeva pars ad pectus est nuda.*

3. Eadem est ratio, ex qua praepositio haec construitur cum verbis adiiciendi, adhibendi, assumendi, accommodandi. In his plerumque pro dativo nominis poni dicitur.

Cic. p. Planc. 1, 3. *equidem ad reliquos labores, quos in hac caussa maiores suscipio quam in ceteris, etiam hanc molestiam assumo.* ubi, quam Ernestius in verbo *assumo* observasse sibi videbatur, durities nulla est. Terent. And. 1, 3, 10. *ad haec mala hoc mi accedit etiam.* Liv. 2, 13, 6. *sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit.* Vid. Gronov. ad 24, 47, 10. Alii hoc explicant: apud propinquos. Plaut. Trin. 2, 4, 93. *clypeum ad dorsum accommodem.*

4. Saepe hoc modo significatur eventus et effectus, quousque res processerit: ubi in quibusdam formulis

dubium est, an magis ad temporis notionem referantur: de qua re vid. II. 2.

Sallust. Iug. 1, 4. *sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptatis corporis pessum datus est.* Vellei. P. 119, 2. *exercitus omnium fortissimus — insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est.* 110, 6. Cic. in Verr. 5, 11, 28. *nonnumquam etiam res ad manus atque ad pugnam veniebat.* ad Qu. fr. 3, 4. *ad inimicitias res venisset.* Curt. 3, 11, 1. *iam ad teli iactum pervenerant.* — Haec quodammodo comparari possunt cum dictione apud Cic. pr. Domo 34, 92. et pr. Sext. 21, 47. *rem ad servos pervenire.*

5. Multae sunt dictiones, in quibus nihil impedit, quo minus praepositionem *in* substituas, unde saepe varietas scripturae exorta est: veluti *in terram deducere* et *ad terram d.* Suet. Dom. 17. *descendere metum deorum ad animos* Liv. 1, 19, 5. Quo differant *ad flumina* et *in flumina redire, ad corpora reverti* et *in corpora*, id ad Virg. Aen. 6, 720. monstraturus Burmannus non accurate exposuit caussam, et ad Ovid. Her. 3, 136. elegantiae nomine commendat usum praepositionis *in*. Oudendorpius ad Sueton. Tit. 6. ubi legitur: *receptaque ad se prope omnium officiorum cura.* negavit latine dici posse *recipere ad se*, nisi ut sit in domum et hospitio accipere, ideoque corrigendum censuit *receptaque ab se.* Tamen ipse Terentium affert, qui dixerit Heaut. 5, 5, 12. *ad me recipio: faciet.* pro, spondeo: quod profecto eamdem habet rationem. Illud scilicet, quo Suetonius usus est, vulgari sermoni desumptum, non barbarum videtur: reliqui scriptores dicebant *in se recipere.*

Vulgaris est loquendi formula *in aurem dicere*, ne alii audiant arcana verba. Sed Virg. Aen. 5, 547. *fidam sic fatur ad aurem.* ubi Burm. esse dicit *ad fidum hominem.* Atque ei assentitur Heynius. Contra autem Goerenz. Cic. de Fin. 1, 21, 69. *ut — eam tantum ad aurem admonerent.* explicuit *clam*, *non palam.* Equidem differre haec puto: *in aurem dicere* usurpari de occulto et clandestino sermone, *ad aurem dicere* de verbis familiariter et curiose prolatis, tamquam in aure repositis, quod nos alia metaphora exprimere solemus, *ans Herz reden.*

Quod vulgo dicitur *in pedes desilire*, Caesar B. Gall. 4, 12., scripsit: *consuetudine sua ad pedes desiluerant.* Et Petron. 97, 9. *ego ad genua Ascylto procubui.* Ita enim de sententia Burmanni recte edidit Antonius: nisi nomen Ascylti ab alie-

na manu additum est. Sed frequentiùs legitur *in genua procumbere.*

6. De praepositione AD cum nominibus urbium coniuncta grammatici sat multum disputarunt. Ac plurimi aliquam veritatis partem attigerunt, pauci tamen, vel nemo id, quo tota quaestio absolveretur, comprehensum tenuit. Alii enim observaverant praepositionem omitti solere in nominibus urbium: unde Charisius ex Palaemone p. 206. *nomina civitatum sine praepositione sunt cum verbis eundi, manendi, redeundi.* Et paullo post: *generaliter et canonice, ut Romanus disertissimus artis scriptor refert, praepositiones gentibus seu nationibus adduntur, civitatibus adimuntur et detrahuntur, licet contra nonnullos veteres dixisse reperiamus, ut apud eumdem Romanum invenies.* Servius ad Virgil. Aen. 1, 2. *ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum praepositionem addamus, civitatum numquam. Tamen plerumque hoc perverso ordine lectum est. Nam ecce hoc loco detraxit provinciae praepositionem dicens: Italiam venit pro ad Italiam venit. Tullius in Verrinis: ea die Verres ad Messanam venit, pro Messanam venit.* Alii praepositiones urbium nominibus addi, facile concedebant, propositis certis exemplis. Ita Cicero ex ipsa urbe Alyzia scripsit Tironi 16, 2. *tertio die abs te ad Alyziam accesseramus.* in Verr. 1, 27, 69. *quum ego ad Heracleam noctu accederem.* ad Fam. 3, 6, 2. *nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam navigassem.* et Sallust. Iug. 75. *eo modo instructus ad Thalam proficiscitur.* 57, 1. *Marius ad Zamam pervenit.* Liv. 5, 19, 8. *inde ad Veios exercitus ductus.* (tamen 5, 20, 4. *ut qui particeps esse praedae vellet, in castra Veios iret.*) 9, 24, 1. *ad Soram inde reditum.* 23, 1. *ad Soram traductae legiones.* 9, 22, 1. 6, 32, 5. Caesar B. Gall. 1, 7. *ad Genevam pervenit.* B. Civ. 3, 30. 3, 39. Curt. 4, 1, 15. Cf. Alvarum de inst. gram. p. 347. et quae de voc. *in* suo loco infra. Atque ipse Casaubonus in Sueton. Claud. 1. *corpus eius per municipiorum coloniarumque primores — ad urbem devectum esse* explicuit *in urbem.* Quae exempla quum rariora esse viderentur, Perizonius, Sanctii sententiam in Minerv. 4, 6. refellens, certe frequentiorem usum in praepositione non addita notavit, et praeeunte Malaspina in Cic. ad At-

tic. 7, 3. praecepit, non ingressum in urbem, sed accessum ad urbis regionem praepositione significari. Id probaverunt Oudendorpius ad Caes. B. G. 1, 7. Cortius ad Sallust. Iug. 57. Ruddimannus 2. p. 280. et alii. Sed iam Vossius intellexit hac universa regula parum effici: nam praeterquam quod accusativo nominum, non addita praepositione, etiam itineris directio ad alicuius loci regionem exprimitur, vulgaris loquendi consuetudo, non verborum ratio constituisse videtur hanc, quam optimi scriptores observaverunt, legem: sicuti, ubi A praepositio ponitur, non semper egressus ex vicinis locis notatur. Cic. de Senect. 4, 10. *cumque eo quartum consule adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quintoque anno post ad Tarentum.* Ibi critici explicant: ad exercitum, qui erat ad Capuam. Propert. 3, 21, 1. *magnum iter ad doctas proficisci cogor Athenas.* ubi ne caussam in adiectivo addito quaeramus, Vossius comparat Ovid. Her. 2, 83. *doctas iam nunc eat, inquit, Athenas.* Nec tamen Vossii sententia, de Constr. p. 473. prolata, comprobari potest, praepositionem addi, non ut motus ad locum vicinum, sed aliquid esse vel fieri in loco vicino significetur. Et quamquam ii, qui triumphum exspectabant, aut e provincia reverterant, usitata formula dicebantur *ad urbem venisse*, quam ingredi nondum iis licitum fuisset, hoc non una praepositione declarabatur, sed ipsa re. Sanctius igitur, „absurdius delirant, inquit, p. 234. qui contendunt, aliud esse *eo Romam*, aliud *eo ad Romam:* dicunt enim sine praepositione locum ipsum significari, cum praepositione vero *iuxta* vel *prope.* Delirat igitur Livius, qui saepe nunc *Veios*, nunc *ad Veios* eodem sensu dicit. Nec mihi etiam in hac parte placet ipse Cicero, quum lib. 7. epist. 3. Attico sese excusat, quod scripserit *in Piraea quum venissem.*" Cicero quidem totam rem de sua aliorumque opinione demonstrat: praepositionem addi solere, ubi nomen non oppidi, sed loci ponatur, igiturque *ad Romam proficisci* non dici de urbe, sed de loco, quo tendat iter. Ante omnia illud tenendum, quod Vossius et Perizonius ad Sanct. Min. docuerunt, praepositionem urbium nominibus additam nihil habere, quod in artem aut naturam linguae incurrat, Ciceronis aetate ab iis, qui elegantiae studerent, fere omissam esse ideoque grammaticos hoc loquendi genus tamquam legitimum praecepisse, sicuti fecit Quinctilianus 1, 5, 38., oratores ta-

men et historicos et poetas non semper ea in parte obsequutos esse grammaticorum praeceptis. Quare illud, quod inter utrumque dicendi genus interest, non cum Stallbaumio ad Ruddim. p. 280. dixerimus multum esse, quod tantum a consuetudine scriptorum profectum fuerit. Tum vero communi omnium usu constat, ubi nominibus urbium adhaereat appellativum, semper praemitti praepositionem. Sallust. Iug. 81, 2. *ad Cirtam oppidum iter constituunt.* Curt. 4, 9, 9. *iam pervenerat ad Arbela vicum.* 3, 1, 22. *iamque ad urbem Ancyram ventum erat.* Et cum his conferri potest formula *ad urbem*, quae non tantum de triumphantium mora in suburbiis usurpatur. Cic. ad Fam. 16, 1, 1. *quamquam magni ad honorem nostrum interest, quam primum ad urbem me venire.* 16, 12, 2. *equidem ut veni ad urbem, non destiti omnia et sentire et dicere et facere, quae ad concordiam pertinerent.* In his nemo intelliget hominem ante urbem remorantem, non intro cedentem. Quum de exercitus itinere loquuntur, plerumque addunt praepositionem: quod ipsa res iubebat. Castra enim ad urbes ponenda erant. Denique, quod ratio postulat, locum suum obtinet praepositio, ubi significat *usque ad:* veluti Cic. in Verr. 1, 34, 87. *usque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopen, quae in Ponto est, navigarunt.* pro Deiot. 7, 19. *dona usque ad Numantiam misit ex Asia.*

Nominibus regionum, locorum, insularum scriptores antiquiores vel addunt praepositionem, vel omittunt eam. Sed nisi communis, tamen frequentior est usus praepositionis IN. Vid. Vossius de Constr. p. 474. Recentiores etiam AD ponebant.

Eutrop. 2, 14. *regressus ad Africam.* 2, 12. *consules ad Africam profecti sunt.* ubi vd. Verheyk. Capitol. Ant. P. 7. *ad agros suos profectus est ad Campaniam.*

Formas *ad templum ire, ad forum tendere* pro *in templum, in forum*, erant qui reprehenderent, tamquam per *ad* locus vicinus significaretur. Vid. Nolten. p. 1298. qui tamen ipse exempla ex optimis scriptoribus affert. Ratio omnino nulla est, nisi quae directionem cursus ab ingressu distinguat.

7. Quum haec praepositio non tantum id quod attingitur, sed ipsum accedendi conatum indicet, dicitur etiam de re convertenda vel dirigenda versus aliquam

rem aut regionem, non certo termino posito: quod nos reddimus per vocabula *gegen, gen, hin zu.* Hoc modo Latini dicunt *convertere ad aliquid, respicere ad aliquid.* Et de situ locorum *vergere, spectare ad* aliquam coeli vel terrae partem. Haec in lexicis quaere.

Cic. in Catil. 3, 8, 20. *iidemque iusserunt simulacrum Iovis facere maius et in excelso collocare et contra, atque ante fuerat, ad orientem convertere.* Virgil. Aen. 12, 372. *obiecit sese ad currum. er stürzte sich auf den Wagen hin.* Quo fit, ut vocabulum *versus* adiungatur. Caesar B. Gall. 6, 33. *ad Oceanum versus in eas partes, quae Menapios attingunt, proficisci iubet.* vid. Oudendorp. ad h. l. et ad Hirtii bell. Afric. 62. Manutius ad Cic. Epist. ad Fam. 8, 15. Virgil. Aen. 1, 93. *duplicis tendens ad sidera palmas.* Terent. Andr. 2, 5, 6. *respice ad eum.* Plaut. Mil. 3, 1, 125. *nimis bona ratione, nimiumque ad te et tua multum vides.* Cf. Gronov. Obs. 4, 10. p. 626. qui male explicat: quantum ad te et tua plus quam opus est vides. Poetis licuit in brevitate concisa hoc ad alias notiones transferre. Virg. Aen. 6, 481. *hic multum flent ad superos — Dardanidae.* Catull. 61, 219. *dulce rideat ad patrem semihiante labello.* i. e. *dem Vater zulache.*

Ad coelum ire idem significat, quod *coelo ire.* Id quo modo differat a verbis *in coelum ire*, exposui in notis ad Gronovii Diatrib. p. 36. In libris scriptis saepissime hae praepositiones confunduntur, veluti Cic. Lael. 4, 13. et 23, 88. Nec tamen ubique, utrum eligas, perinde est in bonis quidem scriptoribus. De verbis *canere ad auras* vid. interpretes ad Virg. Ecl. 1, 57.

Huc etiam pertinere videtur dictio *mutare ad aliquid*, in qua quidem convertendi notio subest.

Tacit. Hist. 6, 13. *ne adversis quidem ad vera mutabantur.* i. e. mutatis animis convertebantur. Ann. 11, 33. Liv. 24, 27, 14. *mutatis repente ad misericordiam animis.* Tacit. Ann. 13, 9. *non prius conversum regem ad offerendos obsides, quam ipse, dux bello delectus, spes eius ad metum mutaret.*

Neque diversa sunt verba excitandi, lacessendi, intendendi, et quae aliquem nisum et propensionem significant.

Tacit. Ann. 4, 67. *quanto intentus olim publicas ad curas, tanto occultos in luxus et malum otium resolutus. Lacessere ad pugnam* dixit Livius 2, 45, 3. Cic. Tusc. 4, 37, 81. *animus alius ad alia vitia propensior.* de Fin. 4, 17, 47.

8. Vulgari dictione conficiuntur formulae, in qui-

bus non tam ipse motus ad aliquem locum indicatur, quam quo in loco vel apud quem hominem aliquis permaneat.

Plaut. Asin. 3, 3, 119. *postea ad pistores dabo, ut ibi cruciere currens.* Capt. 5, 4, 22. *hunc — ob furtum ad carnificem dabo.* Terent. Phorm. 4, 3, 48. *in servitutem pauperem ad ditem dari.* Ita vulgus nostrum etiam, *bei dem Bäcker geben*, pro *zu dem Bäcker.* Beierus in his praepositionem pro dativo positam, aut *domum* alicuius intelligendam esse putat. Haec autem confluunt cum iis, quae simul finem vel consilium agendi significant. Liv. 34, 6, 13. *servos ad remum — cum stipendio nostro dabamus.* Burmann. ad Petron. 45. Sueton. Aug. 16. ubi Oudend. Praschius de Latinismis p. 46. quum poenam intelligeret, erravit.

Hic commemorari potest varius usus verbi *promittere.* Dicunt enim Latini *promittere ad coenam* de eo, qui promittit se ad coenam venturum esse. Sic etiam *rogare ad coenam*, *zu Tische laden.* Iustin. 43, 3, 10. *rogantur etiam Graeci hospites ad convivium.* quamquam Graevius improbavit et corrigendum censuit *vocantur:* et *ad coenam renuntiare.* Senec. Suas. 2. p. 19. Gron. Tum *promittere ad aliquem*, i. e. se apud aliquem coenaturum, vel ad aliquem venturum esse, *sich bei einem versprechen.* Cic. de Orat. 2, 7, 27. Multa exempla suppeditant Gabbema ad Petron. 10. Vorstius de Latin. falso susp. 17. p. 181.

9. Cum dativo id commune habet haec constructio, quod isto casu res designatur, ad quam dirigitur actio: unde saepe fit, ut verba, quae cum dativo fere componi solent, praesertim vulgari sermone coniungantur cum praepositione AD. Vid. Ruddimann. 2. p. 175.

Quare non mutato sensu dicitur *ad aliquem scribere.* Cic. ad Fam. 14, 2, 9. *ad aliquid convenire.* Cic. p. Sulla 7, 23. *equidem vehementer laetor eum esse me, in quem tu, quum cuperes, nullam contumeliam iacere potueris, quae non ad maximam partem civium conveniret.* Scribonius 11. *plures autem parandae sunt eius generis torpedines: quia nonnumquam vix ad duas tresve respondet curatio.*

Plaut. Mil. glor. 2, 1, 38. *inscendo, ut eam rem Naupactum ad herum nuntiem.* Captiv. 2, 2, 109. *praecipe, quae ad patrem vis nuntiari.* Lucianus Dialog. marin. 14. *τοιαῦτα γὰρ ἤκουσα διηγουμένου αὐτοῦ πρὸς τὴν Ἀνδρομέδαν.* Vechner.

Hellenolex. 2, 3. p. 433. *Ad aliquem restituere*, ut antea a me dictum. *Ad aliquem se dedere:* Livius 27, 15, 1. *ad Q. Fulvium cons. Hirpini et Lucani — dediderunt sese.* unde 28, 22, 5. *nec deditio tuta ad tam infestos videbatur.* i. e. *Ergebung an so Feindselige.*

10. Haec vero eadem est caussa, cur verba cupiendi, appetendi, apud nonnullos scriptores coniunguntur cum hac praepositione.

Plin. Hist. n. 17, 18, 30, 5. *ad coitus aviditas.* 20, 16, 65. *ad cibos aviditas.* Terent. Eun. 1, 2, 51. *eius frater aliquantum ad rem est avidior.* Curt. 6, 5, 32. *acrior ad venerem feminae cupido, quam regis, ut paucos dies subsisteret, perpulit.* 9, 1, 33. Valer. Flacc. 4, 532. *ad oblitae Cereris suspirat honores.*

11. Per haec accedo ad grammaticorum praecepta, quibus auctore Donato ad Terent. Andr. 1, 5, 16. et Alcuino p. 2138. Putsch. docuerunt, AD poni pro *adversus*, *contra*. Ipse Priscianus 14. p. 986. *significat etiam contrarietatem, ut, ad illum mihi pugna est, hoc est contra illum.* Servius ad Virg. Aen. 4, 426. *ad Pergama misi. in Pergama, id est contra Pergama.* Haec ex parte tantum vera sunt. Quamquam enim vocabulum *adversus*, quo etiam directionem significamus, ad rem explicandam recte adhiberi poterat, ipsa notio hostilis aggressus et contrariae actionis abhorrere videtur omnino a natura huius praepositionis. Attamen doctrinam hanc comprobaverunt Pareus Lex. crit. p. 30. Laurenberg. in Antiquar. p. 6. Passerat. ad Propert. p. 342. Muncker. ad Hygin. 91. p. 147. Guyet. ad Terent. Hec. 4, 1. p. 198. Burmann. ad Phaedr. 4, 3, 5. et 1, 21, 5. Iac. Gronov. ad Liv. 31, 21, 11. Schwartz. in Tursellin. et in Monum. ingen. 1. p. 153. repugnante Facciolato, Ruhnken. ad Terent. Heaut. 3, 2, 34. Ernesti. ad Cic. Epist. 12, 14. p. 358. Gernhard. ad Lael. 9, 33. multis variis exemplis confusis. Nihil se affirmare ait Santenius ad Catulli eleg. in Manl. 88. Atque in omnibus locis sufficit directionis notio, quorum insigniora haec sunt.

Caesar B. G. 7, 70. *non minus — Galli perturbantur: veniri ad se confestim existimantes ad arma conclamant. sie glaubten, man komme auf sie zu.* Cornel. Datam. 4, 5. *ipse equo concitato ad hostem vehitur.* Tacit. Ann. 2, 52. *legionem — ad hostem duxit.* uti Livius 44, 3, 10. Et 42, 49,

2. *ad hostem ire.* 1, 5, 7. *ad regem impetum facit:* quod reddas *auf den König Angriff machen*, non autem *gegen den König.* In Terent. Heaut. 3, 2, 34. *nonne ad senem aliquam fabricam fingit?* explicari potest: adversus senem, in senem, uti v. 2. *intendenda in senem est fallacia.* Nam directio significatur, non ipsa adversitas: ut Eun. 4, 6, 17. *militem secum ad te quantas copias adducere.* Cic. ad Fam. 12, 14. *cuius rei tanto in timore fui, ut — cum paucioribus et minoribus navibus ad illas ire conatus sim.* i. e. *auf sie hinsteuern.* Virgil. Aen. 2, 443. *clypeos ad tela sinistris protecti obiiciunt: prensant fastigia dextris.* Servius: *contra tela.* Non aliter atque Aen. 12, 372. *obiecit sese ad currum.* Sed est regione iactorum telorum. Tacit. Hist. 1, 79. *magna spe ad Moesiam irruperant.*

Poetae interdum hoc modo ipsum infestum aggressum indicasse videntur, sed commutatae sunt notiones: nam id, quod adversantem vim et contrariam rem denotet, ipsum non inest in praepositione. Attius apud Nonium 4, 68. *video te, mulier, more multarum urier, ut vim contendas tuam ad maiestatem viri.* Catull. ad Maul. 68, 88. *nam tum Helenae raptu primores Argivorum coeperat ad sese Troia ciere viros.* In Propertii 2, 24, 25. *si libitum tibi erit, Lernaeas pugnet ad hydras.* non intelligo *contra hydras*, sed *apud hydras.* Cic. p. Rosc. Am. 40, 116. *tecti esse ad alienos possumus: intimi multa apertiora videant necesse est.* i. e. apud alios possumus occultare consilia nostra. de quo loco multa disputavit Schwartzius in Monum. ingen. 1. p. 154. Plaut. Cas. 2, 2, 20. *nam viri ius suum ad mulieres obtinere haud queunt.* Non recte id accipiunt. Est *apud mulieres.* Sic etiam in Gellii Noct. Att. 18, 4. explicandum *ad sophistas.* Plaut. Capt. 3, 4, 2. *eunt ad te hostes.* i. e. se convertunt ad te.

Quod Cicero ait ad Famil. 2, 16. *magno dolore me affecissent tuae litterae, nisi iam et ratio ipsa depulisset omnes molestias, et diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem novum.* est, in dolorem novum, *für, in Bezug auf neuen Schmerz, für neuen S.* Neque aliter de Divin. 1, 7, 13. *mirari licet, quae sint animadversa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera.* i. e. in morbis oculorum. In Lael. 9, 37. *nisi quid ad haec forte vultis.* Gernhardus cum Wetzelio accipit pro *contra haec.* At intelliguntur adiicienda ad haec, ad haec monenda. Ita Tusc. Quaest. 2, 18, 42. *nisi quid vis ad haec.* Et confert Gernhardus etiam p. Coel. 4, 9. *verum ad*

istam omnem orationem brevis est defensio. quasi dici possit *ad aliquem defendere* pro *contra aliquem def.* Sed alienum est hoc quoque exemplum, quod quamquam prope ad ea accedit, quae infra apponemus, *ad aliquid verba facere, disputare ad aliquid,* tamen aperta est oppositio verborum *omnem* et *brevis: bei dieser ganzen Rede ist die Vertheidigung kurz.* Neque etiam huc pertinent Catull. 26, 1. *villula nostra ad Austri flatus opposita est.* de quibus infra.

Meierus sive Facciolatus personatus p. 33. haec: „quod si *ad* pro *adversus* aliquando usurpatur, (quod ille [Facciolatus] certis de caussis non videtur admittere) attamen si usurpatur, vide, num regere possit accusativum personae, qua de re mihi ipsi in mentem venit dubitare.“ Haec ex iis, quae diximus, facile diiudicari possunt.

II. 1. Quod de loco proprie dicitur, transfertur ad tempus, ut per praepositionem AD exprimatur, quousque aliquid permaneat aut producatur. De quo Vossiûs in libro de Constr. p. 485. „est etiam quum *ad* vel *in* apponantur, sed propriam habeant vim, ut κατ' ἔλλειψιν omitti minime possint. Cicero in Catone. *si ad centesimum annum vixisset.* Nam aliud est *centesimum annum vixisset:* aliud *ad centesimum.*“ Cf. Parei Mantissa Lex. crit. p. 76.

Curtius 3, 2, 3. *orto sole ad noctem — intravere vallum.* Plaut. Men. 5, 7, 33. *hodie numquam ad solis occasum viverem.* Cic. ad Att. 7, 8. *ab hora octava ad vesperum secreto colloquuti sumus.* Liv. 40, 50, 2. Cic. de Div. 1, 28, 59 *ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse.* Caes. B. G. 4, 23. *ad horam nonam in ancoris exspectavit.*

Hinc formula *ad hosce annos* i. e. usque ad hodiernum tempus. Plin. H. nat. 25, 2, 6. *insanabile ad hosce annos fuit rabidi canis morsus.* Et *ad illud usque.* Plaut. Most. 1, 2, 53. *Nam ego ad illud frugi usque et probus fui.*

Ita cum nominibus rerum coniungitur, quae tempore continentur, aut in tempore aliquo fiunt. Tunc *ad* idem est quod *usque ad.*

Cic. ad Fam. 1, 9, 19. *quum Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de caussa Campana ad suum reditum reservarem, collegi ipse me.* Cf. p. Mur. 18, 37. de Senect. 7, 22. *Sophocles ad summam senectûtem tragoedias fecit.* de Rep. 1, 1. p. 4. Moser.

Beierus conferri iubet Plin. Hist. n. 33, 11, 50. *non aliud*

habuit argenti ad supremum vitae diem. et in Cic. Lael. 10, 33. legendum censet: *usque ad extremum vitae permanere*, reiecta interpretatione *diem* vel *tempus.*

2. Hinc AD usurpatur de quacumque re, ad quam usque aliquid protensum aut productum sit, ideoque de eventu et de extremo. Id enim temporis, in quo aliquid appareat, ratione comprehenditur, quamquam saepe cum loci designatione cohaeret. vid. p. 78. Nos dicimus *bis zu.*

Plaut. Aul. 2, 5, 10. *si quid poscam, usque ad ravim poscam.* Terent. Phorm. 2, 2, 13. *quot me censes homines iam deverberasse usque ad necem.* Adel. 1, 2, 10. Cic. in Verr. 3, 29, 70. *si damnatus eris, virgis te ad necem caedi necesse erit.* Sueton. Ner. 26. Domit. 8. Horat. Sat. 1, 2, 42. Cic. in Verr. 2, 35, 87. *haec iste ad insaniam concupierat.* Liv. 24, 38, 9. *inermes, incautos ad satietatem trucidabitis.* Pallad. 1, 13. *poliemus ad summum nitorem.* Tacit. An. 11, 37. *supremis eius necessitatibus ad miserationem evicta est.*

Fortasse hoc modo expediendus est ambiguus locus Cic. de Nat. deor. 1, 34, 96. *ad similitudinem enim deo propius accedebat humana virtus quam figura.* Wopkensius defendit hunc sensum: quod ad similitudinem attinet, propius deo accedebat humana virtus quam figura. Quod inepte dictum esset. Heindorfius coniungi voluit *similitudo deo*, graeco more, quem Latini ignorant. Nam quod affert exemplum ex Legg. 1, 15. aliam habet rationem. Equidem puto Ciceronem hoc dixisse: ad similitudinem usque virtus deo propius accedebat quam figura. i. e. propius ita, ut adeo similitudo exsisteret. Alius est locus non minus dubius Cic. pr. Mil. 29, 80. de iis, qui tyrannos necaverint: *prope ad immortalitatis et religionem et memoriam consecrantur.* Haec enim melior scriptura confirmatur codice Erfurt. Sed intelligunt, *secundum* immortalitatis religionem. Ego vero interpretor: consecrantur prope ad immortalitatis usque venerationem, *bis zur Verehrung der Unsterblichkeit.*

De eventu Tacit. An. 15, 23. *effigiesque in eo Neronis ad informe aes liquefacta.* Plin. Hist. n. 10, 33, 49. *harum pulli ad cinerem ambusti.* i. e. in cinerem redacti, *zu Asche verbrannt.*

Plin. Hist. n. 11, 24, 28. *scissa protinus reficit, ad polituram sarciens.* i. e. ut adeo politura adhibeatur. *Ad vivum resecare*, formulam vulgarem apud Cic. de Amic. 5, 18. Columell. 6, 12, 3. ex-

plicabis: eo usque ut vivum appareat. Neque aliter Cels. 6, 8. *ut caput ad cutem tondeatur.*

De extremo etiam Caes. B. Civ. 3, 14. *qui de servis liberisque omnibus ad impuberes supplicium sumit.* Quo pertinet formula *ad infinitum.* Plin. Hist. n. 34, 2, 3. *mirumque, quum ad infinitum operum pretia creverint, auctoritas artis exstincta est.* Et alia, veluti Liv. 35, 8, 7. *donec ad liquidum veritas explorata est.*

3. Etiam spatium temporis complectitur praepositio. Fuerunt quidem, qui negarent *ad annum* eo sensu dici, quo *in annum* et *per annum*, ut ipsius temporis spatium completum intelligeretur: *ein Jahr lang, auf ein Jahr.* Erat scilicet caussa dubitationis. Attamen non desunt, quae hunc usum probent, exempla. Dicitur igitur *ad annum, ad decem annos* et de re per unum decemve annos confecta, et de ea, quam factam esse post hoc tempus apparet: quod nos reddimus *binnen einem Jahr, übers Jahr.*

Cic. de Leg. 2, 6, 40. *stipem sustulimus, nisi eam, quam ad paucos dies propriam Idaeae Matris excepimus.* i. e. *auf wenige Tage.* ad Attic. 13, 9. *multus sermo ad multum diem.* Plin. Hist. n. 23, 7, 63. *nec stomacho utiles: sed ad breve tempus.*

Cic. ad Att. 2, 17. *solebat me pungere, ne Sampsicerami merita in patriam ad annos DC maiora viderentur quam nostra.* Vid. Ruddimann. 2. p. 291. Cic. Lael. 8, 27. *quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus* etc. i. e. *auf einige Zeit.* Sed Caes. B. Gall. 1, 26. *ad multam noctem etiam ad impedimenta pugnatum est.* explicari potest *sub multa nocte. Multa nox* enim est *intempesta.* Vid. Censorin. de Die nat. 24, 5.

Cic. ad Att. 5, 2. *quem ad annum tribunum plebis videbam fore.* 12, 46. *nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos.* Tusc. Q. 1, 37, 90. *cur igitur et Camillus doleret, si haec post trecentos et quinquaginta fere annos eventura putaret, et ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbe nostra potituram putem.* Iulian. in Digest. 40, 4, 18. *ad annum liber esto: vel ita accipi potest, post annum, quam moriar, liber esto.*

II. 1. Cum hac primitiva praepositionis ratione proxime cohaeret alia cognata, qua designamus quietam rem, quae aliam rem attingat, vel in eius vicini-

tate posita sit. Terminis enim quae se attingunt, accessisse videntur. Atque ab hac motionis specie rerum situs et regio appellatur, nec quidquam impedit, quo minus AD pro praepositione *apud* poni concedamus. Nam hae rationes fere in omnibus linguis inter se commutantur, et Germani, quod unicum recte dici grammatici perhibent *komm zu mir*, in Saxonia dicunt *komm bei mich*. Sed propinquitas et vicinitas rei quum non uno modo intelligi possit, quoniam res altera alteri vel anteposita, vel apposita, vel imposita est, in explicanda hac, quae ipsa una est, significatione uti nos licet pluribus verbis.

1. Ac primum in designando loco, quem aliqua res attingit, AD saepe id exprimit, quod *ante*, quamquam non idem significat.

Ad Virgil. Aen. 4, 133. Servius: *ad limina, ante vel apud.* Cic. Verr. 5, 49, 129. *mihi ad pedes misera iacuit.* Petron. 58. *qui ad pedes stetit.* Hinc frequens commutatio verborum *ad pedes* et *ante pedes.* Vid. Burmann. ad Petron. 30. p. 155. Cic. de Div. 1, 27, 57. *petere, ut mane ad portam adesset.* p. Sext. 18, 41. p. Caec. 8, 21. *iste ad omnes introitus — armatos homines opponit.*

Pro eo, quod dicitur *sub radicibus montis* et *in radice*, optimum quemque scriptorem etiam usurpasse *ad radices montis*, notavit Noltenius p. 1296. Equidem desidero exempla.

2. Deinde coniunctionem significat rerum, quae annexae vel appositae sunt, vel admotae videntur. Id nos reddimus verbo *an*. Latini saepe etiam dativum ponunt. Vid. Ruddimann. 2. p. 175.

Plin. Hist. n. 8, 16, 21. *iugo subdidit eos, primusque Romae ad currum iunxit M. Antonius.* Quinctilianus et Palladius adeo *coniungere ad aliquid* dixerunt. Quinct. Inst. 8. Pro. 33. *cum laude ad dignitatem coniuncta.* 4, 1, 16. *si laudem eius ad utilitatem nostrae caussae coniunxerimus.* Frontin. 3, 13, 2. *Hirtius ad Decimum Brutum litteras subinde misit plumbo scriptas, quibus ad brachium religatis milites Scultennam amnem transnabant.* i. e. *an den Arm gebunden.* Curt. 4, 6, 29. Plaut. Trin. 3, 2, 93. *nisi uti — clypeum ad dorsum accommodem.* Plin. Hist. n. 15, 15, 17. *in iis serotina ad hiemem usque ad matrem pendent.* alii *in matre*, alii *a matre* scripserunt.

Virgilius pro frenatis leonibus dixit Aen. 10. 251. *cui*

Dindyma cordi turrigeraeque urbes, biiugique ad frena leones. i. e. ad frena iuncti. Georg. 2, 250. *picis in morem ad digitos lentescit habendo.* i. e. *an den Fingern.*

Curtius 4, 6, 22. *oppidani ad pristinum fastigium moenium novum instruxere munimentum.* i. e. in fastigio.

3. Tum vicinitatem loci indicat ab accedendi notione, quae in praepositione *apud* ad quietem pertinet. Cledonius in Arte p. 1934. *apud tantum in loco significat, ut apud amicum sum, nec possumus dicere apud amicum vado. Ad vero in eo loco et ad locum significat: nam* (ita scribend. pro *non*) *dicimus et ad amicum sum et ad amicum vado.* Nos dicimus *an, bei.* Ruddimannus 2. p. 282. bene animadvertit, *ad* et *apud* promiscue accipi: sed errat, quum addit, *ad* proprie significare in loco proximo, *apud* circa vel prope. Prorsus contrarium est discrimen. Priscianus 18. p. 1204. (27, 284.) *Attici* πρὸς τῷ διαιτητῇ ἀντὶ τοῦ παρὰ τῷ διαιτητῇ. *Romani apud arbitrum: et ad Troiam tamen pro apud Troiam. Virgilius in primo: prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis.* Conf. 14. p. 986. (3, 24.) Servius ad Virg. Aen. 1, 24.

Sallust. Iug. 19, 3. *ad Catabathmon — prima Cyrene est.* ubi vid. Cortius. Cic. ad Fam. 15, 2. *castraque ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locavi.* Iuvenal. 10, 83. *Brutidius meus ad Martis fuit obvius aram.* Frontin. 4, 6, 3. *Alexander — residens ad ignem.* Cic. p. Coel. 15, 36. *habes hortos ad Tiberim.* in Verr. 5, 41, 107. *atque eum vident sedere ad latus praetoris, et ad aurem familiariter insusurrare.* Quod nos dicere solemus *der Sieg bei Cannae*, Livius expressit 23, 11, 7. *nuntius victoriae ad Cannas Karthaginem venerat Mago.* Ita saepe de cladibus Livius. vid. 22, 14, 12. Imprimis loca maritima sic nuncupari, per ipsam rem intelligitur.

Cic. in Verr. 2, 8, 21. *ad urbem quum esset, audivit* etc. Hinc solemnis loquutio *ad urbem esse* de iis, qui e provincia regressi, aut priusquam in provinciam abirent, ante urbem et in eius vicinia commorabantur, ut imperium aut deponerent, aut susciperent: de quo usu supra loquuti sumus. Vid. Manut. ad Cic. Epist. ad Fam. 3, 8. 8, 11. Cortius ad Sallust. Cat. 30, 4. et ad Cic. Ep. 8, 1. Sed conf. Ascon. ad Cic. Verr. Act. 1, 15, 45. et ad eum Hotomann. et Schützius. Fortasse Asconius

scripsit: *ad urbem, non in urbe.* In Cic. Verr. 2, 6, 17. opponuntur verba *Romae et ad urbem.*

Miro modo scripsit Frontinus Strat. 1, 5, 17. *L. Sulla, bello sociali apud Aeserniam inter angustias deprehensus, ad exercitum hostium, cui Mutilus praeerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat sine effectu.* Modius correxit *ab exercitu:* Schwebelius explicuit: prope hostilem exercitum.

Ad manum habere, ad manum esse, vulgares sunt formulae, quas etiam vernacula lingua nostra tenet. Liv. 9, 19, 6. *quod Romanis ad manum domi supplementum esset.* Quinctil. 12, 5, 1. *haec sunt instrumenta — oratoris: haec arma habere ad manum, horum scientia debet esse succinctus.* Vitruv. 6, 2, 2. *alia enim ad manum species esse videtur, alia in excelso.* quod bene defendit Schneiderus: prope nos in terra. Plin. Hist. nat. 35, 10. (36, 18.) *ad manum intueri.* dixit pro, cominus intueri. De dictione *ad manum cantare* longae sunt disputationes Gronovii, Dukeri aliorumque ad Liv. 7, 2, 10. et Ferrarii Elect. 2, 5.

4. Ex hac proximitatis ratione videtur AD etiam de ordine rerum usurpari, ubi vulgo ponitur A. Nam Cicero dixit de Fin. 3, 16, 52. *quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum.* Davisius correxit *a regio principatu.* Goerenzius allato exemplo non satis apto explicat: quoad regium principatum: quod probari non potest. Secundus ad principatum vocatur is, qui accedit proxime ad regiam potestatem.

5. Sed non tantum vicinia significatur. Uti Graeci παρά et πρός pro ἐν usurpant, et nos Germani *zu Rom* dicimus de eo, qui in urbe Roma versatur, ita etiam Latini ipsum locum, in quo aliquis commoratur, per praepositionem AD, certe in quibusdam formulis, indicasse videntur. Tamen intelligimus regionem in plurimis, nec Iohnsono, grammatico Nottinghamensi, qui de hac re in Noct. Notting. p. 84. egit, concedemus *ad Corinthum* pro *Corinthi* dictum esse a bonis scriptoribus. Ii enim non ita loquuti sunt in nominibus urbium, nisi de advenientibus et accedentibus sermo esset.

Cic. ad Fam. 3, 5, 10. *deinde iter faciam ad exercitum, ut circiter idus Sextiles putem me ad Iconium fore.* Semper dixerunt *ad Baias esse.* Intelliguntur enim *aquae.*

Plaut. Most. 3, 2, 158. *nam egomet ductarem, nisi mihi es-*

set ad forum negotium. i. e. in foro vel circa forum. ut Merc. 2, 2, 56. *mihi quoque etiam est ad portum negotium.* Terent. Phorm. 5, 2, 8. Coel. in Cic. Epist. 8, 4. *quum senatus habitus esset ad Apollinis.* Liv. 30, 40, 1. *ad aedem Bellonae.* sed saepius omittitur nomen *aedis* vel *templi.* de quo usu vd. Vechneri Hellenolex. p. 124. Garaton. ad Cic. Philipp. 1, 7. et 2, 37. Cic. p. Rosc. Am. 15, 44. *an amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam.* p. Tullio p. 85. Heinr. *ad villam erat Tullius.* Plin. Epist. 2, 1, 3. *ipse ad villam partim studiis, partim desidia fruor.* Vid. interpr. ad Petron. 61. Val. Flacc. 3, 267. *effusi grandaevum ad litora vulgus.* i. e. *am Ufer, auf dem Ufer.* Cic. ad Fam. 11, 18, 5. *sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam molestiam afferebat.* Eo modo id dictum esse, quo *ad omnia pulvinaria*, demonstrare voluit Cortius. Liv. 1, 20, 5. *quibus diebus ad quae templa sacra fierent.* Liv. 2, 19, 7. *et ad alterum cornu Aebutius magister equitum in Octavium Mamilium impetum dederat.* i. e. in altero cornu, *auf dem andern Flügel.* Varro de Re R. 2, 10, 7. *quod vel pascere pecus, vel ad focum afferre ligna ac cibum coquere, vel ad casas instrumentum servare possunt.* Non recte explicant *in casis.* Intelligi debent circa casas versantes. Cic. p. Quinct. 18, 59. *non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus sum.*

Liv. 1, 4, 8. *nec in stabulis, nec ad pecora segnes.* i. e. apud pecora, circa pecora versati.

Gronovius poterat vestigia codicum sequutus in Livio 24, 36, 7. emendare *nec diutius Poeni ad Syracusas morati sunt.* pro *Syracusis.* nam de classe agitur.

Hic commemorandae etiam sunt formulae *ad quartum lapidem, ad quintum milliare.* Tacit. Hist. 4, 11. *ad quadragesimum ab urbe lapidem.* Multa exempla collegit Ruddimann. 2. p. 287. Quod ille animadvertit, neminem veterum scriptorum in his adhibuisse ablativum, refelli potest loco Iustini 22, 6, 9. ubi alii codices *castra quinto lapide a Carthagine posuit*, alii *in quinto lapide.*

Vulgaris fuisse videtur usus, quo Romani domum ab insignibus denominarent. Sueton. Dom. 1. *Domitianus natus est — regione urbis sexta, ad malum punicum, domo, quam postea in templum gentis Flaviae convertit.* ut nos *zum goldnen Apfel.* Aug. 5. *regione Palatii, ad capita bubula.* Galb. 1, et Plin. Hist. n. 15. 30, 40. de villa *ad gallinas.* Vid. Tu-

neb. Advers. 9, 21. Graev. in Proleg. Tom. III. Antiq. Rom. p. 6. Burmann. ad Petron. 44. Id tamen negarunt Dukerus ad Suet. Dom. 1. aliique, intelligentes locum *ad Capita bubula*, vicum *ad Malum Punicum*.

6. Quum AD locum indicet, cuius in regione aliqua res sita est, Latini dicunt *ad laevam*, *ad dextram*, et alia, quibus non notatur aliqua res attingi a dextra vel laeva parte, sed significatur regio, quae circa dextram vel laevam partem conspicitur.

Cic. Phil. 12, 11, 26. *facilis est circumspectus, unde exeam, quo progrediar, quid ad dextram, quid ad sinistram sit.* Plin. Hist. nat. 16, 36, 65. *ut alterum ad dextra fiat, alterum superiore geniculo ad laeva per vices.* int. latera. 10, 23, 32. *fessos duces ad terga recipiunt.* i. e. in loco postico. Et ita *ad laevam* dicitur, ubi *in laeva* requiras. Quemadmodum defendi debet Livius 21, 31, 9. *non recta regione iter instituit, sed ad laevam in Tricastinos flexit.* Laevam dixit Livius, quae sibi narranti laeva erat, non Hannibali, qui in laeva hac terrae parte flexit in Tricastinos. Catull. 26, 1. *villula nostra non ad Austri flatus opposita est, nec ad Favoni, — verum ad millia quindecim et ducentos.* Duplex in his coniungitur ratio: *ad* enim regionem indicat Austri, cuius flatibus villa exposita, sive opposita esse dicitur. Terent. Adel. 4, 2, 37. *est ad hanc manum sacellum.* Curt. 10, 1, 17. *statuerat, omni ad orientem maritima regione perdomita, ex Syria petere Africam.* 8, 10, 23. *ad occidentem et a meridie.* Cic. ad Att. 13, 21. *inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim.* i. e. a parte puppis: *auf der Hinterseite.* De formula *ad laeva* conf. Burmann. ad Ovid. Trist. 4, 10, 97.

7. Haec ratio proprie refertur ad homines, apud quos aliquid agi vel esse dicitur. Quo usu prae ceteris delectabatur maxime Livius, qui ipse novas formas composuisse videtur.

Charisius Inst. gr. p. 239. et Servius verba Virgilii Aen. 1, 64. *ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est* explicant per *apud quem.* Sic saepissime *coenare ad aliquem, adesse ad aliquem.* Varro de Re rust. 1, 40, 1. *illud quod apparet ad agricolas, id videndum diligenter.* quae verba Ursinus temere improbat. Cic. ad Attic. 10, 4. *fuit ad me sane diu.* Catull. 68, 69. *ad quam communis exerceremus amores.* Terent. Heaut. 5, 2, 26. *tibi iam esse ad sororem intelligo.* Cic. in Verr. Act. pr. 8, 22. *ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos*

esse. ubi Ursinus corrigit *relatos.* Livius 3, 10, 3. *iactata per aliquot dies tum in senatu, tum ad populum est.* ubi plerique codices *apud populum.* Sed Cic. Brut. 20, 80. *quum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset.* Liv. 10, 35, 4. *minus cladis, ceterum non plus animorum, ad hostes erat.* 7, 7, 4. *neque segnius ad hostes bellum apparatur.* ubi Drakenborchius multa collegit. Vide eum ad Sil. Ital. 13, 606. et de dictionibus *criminari ad populum, damnare ad populum* et aliis ad Liv. 4, 53, 4. 8, 23, 8. 38, 55, 4. Sciopp. Suspect. lect. 2, 11. Muncker. ad Hygin. p. 187. Gronov. Observ. 4, 6. et ad Liv. 7, 7, 4. Heins. ad Ovid. Fast. 4, 310. Davis. et Oudendorp. ad Caes. B. G. 1, 31, 1. 3, 9, 3. 6, 38, 1. 8, 2, 2. Parei Lex. crit. p. 30. b. Broukhus. ad Propert. 2, 24, 53. Graecum usum vocabuli πρός comparat Vechner. Hellenolex. p. 433.

Comici ex communis vitae usu sumpserunt formulam *ad me, ad te esse, ad aliquem esse*, ubi nos quoque *bei* ponere solemus. Terent. Heaut. 3, 3, 43. *eaque est nunc ad uxorem tuam.* Ita Cicero quoque in Epistolis. ad Att. 10, 4. *fuit ad me sane diu.* Intelligitur autem domus aut villa. cf. p. Milon. 19, 51. Vid. Parei Lexicon p. 31. a. Cic. ad Fam. 9, 1. *sive in Tusculano, sive in Cumano ad te placebit.* ubi vid. Cortius.

Tamquam rariora haec quoque notanda videntur exempla Caes. B. Civ. 3, 60. *magnam tamen haec res illis offensionem et contemptionem ad omnes attulit.* Cic. ad Attic. 8, 3. *invidiosum ad bonos.* Caes. B. Gall. 4, 16. *tantum esse nomen atque opinionem eius exercitus — etiam ad ultimas Germanorum nationes, uti opinione et amicitia populi Rom. tuti esse possint.* Cic. p. Ligar. 10, 30. *ad parentem sic agi solet: ad iudices* etc. ad Attic. 12, 29. *quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum.* Conf. Cortius ad Cic. Epist. 5, 10, 10. et Westerhov. ad Terent. Andr. 4, 3, 13. Cic. de Lege agr. 2, 34, 93. *hostiae ad praeconem et ad tibicinem immolabantur.* i. e. iis praesentibus. cf. de Leg. 2, 24, 62. pro Rosc. Com. 15, 45. *eius testis ad iudicem fidem infirmabit, cuius propter fidem et religionem iudicis testes comparabat.* i. e. coram iudice. Nimis audacter Propertius 1, 18, 29. *et quodcumque meae possunt narrare querelae, cogor ad argutas dicere solus aves.*

Tacit. Germ. 20, 6. *sororum filiis idem apud avunculum, qui ad patrem honor.* Plaut. Cas. 2, 2, 20. *nam viri ius suum*

ad mulieres obtinere haud queunt. Cic. p. Rosc. Com. 4, 12. *quis umquam ad arbitrum, quantum petiit, tantum abstulit?* Quo defendi debet Plin. Hist. nat. 12, 32, 15. *petuntque eum etiam ad Troglodytas Sabaei.* nos *bei den Troglodyten holen.* Conf. 36, 9, 6. Phaedrus 3, 4, 1. *pendere ad lanium quidam vidit simium.* nos *beim Fleischer.* Liv. 1, 26, 5. *ad vulgus.* 24, 32, 2. *ad militare genus omne partemque magnam plebis invisum esse nomen Romanum.* 28, 26, 4. *ad multitudinem castigationem satis esse.* 6, 34, 5. *potentis viri, quum inter sui corporis homines, tum etiam ad plebem.* Mela 3, 2, 3. *aeternas esse animas, vitamque alteram ad manes.*

Wopkensius in Actis Soc. Trai. T. 4. p. 361. Livium verbis 1, 36, 5. *ut esset ad posteros miraculi eius monumentum.* idem dixisse docet, quod Tacitus *in posteros:* Ann. 11, 6. *qui famam in posteros praemia eloquentiae cogitavissent pulcherrima.* At non aliter haec dicta quam Ann. 1, 8. *iactantia gloriaque ad posteros.* i. e. apud posteros. et Liv. 2, 11, 11. *rem ausus plus famae habituram ad posteros quam fidei.* Fortasse defendenda est scriptura codicum in Tacit. Hist. 2, 92. *praeposuerat praetorianis P. Sabinum, ad praefecturam cohortis.* i. e. in praefectura cohortis. Diximus de hoc loco in voc. A.

Schwartzius quum in Tursellino nonnulla exempla ad Germanorum usum verbi *gegen* in formulis *sich gegen einen entschuldigen, gegen einen sich benehmen,* quae non adversativam vim habent, ordinasset, et in iis explicandis adhibuisset vocabulum *adversus*, excitavit Facciolati rixas p. 33. quibus iterum repugnavit in Monument. ingen. 1. p. 154. Tamen inane erat certamen, a comparatione vernaculae linguae profectum.

8. Hoc modo, ad res relato, explicanda sunt plurima ea loca, in quibus AD pro *praeter* positum esse critici temere putabant. Vid. Drakenborch. ad Livium 3, 42, 7. et 26, 5, 9. Nam *ad aliquid fieri* dicitur id, quod praesente alia re fit, aut coniunctum cum ea.

Liv. 9. 22, 7. *nec, ut fit, ad ducis casum perculsa magis quam irritata est multitudo.* *bei dem Falle des Feldherrn.* ut Plin. Hist. n. 8, 14, 61. Cic. in Vatin. 8, 20. *si ad cetera vulnera, quibus putasti rempublicam deleri, hanc quoque mortiferam plagam infixisses auguratus tui.* in quibus nihil mutandum: nam *deleri* dicitur pro *deleri posse*, uti apud Tacit. Ann. 2, 21. *quum ingens multitudo artis locis praelongas hastas non protenderet, non colligeret.* Cic. de Leg. 2, 21, 51. *quaero a vo-*

bis — quid sit, quod ad ius pontificum civile appetatis. i. e. *bei dem vorhandenen Rechte der Priester.*

Petronius 15. *nescio quis ex concionibus, calvus, tuberosissimae frontis, qui solebat aliquando et caussas agere, invaserat pallium.* cod. Leid. *aliquando etiam ad caussas agere.* quod verum puto. Nos *der bisweilen auch bei Rechtsstreiten beschäftigt war.* Ille autem locus, quem cum his Burmannus comparat, c. 62. *ad stellas facere*, corruptione laborat.

In Livii 3, 42, 7. *arma Tusculum ad supplementum decernerent.* Drakenborchius explicuit, praeter supplementa militum in proelio interfectorum: Gronovius correxit *ac supplementum.* Sed arma dicuntur missa esse Tusculum in supplementum, ut, si quae amissa essent, supplerentur. 21, 49, 7. *ad apparatum belli edicto proposito, ut socii navales decem dierum cocta cibaria ad naves deferrent.* Intelligunt, praeter apparatum: ego vero, in apparatum belli, ut illa res per edictum comparanda inserviret belli apparatui.

9. Quare usurpatur de eo, quod alicui rei additum est, aut simul cum ea exstat. Quo pertinent formulae *ad cetera*, *ad id*, *ad omnia*, quae commode explicari quidem possunt per praepositionem *praeter*, melius autem redduntur per nostra *bei* et *zu*: *bei dem allen, zu dem.*

Livius 24. 45, 3. *ad Faleriorum Pyrrhive proditorem tertium transfugis documentum.* quod recte Dukerus explicat: adiectum proditori. 30, 1, 4. *bello quoque bonus habitus ad cetera, quibus nemo ea tempestate civis instructior habebatur.* ubi vid. Creverium et Drakenborch. Gronov. ad Liv. 35, 32, 4.

Liv. 35, 32, 4. *ingentem vim peditum equitumque venire: ex India elephantos: ad omnia (quo maxime moveri credebant multitudinis animos) tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos possit.* Gronovius correxit *ante omnia:* quod probavit Drakenborchius, quamquam ad 24, 45, 3. vulgatum cum eodem Gronovio explicuerat *praeter omnia.*

II. 1. Ubi igitur una cum aliqua re, aut ea iam perfecta aliquid, quod cohaeret, fieri vel esse dicitur, locum obtinet praepositio AD, in qua aut ipsa rei praesentia, aut magis tempus respiciendum est. Nam multa reperiuntur exempla, in quibus potior valet temporis ratio. In aliis sensum ad rei praesentiam referamus necesse est: quamquam non iis assentimur, qui

caussae notionem tribuerunt praepositioni, eamque pro vocabulo *propter* poni existimarunt. Occasionem quidem, non caussam illa indicat, neque aliam, nisi externam loci et temporis propinquitatem designat. Quae vero quum saepe etiam interiorem nexum comprehendat, fieri potest, ut ea, quae caussae vinculo cohaerent, eodem modo exprimantur: id quod maxime scriptoribus post Augusti tempora usitatum est.

Sueton. Dom. 7. *ad summam quondam ubertatem vini, frumenti vero inopiam, existimans nimio vinearum studio negligi arva, edixit, ne quis in Italia novellaret.* Dukerus correxit *a summa q. ubertate, fr. v. inopia.* Est vero illud: quum summa esset ubertas vini. Tacit. Hist. 2, 8. *multis ad celebritatem nominis erectis.* coll. cum Ann. 14, 57. Frontin. 1, 5, 16. *ad novitatem rei laxatis ordinibus barbari in spectaculum usque resoluti sunt.* Scribon. Com. med. 122. *metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis aeque afficiantur ad intemperantiam coli, antequam remediati erunt.* Explicuerunt haec: propter intemperantiam. Melius erit: quum adest intemperantia coli. Cap. 120. *quovis loco duritia fuerit, quae ad omne medicamentum exasperatur.* i. e. medicamento adhibito: *bei jedem Medicament.* Cf. Bentlei. ad Horat. Carm. 1, 23, 5. ubi quae e Lucretio 6, 1170. afferuntur, alio modo explicanda sunt: *ad ventum et frigora semper, in fluvios partim gelidos ardentia morbo membra dabant.* i. e. omnes ad ventum et frigora dabant membra, alii in fluvios.

Tacit. Ann. 2, 1. Hist. 2, 36. dixit *ad aliquid laetari,* occasionem laetitiae indicans. Haud vulgari modo loquutus est Cicero de Fato 2, 4. *ponere aliquid, ad quod audiam, si tibi non est molestum, volo.* nos haec: *wobei ich etwas vernehme.* Propert. 4, 22, 2. *panditur ad nullas ianua nigra preces. bei keinen Bitten.* Lucan. 3, 655. *discessit medium tam vastos pectus ad ictus.* i. e. *die Brust sprang mitten entzwei bei so ungeheuren Schlägen.*

Formula est loquendi *ad lucernam, ad lumina:* apud nos *beim Lichte, bei Fackelschein.* Florus 4, 2, 71. *lecto ad lucernam Platonis libro.* Sueton. Caes. 37. *adscenditque Capitolium ad lumina.* Ovid. Met. 4, 219. *inter bis sex Leucotheen famulas ad lumina cernit.* Passerat. ad Propert. 3, 8, 1. Burmann. ad Petron. 103. Salmasius haec ad tempus referebat intelligens, circa illud tempus, quo lucernae accenduntur. Sed bene observavit Graevius ad Sueton. Dom. 16. id Latinis dici *luminibus accensis,* aut *prima face,* et *ad lumina reverti*

apud Suet. Caes. 45. esse, accensis et praelatis facibus reverti. Huc autem pertinent etiam haec, quae ista confirmant luculenter. Virgil. Aen. 4, 513. *falcibus et messae ad lunam quaeruntur aeneis pubentes herbae. bei Mondenschein.* Ovid. Fast. 1, 438. *omnibus ad lunae lumina risus erat.*

2. Saepe in verbis explicandis adhiberi possunt vocabula *inter* et *in*. Significatur enim rerum coniunctio.

Cic. p. Coel. 28, 67. *quam volent in conviviis faceti, dicaces, nonnumquam etiam ad vinum diserti sint.* i. e. inter bibendum. Ovid. Trist. 5, 3, 4. *dicunt laudes ad tua vina tuas.* quod Horat. Carm. 3, 6, 26. *inter vina.* Cic. Tusc. 4, 2, 3. *morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes.* i. e. dum tibia canebatur. *bei Flötenspiel.* Horat. Epist. 1, 2, 31. *ad strepitum citharae cessatum ducere curam.* In Varr. de Re r. 3, 13, 1. *vidisti ad buccinam inflatam certo tempore apros et capreas convenire ad pabulum.* esse potest: audita buccina.

Ita explicaverim Tacit. An. 16, 23. *ut ad externa rumoribus intestinum scelus obscuraretur.* i. e. dum externa agitabantur. Lucan. 9, 113. *illam non fluctus — movit et exsurgens ad summa pericula clamor.* i. e. in periculis summis.

Liv. 24, 8, 13. *in minore te experti re sumus: haud sane, cur ad maiora tibi fidamus, documenti quidquam dedisti.* i. e. in rebus maioribus. Ita enim ponitur *obedire ad aliquid* pro *ob. in aliqua re.* Frontin. 1, 11, 13. *ut barbari ad omnia, tamquam divinitus imperata, obedirent.* Restituendum id videtur Apuleio. Met. 10. p. 247, 11. *adque haec omnia perfacile obediebam.* Vulgo *atque haec.* In Cic. p. Caec. 18, 52. *imperium domesticum nullum erit, si servulis hoc nostris concesserimus, ut ad verba nobis obediant, non ad id, quod ex verbis intelligi possit, obtemperent.* intellige *secundum verba, den Worten gemäfs.*

III. 1. Ab his ad temporis notiones transgrediamur. Ac de eo tempore praepositio AD usurpatur, quod non accurate definitur, sed tantum ex propinquitate alicuius certi momenti designatur. Omne enim tempus imagine productae lineae comprehenditur, qua ad aliquem terminum accedamus. Qui igitur circa aliquod tempus aliquid agit, eum dicimus *agere ad aliquod*

tempus. Germani utuntur verbis *gegen*, *zu*, Graeci περί τι. Vid. Cort. ad Cic. Epist. 3, 5, 9.

Cic. ad Attic. 1, 3. *nos hic te ad mensem Ianuarium exspectamus.* 1, 4. *venias ad id tempus, quod scribis:* quod quidem non est *eo tempore*, sed *circa illud tempus.* de Divin. 1, 28, 59. *quum — in villa quadam campi Atinatis maneres, magnamque partem noctis vigilasses, ad lucem denique arcte et graviter dormitare coepisse.* i. e. *gegen Morgen.*

Haec tamen ita cum certi temporis notatione confunduntur, ut non semper verbis, sed rei descriptione intelligatur, utrum ipsum, quod nominatur, tempus, an ei proximum indicetur. Nam dicunt Latini *ad vesperum* et eo sensu, quo nos usurpamus *Abends*, intelligentes ipsam vesperam, et eo, quo dicimus pro imminente vespera, *gegen Abend.* Ita *ad mediam noctem* appellabatur tempus, quod mediam noctem praecedebat. Et similiter *ad meridiem.* Censorin. de Die nat. 24. *exinde intempesta, id est multa nox, qua nihil agi tempestivum est: tunc ad mediam noctem dicitur: et sic media nox.* Haec bene exposuit Graevius ad Suet. Dom. 16. ubi restituit: *ad mediam noctem ita est exterritus.* Olim legebatur *et circa m. n.*

Plaut. Pseud. 4, 7, 77. *quotumo die ex Sicyone huc pervenisti?* HA. *altero ad meridiem.* Cic. de Divin. 1, 46, 103. *ea ipsa die domum ad vesperam rediit.* Horat. Epist. 2, 2, 98. *ad lumina prima.* quod est Sat. 2, 7, 33. *sub lumina prima.* Cic. de Div. 1, 28, 59. Vid. Gronov. Diatr. in Stat. (p. 319.) p. 494. et 495. not.

Certum tempus, quo ipso aliquid factum sit vel fiat, habemus in multis exemplis non dubiis, quamquam id Oudendorp. ad Suet. Caes. 31. et Cortius ad Cic. Epist. 2, 17, 1. negare conati sunt, ille quidem existimans, ubique intelligi antecedens tempus. Neque enim *ad lucem* esse, *quum iam lux erat*, sed *antequam lucesceret.* Ipse tamen Oudendorpius negare noluit, *ad lucem* etiam interdum significare lucescentem iam diem. Sensum igitur formulae ipsa res constituet quocumque in loco.

Cic. ad Fam. 16, 10, 4. *nostra ad diem dictam fient.* 2, 11, 2. *quod videmur effugere, si ad constitutam diem decedemus.* Tacit. An. 15, 60. *is ad eum diem ex Campania remeaverat.* Sallust. Iug. 70, 5. *is postquam — ad tem-*

pus non venit. Caes. B. Civ. 1, 24. *quoniam ad id tempus facultas colloquendi non fuerit.* i. e. eo tempore. Cic. de Fin. 2. 31, 103. *ut omnium siderum eodem, unde profecta sint, fiat ad unum tempus reversio.* i. e. *zu derselben Zeit.* Cic. p. Rosc. Am. 44, 127. *opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant: nimirum ad Kal. Iunias.* ad Heren. 4, 51, 64. *vos huc ad decimam venitote.* Ita non pauci codices: vulgo *decuma.* Sed illud Lambinus interpretatur, circiter decimam. Culex 161. *solitum volvens ad tempus tractibus isdem immanis — serpens.* Sueton. Dom. 17. *ad ipsam horam dolonem interiecit.* quinta enim erat hora, quae inter coniuratos convenerat. Alii scripserunt *in ipsam horam.*

Ita dicunt *ad diem.* Cic. in Verr. 2, 2, 5. *quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit?* Ita *respondere ad diem,* quod est, ad condictum diem adesse et satisfacere. Vid. Gronov. Observ. 2, 4. p. 236. (185.) *ad constitutum,* de quo exposuerunt Gronov. Obs. 1, 1. p. 16. (14.) et interpretes ad Petron. 15. Scaevola in Digest. 18, 5, 10. *si ad diem pecuniam non solvisset.* ut Cic. ad Att. 16, 16. Planco. De verbis *ad diem* vid. Oudendorp. ad Caes. B. Civ. 2, 19, 2. et nos infra. In Caton. de Re rust. 69, 3. *semen maturum fit ad auctumnum.* dubitabimus, utrum intelligamus ipsum auctumnum, an tempus ante auctumni initium. Et Varro de Re r. 3, 5, 7. *quotannis in Italiam trans mare advolant circiter aequinoctium autumnale, et eodem revolant ad aequinoctium vernum.* Etiam nos in multis hoc modo solemus tempus constituere universum, veluti *zur Herbstzeit.* Cic. Brut. 97, 333. *quorum tamen ipsorum ad aetatem laus eloquentiae perfecta nondum fuit.* i. e. *zu deren Zeit.*

Illud *ad* dierum nominibus coniunctum Lambinus in Ciceronis libris ubique mutavit in *a. d.* i. e. ante diem, adeo ut in nonnullis locis omnem sententiam depravaret: veluti in Epist. ad Att. 6, 1. extr. ubi Gifanius monuit. Ant. Schorus de Ratione discendae lat. ling. p. 53. ait: „*ad* quidem cum tempore, quod numero notatur, coniungitur, sed si numerus absit, ut ipsae Calendae, Idus, Nonae tantum significentur, non *ad,* sed ablativo oratio explicatur, ut *Idibus, Calendis,* aut *Nonis Maii,* non ad Calendas, Nonas, Idus.“ At ipse Cicero ad Fam. 9, 5. *mihi vero ad Nonas bene maturum videtur fore — tempus.*

2. Additur praepositio nominibus rerum aliquo tempore actarum, in quo alia simul res fiebat ita, ut altera alteram temporis continuitate et perpetuitate at-

tingeret. Haec est enim huius usus ratio, nec cum Bachio, qui huius rei mentionem fecit in libro *Geist der röm. Elegie* p. 320, celeritatem expressam esse putabimus. Nos usurpamus vocabulum *bei*.

Cic. in Verr. 4, 14, 32. *quo solitus esset uti ad festos dies, ad hospitum adventum.* Vid. Gronov. ad Senec. de Benef. 4, 6. Duker. ad Liv. 21, 61, 1. Livius 21, 61, 4. *raptim ad famam novorum hostium agmine acto.* 6, 27, 9. Tacit. Ann. 2, 7. *ad famam adventus eius dilapsi.* Sed Pollio in Cic. Epist. ad Fam. 10, 32, 2. *ad singulos enim nuntios turpissime consilia mutat.* quod esse potest nuntiis allatis, vel secundum nuntios. vide Cortium ad h. l. Ita intelligenda haec Cic. ad Famil. 3, 5, 9. *te Laodiceae fore ad meum adventum. bei meiner Ankunft.* Aliter Manutius. Alia vide apud Burm. ad Ovid. Am. 3, 7, 41. Varro de Re r. 3, 13, 1. *vidisti ad buccinam inflatam certo tempore apros et capreas convenire ad pabulum.* de quo loco vid. p. 98. Livius saepe dixit *ad eum nuntium.*

Haec interdum caussali nexui similia sunt. Liv. 9, 2, 5. *ne Apulia omnis ad praesentem terrorem deficeret.*

3. Ita etiam usurpatur de eo, quod fit re aliqua adspecta vel audita, vel alio modo conspicua. Cuius usus exemplum frustra quaeres in Cicerone.

Tacit. Hist. 2, 73 *plerumque ad nomen eius Vitellius excitabatur.* Liv. 22, 7, 16. *ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam.* Valer. Flacc. 6, 686. *primaque ad infesti Lexanoris horruit arcus.* 4, 712. *freta ad subitam stupuere ratem.* Vide Burmann. ad 3, 264. Ovid. Her. 11, 63. *mortua tamen ad tua verba revixi.* Valer. Flacc. 4, 465. *nomen ad Actaeae Zetesque sororis prosiliunt.* Florus 2, 6, 5. *ad auditum sociae civitatis obsidium.* Fortasse huc pertinet etiam Liv. 7, 4, 2. *virgis caesis, qui ad nomina non respondissent.* i. e. auditis nominibus.

Iuvenal. 13, 223. *hi sunt, qui trepidant et ad omnia fulgura pallent.* ut Tacit. Hist. 3, 56. *ad omnes nuntios trepidus.*

Ex his quaedam ad notionem respondendi vel reddendi possunt referri: quemadmodum Curtius 4, 6, 27. *nullam ad minas eius reddit vocem.* Nos *auf etwas erwiedern.* Alia cum iis conveniunt, quae posuimus p. 98. Ita Curtius 5, 10, 2. *quippe in illis gentibus regum eximia maiestas est. ad nomen quoque barbari conveniunt.* i. e. adeo ipso regis nomine au-

dito in unum conveniunt, nec possunt diduci in partes. *Quoque* est i. q. adeo.

IV. 1. Ad numerum et mensuram haec praepositio non uno modo refertur. Nam aut notat, quem usque ad numerum vel partem res, de qua sermo est, reducatur. Nos *bis auf* dicimus.

Columell. de Arb. 4, 5. *scrobem vel sulcum cum stercorata terra ad medium completo.* De Re rust. 12, 34. *decoquis ad palmum.* id est, ad quartas. 12, 21, 5. Varr. de Re r. 1, 2, 26. Plin. H. n. 20, 8, 3. Saepe enim *ad tertias decoquere* est decoquere, ut consumptis duabus partibus tertia supersit.

Fortasse ita accipiendum est illud Curt. 7, 11, 12. *praemium erit ei, qui primus occupaverit verticem, talenta x: uno minus, qui proximus ei venerit: eademque ad decem homines servabitur portio.* ut sit: eadem proportio usque ad decimum hominem. Notatur enim terminus praemii minuendi.

2. Aut significatur, quota pars rei intelligatur: quod nostro *zu* respondet.

Liv. 42, 3, 2. *aedem Iunonis Laciniae ad partem dimidiam detegit.* i. e. *zur Hälfte.* Apicius 3, 2. *ita ut ad tertias deferveat.* i. e. usque dum pars tertia exhalarit, ut duae partes restent. vd. Rhodii Lexic. Scribon. p. 451. s. v. *tertia.* Burmann. ad Seren. Sammon. 23, 416. Apicius 9, 13. *piperis ad dimidium eius.*

3. Aut denique vicinitatem numeri non accurate definiendi designat, ad quem aliqua res accedat, ut sit id quod *circiter.* Graeci dicunt ἐπί et πρός.

Terent. 1, 1, 93. *quasi talenta ad quindecim coegi.* Plaut. Epid. 2, 2, 111. *ad quadraginta fortasse eam posse emi minimo minas.* Liv. 28, 36, 13. *ad octingenti homines caesi inter murum litusque, et ad duo millia armorum inventa.* Cic. ad Quint. fr. 2, 1. *sane frequentes fuimus omnino, ad ducentos.* ad Attic. 1, 14. *homines ad quindecim.* Liv. 9, 29, 10. 10, 17, 8. Cic. pro Cluent. 40, 110. *quum annos ad quinquaginta natus esset.* Vid. Gronov. de Pecunia vet. 1, 7. p. 33. Ineptam Iohnsoni sententiam, in Noct. Notting. p. 72. propositam, ex qua *ad* pretii nomini additur, hic repetere nil attinet. vid. Ruddimann. T. 2. p. 185.

In his notandi sunt quidam construendi verborum modi, qui maxime sermoni vitae communis debentur. Nam apponitur *ad* pro adverbio, certe in libris Livii et Caesaris. Liv. 10, 17, 8. *ad duo millia et tre-*

centi occisi. 27, 12, 16. *cecidere in pugna fugaque ad duo millia et septingenti.* Caesar B. Gall. 2, 33. *occisis ad hominum millibus quatuor.* Vid. Perizonius in Miscell. Obs. 8. p. 135. Borrich. Vindic. Latin. p. 200. Gronov. ad Plaut. Epid. 2, 2, 111. ad Liv. 10, 17, 8. Drakenb. ad 4, 59, 7. Oudendorp. ad Sueton. Iul. 20. Quod ibi Suetonius narrat: *agrum Campanum divisit extra sortem ad viginti millibus civium*, Velleius expressit his: *ita circiter* XX *millia civium eo deducta.* Dubitabat olim de hac re Ernestius: nunc ea satis comperta est. Aliae sunt ellipticae dictiones. Sisenna apud Nonium 2, 88. *ad binum millium numero sauciis utrimque factis.* de quo vid. Gronov. de Sestert. p. 33. Interdum additur vocabulum *numero.* Plin. Hist. nat. 9, 10. *pariunt ova, avium ovis similia, ad centena numero.* Caesar B. civ. 3, 53. *ad duorum millium numero ex Pompeianis cecidisse reperiebamus.* ubi, sicuti in aliis locis, corrigendum putarunt *numerum.* Vid. Oudendorp. ad B. Gall. 8, 4. Ciaccon. et Oudend. ad Bell. civ. 3, 53. Sed dicebant etiam *ad numerum.* Caes. B. Gall. 1, 15. *ad numerum quatuor millium.* Prudenter de hac re iudicavit Morus in Indice: „in tanta varietate, quae sermoni vitae communis debetur, nihil temere corrigendum, et ad certas regulas revocandum est.“ Oudendorp. ad Hirtii B. Afric. 23, 1. Alio sensu *ad numerum* de constituto aut certo numero Cic. ad Quint. frat. 2, 13. *Domitius ad numerum iudices non habuit.* Caesar B. Gall. 5, 20. *obsides ad numerum frumentaque miserunt.* vd. Oudendorp. ad B. civ. 2, 19, 2. Alio sensu iterum Cic. de Nat. deor. 1, 37, 105. *sic enim dicebas, speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eamdem ad numerum permanere.* i. e. κατ' ἀριθμόν, uti Epicurus docuit. cf. 1, 19, 50.

4. In summa pecuniae designanda Latini utuntur hac praepositione, ut accurate eam definiant, et quo usque ea pertineat, indicent. Nos dicimus *auf*, et in quibusdam formulis *zu.*

Plin. Epist. 1, 15. *ad assem impendium reddes.* Cic. ad Attic. 5, 21. extr. *assidunt, subducunt: ad numum convenit.* pro Rosc. Com. 4, 11. ח-ס ,ד,ד *ad libellam sibi deberi.* de quo vid. Scriverii Anecdota p. 20. Est: ut nec desit libella, nec

superet. Loquutionem *ad assem perdere* bene illustrat Goclenius in Problem. Gram. 4, 22. p. 200.

Cic. p. Quinct. 4, 17. *decidis statuisque tu propter necessitudinem, quae tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium solveretur.* Schwartzius in Monument. ingen. tom. 1. p. 152. s. et 160. ad reiiciendam Facciolati sententiam multa attulit, ut probaret etiam hoc loco dici, quid Scapulis summa accurate definita solveretur ad denarium usque. Facciolatus explicuerat: ad monetam Romanam. Sed bene exposuit Gronovius de Sestertiis 3, 11. p. 186. quanta summa denariorum debitum, quod in alio genere nummi contractum erat, expungeretur. Nos *zu Denarien gerechnet.*

5. Hoc loco commemorandae sunt etiam formulae verborum *ad unum omnes* et *ad unum*, quarum sensus per se apertus, explicatione non eget. Dicitur enim pro *nullo excepto.*

Cic. Lael. 23. *de amicitia omnes ad unum idem sentiunt.* Liv. 21, 42, 2. *quum ad unum omnes ferrum pugnamque poscerent.* Caesar B. civ. 3, 27. *naves Rhodias afflixit, ita ut ad unam omnes constratae — eliderentur.* Omittitur vocabulum *omnes* in his Virgil. Aen. 5, 687. *si nondum exosus ad unum Troianos*, ubi Servius. Cic. Epist. ad Fam. 10, 16. *ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum.* Epitome Liv. 2. extr. *qui ad Cremeram ad unum ab hostibus caesi sunt.* ubi Livius 2, 50, 11. *ad unum omnes.* Ammianus Marc. 14, 7. *et perissent ad unum, nisi* etc. Curt. 7, 5, 32. Vid. Pricaeus ad Apulei. Metam. p. 209.

III. Ea, quam antea exposuimus, accedendi et attingendi significatio multiplicem habet usum in cogitatione, quae non sensu regitur, sed in componendis notionibus versatur. Atque ea inservit designandis rationibus, quae inter res intercedunt, et quibus alia ad aliam refertur animi cogitatione. Nam ratio, qua aliquid ad aliquam rem vel notionem referimus, similis est directioni, eamque comprehendere solemus imagine motus, quo ab alia re ad aliam iuxta positam perduci videamur. Atque hoc ante omnia cernitur in comparatione.

I. Ponitur enim AD in rerum comparatione vel collatione cum aliis rebus vel exemplis facta: ubi Graeci πρός adhibent. Vid. Vechneri Hellenolex. p. 440.

Terent. Eun. 4, 14, 14. *ne comparandus hic quidem ad illum*

est. Cic. de Orat. 2, 6, 25. *quem cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil ad Persium.* i. e. *nichts gegen Persius, im Vergleich mit P.* p. Deiot. 8, 24. *addidit etiam illud, equites non optimos misisse: veteres, credo, Caesar: nihil ad tuum equitatum.* Terent. Eun. 2, 3, 70. Cic. Tusc. Qu. 1, 17, 40. *terram in medio mundo sitam ad universi coeli complexum quasi puncti instar obtinere.* Liv. 22, 22, 15. *homini, non ad cetera Punica ingenia callido, ut persuasit.* Vid. Drakenborch. ad Liv. 38, 53, 10. Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 2, 6. Plaut. Capt. 2, 2, 25. *ad sapientiam huius nimis nugator fuit.* Vide Gronov. Observat. 4, 6. (p. 581. Lips.) Barth. ad Gratii Cyneg. 211. Parei Lexicon crit. p. 30. a. Burm. ad Ovid. Her. 9, 119. Nec tamen huc pertinet Plaut. Trinum. 3, 2, 97. *credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore.* ubi Taubmannus comparationem expressam esse suspicabatur.

Huc retulerim etiam illud, de quo interpretes non consentiunt, Cic. de Fin. 3, 16, 52. *quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum.* Davisius correxit *a regio principatu.* Ruddimannus T. 2. p. 216. n. 20. *ad* dici contendit eadem ratione, qua in enarrando ordine *secundus ab aliquo.* Goerenzius explicuit *quoad*, sed collato loco 2, 20, 63. parum apto. Ego comparationem intelligo inter principatum et secundum ordinem: *im Verhältnifs zu der Königswürde der zweite.*

Vell. Pat. 2, 120, 6. *praeclari facinoris auctor fuit Caldus Caelius, ad vetustatem familiae suae dignissimus.* Id nullo pacto ferri posse omnes consentiunt. Wopkensius Lect. Tull. 2, 3. p. 134. defendit ratione non satis expedita. Equidem nullus dubito, quin voc. *dignus* ita recte construatur cum praepositione, quae comparationem notat, et aliam rem ad aliam refert. Quae sententia non destituitur verisimilitudine, nec desiderarentur exempla, nisi a librariis talia fere mutata essent. Certum hoc quidem est Plauti Mil. glor. 4, 1, 20. Pal. *lepida et liberali forma est* Py. *Cave mendacium.* Pal. *Ad tuam formam illa una digna est.* Atqui uti quella dicitur bene convenire cum pulcra iuvenis forma, ita ille Caelius cum vetustae familiae celebritate.

In Virgil. Ecl. 3, 48. *si ad vitulam spectas, nihil est quod pocula laudes.* Burmannus male construit verba hoc ordine: si pocula spectas ad vitulam, nihil est quod laudes. Quam subtilitatem omnino respuit nativa oratio.

Numerorum collationem habemus in his Quin-

ctil. 5, 11, 34. *ut unum ad decem, sic decem ad centum.*

II. Notiones, quae ipsae non integrae in se constant, definitionis et amplificationis caussa ad alias notiones referuntur per praepositionem AD. Est autem hic modus triplex. Nam aliquid esse dicimus aut ex certa quadam conditione et parte, ita ut ipsa notio alius notionis vel rei ratione constituatur, aut secundum aliquam rem, quae modulum et regulam exhibet, aut in aliquem finem, cui res destinata est. Haec nunc singula percenseamus.

1. Dicitur AD de ratione, ex qua aliquid considerandum, aut notio aliqua conficienda sit: ubi nostri homines ponunt *si respicis ad, ratione habita, quoad.* Graeci usurpant κατά et πρός, Germani in paucis adhibere possunt praepositionem *nach*, in plurimis reddunt sensum per verba *in Hinsicht, in Bezug auf.* Ita praesertim adiectivis adduntur nomina, quae eorum notionem adstringunt atque constituunt. Vid. Gronov. Obs. 4, 10. p. 147. (626.) Wopkens. Lect. Tull. 2, 3. p. 134. Ernesti ad Cic. de Nat. d. 1, 1, 1. Heusinger. ad Cic. Off. 3, 21, 10. Bremi. ad Cornel. Epam. 2, 3. Wyttenbach. ad Cic. de Nat. d. 2, 62. p. 773. Creuz. Varia miscuit Broukhus. ad Propert. 2, 8, 7.

Cic. ad Fam. 3, 11, 2. *nihil de insignibus ad laudem viris obscure nuntiari solet.* in Verr. 1, 21, 58. *vidi simul cum populo Romano forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri.* p. Font. 15, 33. *virum ad labores belli impigrum, ad pericula fortem, ad usum et disciplinam peritum, ad consilia prudentem, ad casum fortunamque felicem.* de Leg. 2, 13, 33. *nisi hi omnes multa ad veritatem admirabilia dixissent.* i. e. in veritate admirabilia: neque aliter Plinius Hist. nat. 7, 2, 2. *quorumdam corpori partes nascuntur ad aliqua mirabiles.* ubi nihil mutandum videtur. Cic. de Fin. 2, 20, 63. *non timidus ad mortem.* ubi vid. Goerenz. p. Rosc. Am. 30, 85. *implacatus ad severitatem videbatur.* Matthiae comparat de Orat. 1, 25, 113. 1, 32, 146. 2, 49, 200. ubi legitur: *nihil ad dolorem acerbius accidere posse.* Ante omnia conferri debebat Catil. 1, 5, 12. *ad severitatem lenius.* Ad Fam. 3, 1, 1. *id et ad brevitatem est aptius et ad reliquas res providentius.* in Verr. 4, 52, 117. *situ est — praeclaro ad adspectum.* nisi hoc ad usum referas, ut in loco Plinii Hist.

n. 20, 7, 26. Lucan. 5, 320. *habes nudum promptumque ad vulnera pectus.*

Cum verbis cohaeret praepositio in his: Cic. p. Mur. 13, 29. *dicendi consuetudo et multum vestrae exercitationi ad honorem antecellet.* ad Att. 1, 11. in Epist. ad Cu M. *ut mea persona semper ad improborum civium impetus aliquid videretur habere populare.*

Formulam efficiunt verba *ad omnia, ad cetera.* Terent. Phorm. 1, 3, 13. *modestus ad omnia alia.* Cic. Tusc. 3, 5, 11. *mentis ad omnia caecitas.* Liv. 37, 7, 15. *virum sicut ad cetera egregium, ita a comitate, quae sine luxuria esset, non aversum.* Ruhnkenius in Vellei. Pat. 2, 23, 6. bene correxit: *transgressus deinde in Asiam Sulla, parentem ad omnia supplicemque Mithridatem invenit.* vid. Drakenborch. ad Liv. 37, 7, 15. Alium horum verborum usum vid. p. 96.

Ne ambiguum videatur Livii 9, 16, 13. *qui ipse invicti ad laborem corporis esset:* quod explicari potest *in laborem,* conf. locum Cic. p. Font. 15. modo allatum et Ovid. Met. 12, 167. *corpus invictum ad vulnera erat.* De verbis *esse ad aliquid* postea dicam. Carmen ex Platone apud Macrobium 2, 2. (Anthol. 3, 239, 15.) *et mira prorsum res foret, ut ad me fierem mortuus, ad puerum ut intus viverem.* i. e. quod ad me, ad puerum attinet, ex mea parte. Atque sunt exempla graecae praepositionis πρός, quae latine reddi vix possint, certe non antiquo usu. Quare Latini formulam fecerunt *quod attinet ad,* quae saepe circumloquutioni inserviens unam constituit notionem, nec constructionis rationem in se recipit: quod nuper egregie demonstravit Forbiger in Animadv. ad Livii loca (Lips. 1825.) p. 7. Apulei. Metam. 1. p. 106, 37. *at vero coetus illius auctorem — in aliam civitatem summo vertice montis exasperati sitam, et ob id ad aquas sterilem transtulit.* Ita nonnulli codices, et defendit Scioppius Susp. lect. 4, 6. Sed vid. Gruteri Suspic. 3, 13.

Saepe praepositio idem exprimit quod dativus. Tacit. Ann. 14, 4. *facili feminarum credulitate ad gaudia.* quod Hist. 2, 23. *humillimo cuique credulus.* Sed Ann. 12, 54. *aemulo ad deterrima Ventidio.* eam habet rationem, quam Sallust. fragm. 3, 32. p. 978. *facta consultaque eius quidem aemulus erat.*

2. Ponitur AD, ubi significanda est norma et regula, et id quod actionem aliquam regit et modulatur:

id quod reddi potest per vocabulum *secundum*. Hoc enim sequendi, illud accedendi et attingendi notionem in se habet. Graeci dicunt κατά et σύν et ἐκ, Germani *gemäfs* et *nach*.

Cic. in Verr. 1, 51, 133. *dicunt ei fere nullam esse columnam, quae ad perpendiculum esse possit.* de Fin. 1, 6, 19. *solida corpora ferri suo deorsum pondere ad lineam.* ubi vid. Goerenz. Oudendorp. ad Sueton. Aug. 31. p. 213. Caes. B. Gall. 5, 12. *utuntur autem aere aut taleis ferreis, ad certum pondus examinatis.* 5, 20. *ad numerum.* Plin. Hist. n. 24, 8, 30. *foliis cum vino tritis ad virium portionem.* 16, 41, 80. *teredines capite ad portionem gravissimo.* Cic. de Amic. 5, 18. *ad istorum normam fuisse sapientes.* Liv. 1, 44, 3. *ad eam multitudinem urbs quoque amplificanda visa est.* Plaut. Capt. grex 1. *ad pudicos mores facta haec fabula est.* Quinctil. 3, 1, 18. *appellatique inde Apollodorei et Theodorei ad morem certas in philosophia sectas fingendi.* Plin. Epist. 3, 18, 1. *quod ego in senatu quum ad rationem et loci et temporis ex more fecissem* etc. Liv. 1, 19, 6. *ad cursum lunae in duodecim menses describit annum.* Cic. de Fin. 1, 9, 30. πρὸς φύσιν, reddidit: *quid aut ad naturam, aut contra sit:* ubi alii codices *secundum naturam* praebent. Cornel. Epam. 2, 3. *ad nostram consuetudinem sunt levia.* ubi Bremi. Vid. Heusinger. ad Cic. de Offic. 3, 21, 10. Paradox. 6, 2, 47. *est enim ad vulgi opinionem mediocris.* vd. Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 6, 1, 2. ad B. Civ. 2, 40, 3. Cic. ad Fam. 15, 6. *nam ad meum sensum et ad illud sincerum ac subtile ingenium nihil potest esse laudabilius quam ea tua oratio.* Liv. 9, 38, 2. *negaverunt, eam lectionem se, quae sine recti pravique discrimine ad gratiam ac libidinem facta esset, observaturos.* Quod Cicero de Off. 1, 26, 90. *in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus.* id Quinctilianus Declam. 3, 12. *ad omne votum fluente fortuna lascivit otium.* Sed in Dialogo de caussis corr. eloq. 41. Lipsius et Gronovius scripserunt: *forum non emendatae, nec usque ad votum compositae civitatis argumentum est.* Quod vix probari poterat. Egregie coniecit Acidalius: *usquequaque.* Caes. B. Gall. 1, 31. *si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit.* Cic. Orat. 8, 24. *ad eorum arbitrium et nutum totos se fingunt.* Vid. Huschkius ad Tibull. 2, 3, 78. Cic. Philipp. 7, 6, 18. *illi parati sint ad nutum futuri.* in Verr. 2, 27, 67. de Lege agr. 2, 36, 98. Tacit. Ann. 12, 16. *ad libita Caesarum.* 14, 2.

De verbis *ad numerum moveri*, i. e. certo motu, ἐν ῥυθμῷ, vid. Burmann. ad Petron. 39. p. 246. edit. sec. Jaeger. ad Pacati Paneg. Theod. 21, 3. p. 313.

3. Hoc modo factae sunt formulae seorsum notandae: *ad formam*, *ad effigiem*, *ad simulacrum*, *ad modum*, *ad similitudinem*, *ad speciem*, *ad exemplum*, *ad magnitudinem*. Quae apud Plautum legitur, dictio *ad istam faciem*, pro *istius formae*, desumpta esse videtur vulgari sermoni. Quod nostri temporis hominibus placuit *ad vivum exprimere*, barbarum est.

Plin. Hist. n. 9, 23, 39. *in Gallia septemtrionali muraenis omnibus dextra in maxilla septenae maculae ad formam septemtrionis aureo colore fulgent.* Suet. Tib. 30. alii libri *quid et ad quam formam regum litteris rescribi placeret.* alii exhibent *qua forma.* Cic. ad Quinct. fr. 1, 1, 8. *Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii.* Plin. Hist. n. 21, 16, 58. *Tribulus — folio ad effigiem ulmi, pediculo longo.* Liv. 40, 6, 5. *mos erat, lustrationis sacro peracto, exercitum decurrere et divisas bifariam duas acies concurrere ad simulacrum pugnae.* Sueton. Caes 84. *aedes ad simulacrum templi Veneris.* Flor. 4, 2, 88. *ad simulacrum ignium ardens Pharus.* ubi vd. Duker. Cic. Tusc. 2, 4, 10. *est igitur ambulantibus ad hunc modum sermo ille nobis institutus.* Liv. 37, 46, 8. *ceteros — aegre castra defendisse et ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum redactos.* sine caussa mutarunt *in modum.* Seneca Quaest. nat. 1, 16, 8. *quo nequitiam meam, si ad naturae modum pecco?* Vid. Gronov. Obs. 1, 10. p. 94. (72.) Duker. ad Liv. 34, 13, 4. Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 5, 27, 3. Cic. de Nat. d. 2, 64, 160. *ad similitudinem bellicae disciplinae.* Varro de Re r. 3, 5, 8. *ad speciem cancellorum scenicorum.* Suet. Ner. 31. *stagnum maris instar, circumseptum aedificiis ad urbium speciem.* Alio sensu tamen et ratione alia dicitur *ad speciem* pro, honoris et ornamenti caussa, in splendorem. Cic. de Leg. agr. 2. 12, 31. *sint igitur decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque ad usurpationem vetustatis per xxx lictores auspiciorum caussa adumbratis, constituti.* Sueton. Caes. 67. *habebatque tam cultos, ut argento et auro politis armis ornaret, simul et ad speciem, et quo tenaciores eorum in proelio essent metu damni.* Vid. Pontan. ad Macrob. 2, 9. Burmann. ad Gratii Cyneg. 177. Et dicitur etiam de re non ve-

ra, sed speciosa: *zum Schein.* Caes. B. Civ. 2, 35. *buccinatore in castris et paucis ad speciem tabernaculis relictis.* 2, 41. *peditatu dumtaxat procul ad speciem utitur.* i. e. ut species exhibeatur. B. Gall. 1, 51. Frontin. 1, 5, 5. Et de externa rerum effigie. Cic. in Verr. 2, 22, 58. Ovid. ex Pont. 4, 7, 49. *pugnat ad exemplum primi minor ordine pili.* Celsus 4, 12. *si vetus vitium est, oportet laser quam optimum ad piperis magnitudinem devorare.* 5, 24. 6, 6.

Plaut. Cist. 1, 1, 73. *ad istam faciem est morbus, qui me macerat.* Merc. 2, 3, 90. *senex est quidam, qui illam mandavit mihi, ut emerem ad isthanc faciem:* quorum sensum explicat v. 90. *at mihi quidam adolescens pater mandavit ad illam faciem, ita ut illa est, emerem sibi.*

„Non memini alias me legere apud ullum veterem probatum scriptorem, id quod vulgo nunc omnes loquuntur, *exprimere ad vivum.* Interrogati iuniores studiosi, utrum aliquid eiusmodi, recenti memoria, legissent, negarunt: quumque amplius ac diligentius inquisissent iterum, nihil inventum a se responderunt.“ Vavassor. *Ad vivum agere tragoediam* Scioppius in Infamia Famiani p. 50. vocat fossore aut caprimulgo dignum genus.

4. Scriptores recentiores adeo praepositionem ita usurpabant, ut ipsa significaret, in modum alicuius rei.

Solin. Polyh. 7. *reddit succum album ad lactis saporem.* 20. *honore et pretio ad smaragdos viret pallidum.* Vid. Salmasius p. 97. c. 165. d. 179. g. Barth. ad Gratii Cyneg. 211. Auson. Profess. 15, 11. *disputator ad Cleanthem Stoicon.* 20, 7. *grammatice ad Scaurum.* Conf. notae Vineti.

In Avieni Or. marit. 189. *splendorem ubique quippe inesse fluctibus vitri ad nitorem, et per profundum marmoris cyaneam in undis esse certum imaginem est.* ambigitur, utrum verba *ad nitorem vitri* sint *ad nitorem usque vitri*, an de similitudine dicantur. Hoc unum tamen probari potest, non illud.

5. *Ad aliquid disputare* dicitur, certis rebus vel quaestionibus propositis disserere, et secundum eas certa via ac ratione instituere sermonem vel disputationem. Cic. Tusc. Qu. 3, 9, 18. *itaque non inscite Heracleotes Dionysius ad ea disputat, quae apud Homerum Achilles queritur.* 1, 4, 8. *ad id aut sedens aut ambulans disputabam.* Quibus ut demonstrarent, AD vim habere praepositionis *de*, conferebant locum

Plauti Aul. 3, 5, 23. *nimis lepide fecit verba ad parcimoniam.* quocum itidem comparabant Symmachi Epist. 10, 21. *respublica se in vetustatem recepit, et decrepitos mutavere animos, postquam vos ad virtutem verba fecistis.* Vid. Parei Lex. crit. p. 31. Sed uterque scriptor intellexisse videtur modum, alter parsimoniae adhibitae, alter virtutis moderantis: *der Sparsamkeit, der Tugend gemäfs.* Illis autem e Cicerone allatis cognatum videtur esse hoc exemplum Livii 36, 2, 1. *his ita in senatu ad id, quae cuius provincia foret, decretis, tum demum sortiri consules placuit.* Nam antecedunt conditiones ipsius provinciarum sortitionis. Crevierius male constituit sensum: usque ad id caput. Et ipse Cicero dixit *meditari ad aliquid.* Epist. ad Fam. 2, 3. *equidem quid sentiam, ad te postea pluribus, aut, ne ad ea meditere, imparatum te offendam, coramque contra istam tuam rationem meam dicam.* Ita enim scribendum erat. Martyni-Laguna non percepisse videtur sententiam, quae haec est: aut postea scribam, aut ne secundum ea verba, quibus tibi rem exponam, aliena meditere, te potius velim imparatum, neque meis rationibus turbatum excipere.

6. Saepe in his relatio fit ad ea, quae ipsius, de qua sermo est, rei conditionem constituunt, ut appareat eam id, quod sit, esse illorum nexu et ratione. Nos dicimus *in Folge dessen, im Verhältnifs zu.*

Tacit. Ann. 12, 37. *ad ea Caesar veniam ipsique et coniugi et fratribus tribuit.* i. e. *in Folge dessen, auf dieses hin.* Caractus enim exposuerat coram Caesare rem suam, et veniam petierat: quae reputans Caesar precibus cessit. Liv. 42, 67, 12. *ad horum preces — in Boeotiam duxit.* i. e. *auf ihre Bitten.* Tacit. Ann. 1, 44. *supplices ad haec et vera exprobrari fatentes orabant.* Hist. 2, 64. *dixisse quin etiam ad primas filii sui epistolas ferebatur, non Germanicum a se, sed Vitellium genitum.* i. e. *in Bezug auf den Brief.*

Hoc nonnulli referebant ad caussam et praepositionem male explicuerunt per voc. *propter.*

Cic. Tusc. 1, 17, 40. *persuadent enim mathematici, terram in medio mundo sitam ad universi coeli complexum quasi puncti instar obtinere.* de quo loco vid. p. 105. Saepe Livius dixit *ad spem*, ubi nos *in Folge der Hoffnung.* vid. 36, 13, 5. 32, 5, 3. 36, 12, 6.

Hic defendam locum suspectum Curtii 3, 5, 9. *laxataque vis morbi ad hoc solum videbatur, quia magnitudinem mali sentiebat.* ita omnes libri, sed critici correxerunt *ob hoc.* Verte *in Folge dessen, weil.*

7. Potest autem id, quod rem moderatur et constituit, in eius, qui agit, viribus, persona, ingenio positum esse, quo fit, ut AD habeat significationem praepositionis *pro.* Nos *gemäfs, nach, aus.*

Sallust. Fragm. Hist. 3. Orat. Macr. Lic. 12. *neu, nomina rerum ad ignaviam mutantes, otium pro servitio appelletis.* Vti Cicero de Fin. 1, 6, 19. *ad libidinem fingi,* ita dixisse videtur Livius 1, 7, 7. *quum boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent.* Liv. 36, 13, 5. *sub adventum Romani exercitus, seu ad metum virium, seu ad spem veniae, quum dedidissent sese.* Et ita commode etiam accipi potest Plauti locus, quem paullo ante attulimus, Aul. 3, 5, 23.

8. Non diversa res est in iis, quae ad finem aliquem et usum et effectum referuntur, aut ubi dicitur rei facultatem valere et constare ex alius rei ratione: id quod etiam genitivo exprimitur. Et saepissime adiectiva et participia cum nominibus coniunguntur per hanc praepositionem, quae utilitatem, aptam et idoneam rem, opportunitatem, hisque contraria significant. Id per omnia saecula usus admisit in nominibus rerum: at in personis antiqui scriptores semper dativum posuerunt.

Terent. Phorm. 1, 2, 55. *nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem.* i. q. pulchritudinis. Cic. de Off. 3, 6, 31. *ut ne ipse de se bene existimans seseque diligens hanc caussam habeat ad iniuriam.* de Nat. d. 2, 52, 130. *magnae etiam opportunitates ad cultum hominum atque abundantiam, aliae aliis in locis reperiuntur.* Curt. 4, 14, 15. *ne illis quidem ad fugam locus est.*

Cato de Re r. 1, 38, 2. *non solum ad agrum utile, sed etiam ad cibum.* Plin. Hist. n. 29, 4, 14. *puros existimabant ad cibum.* Cic. in Catil. 3, 4, 9. *fatalem hunc esse annum ad interitum huius urbis atque imperii.* quomodo etiam Valer. Fl. 6, 608. *fatales ad regna iniusta cometae.* Cic. Brut. 68, 239. *Cn. Pompeius, vir ad omnia summa natus.* quod etiam cum dativo coniungitur. vid. Ruddimann. 2. p. 96. n. 60. in Verr. 4, 15, 33. *intellexi ad eam rem istos fratres Cibyratae fuisse.* ubi Hotomannus, loquutio, inquit, idem

significans, ut si plene dixisset, usui fuisse. in Catil. 2, 5, 9. *nemo est in ludo gladiatorio paullo ad facinus audacior.* de Nat. d. 2, 62, 155. *nulla est enim insatiabilior species, nulla pulcrior, et ad rationem sollertiamque praestantior.* quem locum male interpretatur Wyttenbachius, ut bene mihi indicavit Beierus comparans 34, 87 et 60, 151. Plin. Hist. nat. 20, 7, 26. *succus — ad multa praeclarus.* cf. supra p. 106. Tacit. Hist. 1, 72. *corrupto ad omne facinus Nerone.* Quinctil. Declam. 4, 22. *ad tua nunc genua porrigo, optime pater, has ad scelus tantum fortes manus.* Propert. 2, 10, 3. et Ovid. Fast. 2, 688. *fortis ad arma.* ubi Heinsius temere mutat *in arma.* Liv. 35, 10, 7. *in Quinctio nova et recentia omnia ad gratiam.* Tacit. Ann. 1, 28. *primi ad poenitentiam sumus.* Dictionis *rudis ad aliquid* multa exempla collegit Drakenborch. ad Liv. 6, 18, 4. De verbis *ad partes paratus, sollers* vd. Burmann. ad Ovid. Am. 1, 8, 87. Alia apud Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 5, 33. ad Suet. Dom. 84. p. 139. Dom. 6. p. 910.

Huc referenda sunt talia: Liv. 3, 5, 12. *difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto affirmare numero.* i. e. ut fidei satisfiat. Plin. Hist. n. 13, 6, 12. *materies ei admodum lenta ac fidelis ad vetustatem.* i. e. *für langes Alter.* 33, 3, 19. *quo saepius arsit* (aurum), *proficit ad bonitatem.* Curtius 9, 7, 24. *hinc ad criminationem invidorum adapertae sunt aures regis.* 8, 14, 10. (elephanti) *nec strepitu eorum* (tympanorum) *movebantur, olim ad notum sonum auribus mitigatis.* Intelligo ad sonum nunc notum sine terrore perferendum. Aliter id cepisse videtur Freinshemius.

9. Huius generis sunt ea, in quibus aliquid dicitur esse alicui rei destinatum, aut ad aliquam rem efficiendam institui aut alicui consilio inservire. Cuius usus apud optimos scriptores maior est campus, atque quem critici emensi sunt. In multis exemplis praepositio *in* eumdem sensum reddit.

Columella 11, 2, 92. *possit etiam salix decisa — ad vitium ligamina praeparari.* Cic. in Catil. 1, 10, 25. *ad hanc te amentiam natura peperit.* Parad. 1, 2, 10. *quaero enim a vobis, num ullam cogitationem habuisse videantur ii, qui hanc remp. tam praeclare fundatam nobis reliquerunt, aut auri et argenti ad avaritiam, aut amoenitatum ad delectationem, aut supellectilis ad delicias, aut epularum ad voluptates?* in quibus nihil mutandum erat. Sensus enim est: num reipublicae

antiqui auctores, ut satisfacerent avaritiae, ad aurum et argentum cogitationem intendisse videantur. p. Cluent. 70, 199. *eo iam denique adductus est, ut sibi praeter formam nihil ad similitudinem hominis reservarit.* i. e. ad similitudinem efferendam. Liv. 3, 63, 4. *Sabini, fusi passim per agros, castra hosti ad praedam relinquunt.* 2, 27, 6. *non tam ad honorem eius, cui curatio altior fastigio suo data esset, factum, quam ad consulum ignominiam.* Quamquam Goclenius in Observ. p. 385. rusticum appellat, qui ita loquutus erat, Lullum. Caes. B. civ. 2, 32. extr. Vitruv. 10, 16, (22.) 3. Plin. Hist. n. 17, 11, 16. *excide radicem istam — ad terrorem Praenestinorum praetoris.* Iustin. 5, 9, 2. *ipsum quoque ad terrorem omnium interficiunt.* Plaut. Aul. 4, 1, 7. *hoc servi esse officium reor, retinere ad salutem.* Terent. Andr. 3, 2, 1. *quaeque oportet signa esse ad salutem.* ubi Donatus omissum esse putat *haerentia* aut *pertinentia*, sicuti dicatur: *atque haec sunt ad virtutem omnia.* Heaut. 1, 2, 33. Caes B. Gall. 1, 22. *fore etiam reliquis ad suam spem solatio.* non aliter ac 1, 25. *Gallis magno ad pugnam erat impedimento.* Liv. 40, 56, 2. *spe potiundi ad poenam corporis amissa.* i e. ut poena exigeretur. Caes. B. civ. 3, 110. *amicos ad mortem deposcere.* i. e. ut morte afficiantur. B. Gall. 3, 11. *mutatis ad celeritatem iumentis.* i. e. ut celerius fieret iter, *zur Schnelligkeit.* B. civ. 3, 84. *superius tamen institutum in equitibus, quod demonstravimus, servabat, ut — ex antesignanis electos milites ad pernicitatem armis inter equites proeliari iuberet.* Morus interpretatur: ob pernicitatem: at est, in usum pernicitatis: non alio modo, quam quo Cicero in Verr. 5, 11, 28. ait: *delecta ad libidinem mulier.* i. e. ut inserviret libidini, et Tacitus Hist. 2, 91. *quod Traseam ad exemplar verae gloriae legisset.* Horat. Sat. 1, 60, 93. *nam si natura iuberet — alios legere ad fastum quoscumque parentes.* i. e. ut satisfieret fastui. Plaut. Truc. 5, 40. *omnes homines ad suum quaestum callent et fastidiunt.* de quo loco Gronov. Observ. 4, 10. p. 147. (625.) Petron. 83, 10. *qui sollicitat nuptas, ad praemia peccat.* i. e. ut praemia adipiscatur. Cf. Statii Theb. 6, 550. Terent. Heaut. 4, 5, 29. *argentum dabitur ei ad nuptias.* Vid. Vorstius de Latin. falso susp. p. 211. Cic. in Verr. 3, 77, 179. *qui tibi vel ad statuam pecuniam contulerint.* ad Quinct. fr. 1, 1, 9. *ne ad ludos pecuniae decernerentur.* Claudian. Rapt. Pros. 3, 386. *qualis pestiferas animare ad crimina taxos torva Megaera ruit.* i. e. accendere faces ad crimina intentanda.

De formula *ad speciem* diximus supra p. 109. „Vt *ad speciem,*

sic εἰς ὤπα Homer. Il. Γ. 158. Hesiod. Op. et D. 62. Cf. Matthiae ad Cic. in Catil. 1, 5, 12. p. Rosc. Am. 30, 85. Plenius loquitur Lactantius Inst. 2, 10, 14. *tantumdem ad usus necessitatem, quantum ad pulchritudinem valeat.*" Beier. Ex mea quidem sententia haec diversa sunt.

Locus est Cic. de Rep. 1, 28. in quo emendationibus virorum doctorum magis aucta est difficultas quam expedita: *Nam illi regi — tolerabili aut, si vultis, amabili, Cyro subest ad immutandi animi licentiam crudelissimus ille Phalaris.* Beierus ita mihi de hoc loco scripsit: „pessime interpretantur et Creuzerus et Eichstadius, qui coniectura mactat inutili, et Moserus, qui quum se mihi assentiri fassus sit, tamen *ad* longe aliter explicat, quam ego volui. Valet *si spectas ad.*" Equidem sensum ita conceperam: in Cyro, bono rege, recondita est crudelissimi Phalaridis indoles ad eam, quae licet, animi mutationem, ut ille, si immutandi animi licentia uti velit, indolem hanc exserat. Quo minus id exemplum iis, quae p. 112. posui, adiungerem, caussa erat ipsius verbi *subest* structura.

Dicunt poetae aliique scriptores *ad aliquid surgere, ad aliquid venire*, et similia de consilio agendi. Cicero tamen nusquam hoc modo loquutus est. Val. Flacc. 3, 560. *sonus surgentis ad oscula Nymphae.* 8, 216. *ad Haemonios hortatatus surgere montes.* i. e. ut montes conspiciat. Coel. ad Cic. Epist. 8, 9, 11. *qui ad suum negotium istuc venit.* et paullo ante: *habes eos, quos ad Sittianam syngrapham misi.* Liv. 37, 16, 3. *ad quam rem missus esset.* 7, 39, 14. 45, 39, 14. *si quis vos interroget, milites, ad quam rem in Italiam deportati — sitis.* Caes. B. civ. 3, 88. *quam ob caussam cunctum equitatum — obiecerat.* alii libri exhibent *quam ad caussam.*

Verba *ad praesidium relinquere* bene animadvertit Drakenborchius ad Liv. 3, 18, 5. non esse relinquere in praesidium, sed in praesidio, apud praesidium, idque hoc ipso loco probari, in quo legitur: *relicto ad portarum praesidia collega.* et 6, 9, 2. *relicto ad exercitum collega.*

Dubitare licet, quam rationem Frontinus adhibuerit in his 4, 5, 16. *virga, qua ad equum erat usus.* quae nos ad verbum reddimus, *die Ruthe, deren er sich beim Pferde bedient hatte.* Equidem intelligo usum, quasi dictum esset: ad equum excitandum. Brevitatis dicendi post afferemus exemplum Petronii: *aquam poposcit ad manus.*

10. Frequentissimum usum in gerundiis et participiis non est, quod multis exemplis illustremus. Multa

collegit Vorstius de Latin. falso susp. p. 205. 206.: alia Drakenborch. ad Liv. 37, 26, 7. 8, 13, 18. et Ruddimannus Tom. 2. p. 245. et Ramshorn. p. 445. 169, 4. Et inservit praepositio notioni constituendae, ut Terent. Andr. 1, 1, 111. *nec satis ad obiurgandum caussae.* pro, obiurgandi caussa. Liv. 37, 26, 7. *eam occasionem Polyxenidae ad rem gerendam fore.* Terent. Andr. 1, 1, 30. *canes ad venandum.* i. e. *Jagdhunde.* aut relationem exhibet notionis, ut in verbis *facilis*, *difficilis.* vid. Ruddimann. T. 2. p. 261. 91. aut finem et usum indicat. Cic. p. lege Man. 1, 1. *hic autem locus ad agendum amplissimus, ad dicendum ornatissimus est visus.* ubi doctam vide notam Matthiae. Tacit. Ann. 3, 51. *non senatui libertas ad poenitendum erat.* Saepe idem exprimit quod *ut*, vel pronomen relativum cum verbo passivo coniunctum. Cic. pro Quinct. 23, 75. *non ad obtinendum mendacium, sed verum probandum, auctoritatem adiuvare.* p. Arch. 7, 16.: quae loca Beiero debeo.

Quae Ramshornius de discrimine inter gerundii genitivum et constructionem praepositionis *ad* ponendo p. 446. dixit, intelligi non possunt. Voluit fortasse distinguere, quod gerundium cum praepositione referri solet ad verbum, non ad nomen: uti fecit Matthiae ad Cic. de leg. Man. 2, 4. conferens Cic. Verr. 2, 21, 50. *qua de re alius mihi locus ad dicendum est constitutus.* et 2, 72, 178. et p. Coel. 20, 50. Sed ipse hic addit, discrimen illud non ubique a Latinis servatum esse. Liv. 30, 4, 6. *speculatores omnia visendi, et Scipio ad comparanda ea, quae in rem erant, tempus habuit.*

„Ad pro genitivo iunctum vocabulis *adiumentum* (Terent. Phorm. 1, 2, 55. cf. adnot. ad Cic. Off. 2, 15.) *facultas* (*ad dicendum data.* Cic. p. Font. 6.) *vires* (Liv. 23, 30, 4. *ad standum in muris deerant*) *occasio* (*oblata.* Cic. p. lege Man. 4. *occasiones ad opitulandum haberem.* ad Fam. 10, 8, 3.) *caussa* (*est.* Terent. Andr. 1, 1, 111. 123. cf. 131.) *ansa* (Cic. Lael. 16. *det sibi quasi ansas ad reprehendendum.* cf. p. Planc. 34. *ansa reprehensionis.*) *argumentum* (Cic. ad Q. fr. 2, 11. *nihil mihi ad scribendum argumenti dabat.* cf. Ep. 12. *scribendi argumentum.*) *animus* (*est.* Liv. 10, 36, 2.) *aviditas* (Plin. Hist. n. 20, 16, 65. cf. 22, 25, 74.) *cupiditas* (Curt. 9, 1, 33. *ad venandum cupiditatem ingeneravit natura*) *voluntas.* Sed numquam fere nudis substantivis iungitur praepositio: nam accedit ubique verbum, ut apud Cic. p. Font. 14. *vo-*

luntatem habeat ad hunc opprimendum." Beier. At conf. quae attulimus p. 112.

Interdum dativi idem exprimunt quod praepositio. Curtius 4, 2, 18. *materies ex Libano monte ratibus et turribus faciendis vehebatur.* 5, 3, 7.

Cic. ad Att. 1, 19. *quod me esse ad scribendum vides, ex ipso senatusconsulto intelligere potes, aliam rem tum relatam.* Lambinus correxit *adfuisse*, Bosius *isse.* Nunc *esse ad scribendum* idem significare demonstrant, quod *scribendo adesse*, ad Fam. 15, 6. *dum senatusconsultum perscribitur, adesse scribis*, et comparant ad Fam. 12, 29. *qui omnino consulibus illis numquam fuit ad scribendum.* Tamen intelligenda videtur ratio consilii sive finis, ut sit, ad scribendum senatusconsultum, non praesentia, quam nos indicamus verbis *beim Schreiben dabeiseyn.* Illud quidem apparet in Cic. ad Fam. 9, 15, 12. *ponor ad scribendum*, et in altero loco 12, 29.

11. Verba *esse ad aliquid* non uno modo grammatici explicuerunt. Omnia autem exempla comprehendunt notionem rei, cui aliquid inserviat, aut accommodetur. Nos dicimus *zu etwas dienen.* Neque aliter verba: *quid ad me? quid ad rem?* in quibus vulgo intelligunt *pertinet.*

Terent. Heaut. 1, 2, 33. *atque haec sunt tamen ad virtutem omnia.* Andr. 2, 1, 65. *ne ad morbum hoc etiam.* 3, 2, 1. *quaeque oportet signa esse ad salutem.* ubi Donatus: *deest haerentia aut pertinentia.* Phorm. 5, 6, 21. *nihil ad hanc rem est.* Varron. fragm. ex *Ταφῇ Μενίππου* apud Non. s. v. *urnarium* 19, 10. *ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium?* Petron. 55, 12. *smaragdum ad quam rem viridem?*

Defendenda est scriptura codicum, nunc ex omnibus editionibus remota, in Cic. ad Att. 4, 16, 9. ubi Cicero, quum de aedificiis in Campo Martio exstruendis facete narrasset, pergit *dices, quid mihi hoc monumentum proderit? ad quid laboramus res romanas? non enim te puto de lustro, quod iam desperatum est, aut de iudiciis, quae lege Cincia fiant, quaerere.* quorum sensus perquam festivus hic est: tu dices: quid mihi proderit his temporibus tale monumentum? Tu vero illud tene, has nunc esse res romanas, in quibus occupati sunt cives nostri: et in quem finem laboramus res romanas, nisi ut laudem et admirationem nostri studii excitemus? nam in his temporibus non te quaerere puto de rebus necessariis, de lustro ac de iudiicis. Alia nobis agenda sunt magnifica, marmorea

septa et excelsa porticus. Bosius in codice suo decurtato invenisse se narrabat? *quid? celabo te res romanas.* Et omnes ei crediderunt.

In Petron. 39. *liberti scelerati, qui omnia ad se fecerunt.* intellige eos, qui omnia in suum commodum convertere solent. conf. Reinesius ad h. l.

12. Quare proprie ponitur praepositio AD de remediis cuiuscumque generis et de medicaminibus in morbis adhibitis. Neque vero adversativa intelligitur vis, sed quo usus et efficacia dirigatur, aut quem finem res habeat.

Cato de Re r. 125. *id est ad alvum crudam et ad lateris dolorem et ad coeliacum.* add. 126. 127. Cic. de Div. 1, 10, 16. *quid scammoneae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit — video.* 1, 7, 13. quem locum supra p. 85. apposuimus. Petron. 18. *si quod praeterea aliud remedium ad tertianam deus illi monstrasset.* Plin. Hist. n. 20, 22, 89. *arida farina cum melle ad tussim siccam efficacissima est.* Liv. 1, 9, 6. *quae maxime ad muliebre ingenium efficaces preces sunt.* 1, 19, 4. *rem ad multitudinem imperitam et illis saeculis rudem efficacissimam, deorum metum iniiciendum ratus est.* Gronovius ad 31, 21, 11. explicuit *adversus.* Potest esse *apud.*

13. Itaque coniunguntur cum praepositione AD nomina, quae ex alia ratione alibi vocabulum *adversus* sequitur, veluti *tutus*, *cautus.* Significatio autem medium tenet inter localem et finalem.

Liv. 36, 21, 6. *testudinem tutam ad omnes ictus video esse.* 25, 37, 14. *ad id, quod ne timeatur fortuna facit, minime tuti sunt homines.* 24, 32, 3. *ad propius praesentiusque malum cautiores esse.* Tibull. 1, 9, 46. *nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.*

14. Vtramque rationem, et eam, quae finem spectat, et eam, quam ad occasionem retulimus, huiusmodi quoque exempla attingunt: Liv. 1, 44, 3. *ad eam multitudinem urbs quoque amplificanda visa est.* quod significat et in usum eius multitudinis, *für eine solche Menge*, et quum tanta esset multitudo, *bei einer solchen Menge.*

III. Ex ea affinitate, quae inter occasionem et caussam et finis notionem intercedit, saepe factum est, ut critici huic praepositioni tribuerent vim caussalem eamque per vocabulum *propter* explicarent. Exempla ab iis comparata hic omnia percensere longum est, atque eo-

rum plurima suis locis iam restituimus. Vid. Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 5, 40. 8, 50. Quae Dukerus ad Liv. 2, 11, 2. contulit *ad custodiam, ad ludibrium*, finem indicant. Quae Drakenborchius ad 2, 42, 12. affert, ubi restituendum est: *ad crescentem tumultum iam metu seditionis collega concedente.* ea non caussam notant, sed rei praesentiam et occasionem: veluti Front. Strat. 1, 5, 16. *ad novitatem rei laxatis ordinibus.* i. e. *bei der Neuheit.* Plin. Hist. n. 8, 14, 61. *ad casum eius tellure concussa.* i. e. *bei seinem Falle.* Cf. supra p. 96. Liv. 9, 2. 5. antea p. 101. allat. In Caes. B. Gall. 5, 40. *quaecumque ad proximi diei oppugnationem opus sunt, noctu comparantur.* intellige ad oppugnationem perficiendam. Liv. 1, 7, 7. *quum actae boves quaedam ad desiderium, ut fit, relictarum mugissent,* non est *ex desiderio* nec *propter desiderium*, sed ut vidimus p. 112. *pro desiderio.* Caes. B. Gall. 7, 85. *exiguum loci ad declivitatem fastigium magnum habet momentum.* explicant *ob declivitatem*, quod Vossius restituendum censuit: alii *in declivitatem.* Sed sententia haec est: exiguum fastigium, quum simul declive esset, magnum habuisse momentum. Nos *die bei der Abschüssigkeit geringe Höhe.* Semel verum perspexit Oudendorp. in Bell. Alex. 16. In Caes. B. civ. 3, 88. aliquae editiones nescio unde habent, *quam ad caussam.* Caesar scripsit *quam ob caussam*, quamquam illud fortasse defendi potest, sed alio, quem p. 115. vidimus, sensu. Liv. 2, 3, 6. *tamquam ad id, quod agi videbatur, ambientes nobilium adolescentium animos pertentant.* in quibus interpretes mirifice vacillabant. Brevis est oratio pro eo, quod dicendum erat, tamquam ad id agendum, quod agi videbatur, ambientes. *Certare ad aliquid* idem putant esse quod *certare aliqua re:* Planc. ad Cic. Epist. 10, 8. *provinciam omnium civitatum consensu paratissimam et summa contentione ad officia certantem.* nam Ernestius interpretatur, *officiis.* Tacit. Hist. 2, 97. *trium legionum legati pares iure et prosperis Vitellii rebus certaturi ad obsequium, adversam eius fortunam ex aequo detrectabant.* quibuscum aliena comparavit Walchius in Emend. Liv. p. 24. Sed non diversa videtur esse ratio atque in Tacit. Ann. 1, 71. *ad supplenda exercitus damna certavere Galliae, Hispaniae, Italia.* Intelligitur enim, ad officia praestanda, ad praestandum obsequium.

Flav. Vegetius singularem usum constituit, quum dicit de Re milit. 2, 15. *erant funditores, qui ad fundas vel fustibalos lapides iaciebant. Erant tragularii, qui ad manubalistas vel arcubalistas dirigebant sagittas.* 4, 8. *minima saxa ad fundas sive fustibalos vel manibus iacienda.* Quasi scriptum esset *fundis* vel *per fundas:* sed Vegetius istum, quem explicuimus, coniunctionis modum ad rationem adiuncti instrumenti retulisse videtur: quod an vulgari quodam usu factum sit, non constat. Id autem si tamquam ex arte petitum considerassent critici, fortasse habuissent, quo defenderent gladiatoris illius verba apud Quinctil. 8, 5, 20. *ad digitum pugnavi.* quae mutarunt: *at digito pugnavi.* Vid. Salmas. ad Vopisci Carin. 19. p. 830. et ad Lamprid. Heliog. 15. Nam etiamsi in epigr. Martiali tributo Spectacl. 29, 5. Anthol. 3, 16. *lex erat, ad digitum posita concurrere palma.* alio sensu dicatur, apud Quinctilianum ambiguus est verbi lusus, de quo Spalding. *Saltare ad manus* pro saltare manibus an veteres dixerint, dubitari potest. Nimirum Salmasius affirmavit, non exemplis tamen probavit. Recentiores quidem scriptores *ludere ad aleam, ad latrunculos,* usurpaverunt pro antiqua dictione *ludere alea, latrunculis.* Vid. Salmas. ad Vopis. Procul. 13. Ac mirabili modo, tamquam ab uno auctore profectum, eumdem istum usum perhibet Vegetius ille, qui artem veterinariam conscripsit. 3, 4, 2. (4, 6, 2.) *labra quoque eius deterges ad spongiam.* 3, 3, 11. (4, 5, 1.) *melius creditur, si ad acutam cannam exseces ranulam.* 1, 47, 1. (1, 19, 1.) *continuo stercora eiicies paulatim ad manum.* Et ita saepe. Vid. Gesneri Indic. et Morgagni Epistol. 3, 8. Salmas. ad Lamprid. Heliogab. 31.

IV. Negotia hominum et servorum officia per hanc praepositionem nominari, id a multis criticis declaratur. Vid. Donatus ad Sueton. Aug. 67. Passeratius ad Propert. p. 662. N. Heins. Adversar. p. 433. et in Addend. p. 772. Vechner. in Hellenolex. p. 548. Gorius ad Columbar. Aug. p. 191. 146. Ex inscriptionibus exempla collegit Gesnerus in Thesauro p. 87. n. 13. *ad unguenta, ad vestem, ad argentum, ad possessiones.* Nemo tamen explicuit caussam huius usus, quae iam veteribus dubia fuisse videtur. Nam potest intelligi res, cui comparandae aut custodiendae inserviant homines. Sicuti Virgilius dixit Aen. 8, 285. *Salii ad cantus, in-*

censa altaria circum populeis adsunt evincti tempora ramis. (nos *zum Tanze*). Ita Petronius 31. *pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque sequentibus ad pedes.* i. e. ad pedes purgandos. Quo etiam pertinet illud *comparare homines ad aliquid.* Catull. 10, 15. *comparasti ad lecticam homines.* Lactant. 6, 12, 39. *unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli.* quod non accurate explicuerunt interpretes. Atque haec eadem est ratio, quam sequutus Sallustius Cat. 27, 4. *multitudinem, quam ad capienda arma paraverat.* Attamen sunt, quae dictionis originem monstrent diserte expressam in notione loci, quem homines negotii caussa obtineant, aut rei, cui homines negotio occupati videantur adstricti. Nam Suetonius Caes. 49. *Memnius etiam ad cyathum et vinum Nicomedi stetisse obiecit:* de quo loco vid. Gronovius Observ. 2, 24. Ausonius Idyll. 12. de histor. 19. *stat Iovis ad cyathum, generat quem Dardanius Tros.* Livius 34, 6, 13. *servos ad remum, numero ex censu constituto, cum nostro stipendio dabamus:* ubi vid. Dukerus. Et ita *tribuni ad legiones* vocabantur legionarii a Livio 7, 5, 9. ubi Drakenborchius aliena exempla comparavit. Huius igitur generis sunt haec: Propert. 4, 8, 35. *unus erat tribus in secreta lectulus umbra: — Lygdamus ad cyathos vitrique aestiva supellex.* Virgil. 9, 647. *hic Dardanio Anchisae armiger ante fuit, fidusque ad limina custos.* conf. Silii Ital. 1, 66. Quod vero Gronovius in Livii verbis 22, 19, 4. *delecto milite ad naves imposito.* ita accepit, quasi verba *ad naves* neque cum verbo *delecto* neque cum verbo *imposito*, quod absolutum esset, cohaererent, probari non potest. Cohaerent enim *milite delecto ad naves*, nec, quod in hac sententia verba *ad naves* praecedere debeant, ipsam rem mutat. Nam Livius vocabula saepe transposuit.

IV. Restant nobis considerandae quaedam dictiones rariores, et ea verba et formulae, quae, compositae cum hac praepositione, non unum sensum in se recipiunt, sed pro diversa rerum ratione sententiis exprimendis inserviunt.

I. 1. Brevitas dicendi peperit concisas formas, quae suppletis verbis facile possunt ad sua genera a nobis iam illustrata redigi. Cicero de Off. 2, 6, 19. *ma-*

gnam vim esse in fortuna in utramque partem, vel secundas ad res vel adversas, quis ignorat? Petron. 27, 6. *aquam poposcit ad manus.* i. e. ad manus lavandas. Beierus me ad Graecos provocat: nam in Plutarcho legi τὸ κατὰ χεῖρας ὕδωρ, i. e. *Handwasser*, et in Aristophane ὕδωρ κατὰ χειρὸς μετὰ τραπέζας εἰςφέρειν. Caes. B. Gall. 5, 40. *nulla pars nocturni temporis ad laborem intermittitur.* cf. c. 11. Terent. Andr. 1, 1, 30. *canes ad venandum.* i. e. venatici. quocum Gronov. de Sestert. p. 35. (76.) comparat *argentum ad vescendum* apud Liv. 22, 52. quod Iurisconsulti *escarium* vocant. Tacit. Ann. 6, 8. *ut quisque Seiano intimus, ita ad Caesaris amicitiam validus.* Intelligunt *in amicitia:* sed esse potest *ad amicitiam conciliandam.* 12, 32. *imbuendis sociis ad officia legum.* Hist. 2, 17. *longa pax ad omne servitium fregerat.*

2. Poetae et inter eos praesertim Propertius delectabantur ea brevitate, qua adiectiva per hanc praepositionem cum nominibus coniunguntur, quae eorum notionem restringant, et singularem addant relationem. Prop. 2, 22, 20. *numquam ad formosos caecus.* i. e. *für Schönheit blind.* 4, 2, 29. *sobrius ad lites.* i. e. *zu nüchtern für Streit.* 2, 16, 22. *numquam venales essent ad munus amicae.* 3, 22, 41. *hic tibi ad eloquium cives.* i. e. qui tuam eloquentiam audiant, aut quibus eloquium auxilietur. Vid. Canteri Nov. Lect. 2, 20. Passerat. ad Propert. 2, 8, 7. Burm. ad Quinctil. Declam. 4, 22. et ad Virg. Georg. 3, 50.

Quod Propert. 4, 5, 47. dixit: *ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis, surdus in obductam somniet usque seram.* idem fere est atque *dantibus, munificis, für die Spendenden.* Dictys Cret. Ephem. 3, 15. *gens bellatrix et ob id ad finitimos indomita.* i. q. finitimis.

3. Poetae et scriptores post Augusti tempora per hanc praepositionem adiectivis additam novas composuerunt formas, quae adverbiorum vicem exhiberent. *Ad plenum* significat *copiose, affatim:* quod est proprie, usque ad plenum. Plinius dixit *in plenum.*

Virgil. Georg. 2, 244. *huc ager ille malus, dulcesque a fontibus undae ad plenum calcentur.* Horat. Carm. 1, 17, 15. *hic tibi copia manebit ad plenum benigno ruris honorum opulenta cornu.* Vegetius 3, 9. *si vero in campi cursione — in ordi-*

nanda acie ad plenum fuerint eruditi. Eutrop. 8, 10. *philosophiae scientiam ad plenum adeptus.*

Ad infinitum, *ad certum*, *ad primum* pro infinite, certo, primo, et alia usurpantur simili ratione.

Plin. Hist. n. 26, 3, 8. *Asclepiadem adiuvere multa, — tum primum pensili balinearum usu ad infinitum blandientem.* Censorin. de Die nat. 19, 2. *hoc tempus quot dierum esset, ad certum nondum astrologi reperire potuerunt.* Claudian. in Rufin. 1, 165. *sic rex ad prima tumebat Maeonius, pulcro quum verteret omnia tactu.* Vid. Claver. et Barth. ad h. l. Sed Virgil. Georg. 2, 134. *flos ad prima tenax* i. q. imprimis, valde.

Censorin. 17, 3. *ad subtile examinatum non esse.* Hieronym. c. Pelagian. 3, 13. p. 797. edit. Vallars. *quomodo ad perfectum immaculatus est.* sed alii scripserunt *ad perfectionem.* Asconius in Cic. Divinat. c. 6. p. 260. Schütz. *nec ad plenum noverit caussam.*

Ad omnia, i. e. omnibus modis, legitur in Ciri 478. *incertis iactatur ad omnia ventis.*

4. Logici et Grammatici utebantur formula *ad aliquid* ad illud notionum genus nominandum, quod in Aristotelis Categoriis πρός τι vocabatur.

Quinctil. 1, 6, 13. *illi autem iidem, quum interrogantur, cur aper apri et pater patris faciat? illud nomen positum, hoc ad aliquid esse contendunt.* ubi quod vulgo legitur *simpliciter positum*, nullo omnino codice confirmatur. Charisius Inst. gr. 2. p. 129. *Sunt quaedam nomina, quae per se sine alterius partis orationis adminiculo et intelligi non possunt, quae Graeci dicunt τῶν πρός τι, id est ad aliquid, quae non possunt intelligi sola, ut pater, mater.* Priscian. 2. p. 580. (2, 5, 29.) *ad aliquid dictum est, quod sine intellectu illius, ad quod dictum est, proferri non potest, ut filius, servus.* Isidorus 1, 6. *illa autem, quae dicuntur ad aliquid.*

II. 1. Ad hoc et ad haec pro *praeterea*, *insuper*, *zudem*, dicere solent Sallustius, Livius, Plinius, Tacitus et recentiores scriptores, neque in verbis, quae praecedunt, numeri aut generis rationem computare videntur, nisi ubi ipsa res pluralem *ad haec* respuit. Nam etiamsi plures adsunt res, quae nominantur, eae tamen una notione *ad hoc* comprehendi possunt. Li-

vius 42, 1, 1. *Ligures utrique decreti sunt, ut novas legiones — et supplementum Hispaniae tria millia peditum scriberent et ducentos equites. Ad hoc mille et quingenti pedites Romani cum centum equitibus scribi iussi.* 6, 11, 6. *his opinionibus inflato animo, ad hoc vitio quoque ingenii vehemens et impotens.* Et quum in omnibus fere locis libri utramque formam exhibeant, difficile erit constituere, quid ab ipsis auctoribus scriptum sit. Vid. Goclenii Observ. p. 81. Falster. Supplem. ling. lat. p. 9. Vorstius de Lat. falso s. p. 209. Lipsius ad Tacit. Hist. 1, 6. Bentlei. ad Horat. Serm. 1, 6, 87. Salmasius ad Flor. 3, 9. Duker. ad 1, 13, 4. Oudendorp. ad Sueton. Octav. 22. p. 197. Arntzen. ad Pacati Paneg. p. 20. et ad Plin. Paneg. p. 25. Drakenborch. ad Livii 21, 52, 10. Schwarz. ad Plinii Paneg. p. 383. et p. 582. Gierig. ad c. 4, 7. Burmann. ad Ovid. Met. 6, 459. Spalding. ad Quinctil. 3, 5, 16. Pricaeus ad Apuleii Metam. 596. ubique praestare putabat *ad haec*, ἐπὶ τούτοις. Drakenborchius in Livio semper restituit *ad hoc*. Ita contrarias opiniones sequuti sunt critici, qui haec verba in multis adeo locis restituenda existimabant, reiectis etiam melioribus: Schottus in Cornel. Alcib. 5, 4. *ad hoc destitutus*, Scioppius in Apuleii Met. 5. vid. Suspect. lect. 1, 10. Carrion. Ant. lect. 1, 19. Cortius cum Lipsio ad Tacit. l. l. negabat Sallustium usquam scripsisse *ad haec*. vid. ad Catil. 44. et 14. ubi tamen id sex codices praebent. In Plinii Epist. 1, 10, 6. Cortius et Schaeferus ediderunt: *ad haec proceritas corporis:* sed etiam codex Prag. perhibet *ad hoc*. Scriptores recentiores verbis *ad hoc* utuntur tamquam copula. Plin. Paneg. 4, 7. *iam honor capitis et dignitas oris, ad hoc aetatis indeflexa maturitas.* ubi Gesnerus non recte coniunxit *ad hoc aetatis*. Curtius 9, 10, 13. *insalubrium ciborum novi succi, ad hoc itineris labor et aegritudo animi.* Et hoc quidem sensu *adhoc*, *adhaec* uno verbo scribendum esse, multi erant, qui contenderent: nec deficit verisimilitudo. Crebro *ad hoc* commutatum est a librariis in *adhuc:* de qua re vid. Oudendorp. ad Sueton. Octav. 25. et Ner. 46. Sarpii Quaest. philol. c. 4. et nos in ADHVC.

2. *Ad id* et *ad hoc* pro ad id tempus, eo usque, adhuc, ponitur, ubi nos dicimus *bis dahin*.

Liv. 3, 22, 8. *quum ad id spectator pugnae adstitisset.* 21,

52, 6. *quum ad id dubios servassent animos.* conf. 9, 15, 1. Tacit. Ann. 12, 38. *prosperis ad id rebus eius.* 12, 11. Vid. Wopkens. in Actis soc. Trai. T. IV. p. 390. Drakenb. ad Liv. 4, 43, 4. ad Epit. 102. Liv. 28, 44, 5. *ad hoc nos, etiam deserti ab sociis, viribus nostris, milite Romano stetimus.*

Intelligi *tempus* ea loca demonstrant, in quibus additum est hoc nomen. Caesar B. civ. 3, 79. *haec ad id tempus Caesar ignorabat.* Schwartzius in notis ad Tursellinum *ad hoc* discernendum putat a vocabulo *adhuc*, quod de tempore praesente dicatur: illud enim de praeterito usurpari: qua de re deinceps exponemus.

3. *Ad id quod* pro praeterquam quod rarissimum esse dicunt. Plus semel eo utitur Livius. vid. Duker. ad 44, 37, 12.

Liv. 3, 62, 1. *ad id quod sua sponte satis collectum animorum erat, indignitate etiam Romani accendebantur.* 44, 37, 12. *consul ad id quod pridie praetermisisse pugnandi occasionem videbatur* etc. Walchius etiam 4, 35. emendari voluit: *spectaculum comitate etiam hospitum, ad id quod publico consensu venerant, advenis gratius fuit.* Quo quidem parum proficitur in hoc loco desperato.

4. *Ad id* quaeritur an eo, quem antea vidimus, usu absoluto verborum *ad hoc*, pro *praeterea* ponatur. Nam non sufficit, quod Livius 1, 6, 3. dixit, addito accedendi verbo: *ad id pastores quoque accesserunt.* Quae Ruperti ad Liv. 2, 23. et ad Tacit. Ann. 4, 12. attulit, non recte percepta erant. Nam in Tacit. Ann. 12, 11. *spectatae ad id modestiae.* est ad hoc usque tempus, uti 12, 38.: in Livii 3, 62, 1. et 44, 37, 12. cohaerent verba *ad id quod.*

5. De dictione *ad hoc aetatis*, *ad id diei* notavit Cortius ad Sallust. Iug. 85, 45. intelligi *usque*, nec differre *ad hoc tempus.* Conferri possunt, quae interpretes ad Plin. Paneg. 6, 4. Ne tamen huc etiam locus Paneg. 4, 7. referatur, iam monitum est a nobis. Apuleius eiusque imitator Symmachus dixerunt *ad hoc aevi.* Apulei. Apolog. p. 276, 22. Symm. Epist. 9, 59. *Ad id locorum* esse *ad id tempus* Gronovius demonstravit ad Livii 27, 7. extr.

Livius 43, 5, 4. *nec se ad id locorum scire, propter quam caussam consuli pro hostibus fuerint.* 22, 38, 12. 9, 42, 2. Vid. Cortius ad Sallust. Iug. 63, 6.

6. *Ad id*, *ad hoc* etiam dicitur de caussa ac fine, cui aliquid destinatum est. Quare explicant vulgo per *ideo*, *propter id.*

Livius 1, 34, 6 *Roma est ad id potissimum visa.* ubi nihil mutandum, nam *videri* est considerari et placere, ut Tacit. Ann. 1, 8. *ex quis maxime insignes visi.* et Cic. Acad. 2, 27, 87. *denique videantur sane, ne affirmentur modo.* 37, 27, 5. *celeritate superabant, levioribus et ad id fabrefactis navigiis.* i. e. ut celeriter veherentur. Curt. 3, 11, 11. *in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur.* Liv. 2, 3, 6. 23, 18, 3. 28, 39, 7. *tum vero ad hoc retracti ex distantibus locis* etc. Cortius ad Sallust. Iug. 65, 3. Drakenb. ad Liv. 37, 27, 5. 45, 39, 8. Et sequitur *ut.* 45, 39, 8. *ad hoc fecimus consulem, ut bellum — perficeret.* Tacit. Hist. 1, 48. *properata adoptione ad hoc tantum maiori fratri praelatus est, ut prior occideretur.* Plin. Hist. n. 10, 1, 1. *ad hoc demum datis pennis, ut currentem adiuvent.* Curtius subiunxit verba, quae antecedentem dictionem exponant, 4, 1, 30. *Aegyptii — ad hoc ipsum concurrunt, ad delenda praesidia Persarum.*

Locum Livii 1, 8, 4. non recte perceperunt critici: *crescebat interim urbs munitionibus alia atque alia appetendo loca, quum in spem magis futurae multitudinis quam ad id, quod tum hominum erat, munirent.* Ernestius explicat: eorum, qui tum erant hominum caussa. At multitudo atque eius ratio intelligenda est: *nach Verhältnifs der jetzt vorhandenen Menschenmenge.* Bentleius ad Horat. Serm. 1, 6, 87. „*ad* saepe idem valet quod *ob* vel *propter*, ut Epod. 9, 17. *ad hoc frementes verterunt bis mille equos.* Epist. 1, 19, 45. *ad haec ego naribus uti formido.*“ Sed in illo loco est: in hac re, ea conspecta, *hierbei:* in hoc altero i q. in his. In Sermone scribendum esse: *at hoc nunc laus illi debetur et a me gratia maior.* id iubent elegantia dicendi et usus particulae *at.*

III. Ad tempvs non uno modo dicitur. Idque proficiscitur ex diverso usu vocabuli *temporis.*

1. Est i. q. ad certum vel constitutum tempus.

Cic. ad Attic. 13, 45. *quod nisi me Torquati caussa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem et ad tempus redire.* Liv. 38, 25, 3. *quo quum consul ad tempus cum praesidio quingentorum equitum venisset.* Hoc modo etiam *ad constitutum* dicitur. vid. Gronov. Observ. 1, 1. p. 14. Cic.

ad Fam. 4, 10. *me tamen velim, quod ad tempus te exspectemus, certiorem facias.* ubi Manutius: „non *quousque*, sed *quo plane tempore.*"

2. i. q. opportunum ad tempus.

Cic. in Verr. 1, 54, 141. *accurrunt tamen ad tempus tutores.* Liv. 1, 7, 13. *forte ita evenit, ut Potitii ad tempus praesto essent.* nos *zu gehöriger Zeit, frühzeitig.*

3. i. q. in aliquod tempus, *auf einige Zeit*, vel in exiguum tempus: quod expressit Cic. de Senect. 20, 74. *ad exiguum tempus.*

Cic. de Offic. 1, 8, 27. *in omni iniustitia permultum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quae plerumque brevis est et ad tempus, an consulto et cogitata fiat iniuria.* de Amic. 15, 53. *coluntur tamen simulatione dumtaxat ad tempus.* Liv. 21, 25, 14. *ibi se munimento ad tempus commeatibusque fluminis — adversus crescentem in dies multitudinem hostium tutabantur.*

4. De eo quod sit, quia tempus postulat, ut temporis fert conditio.

Cic. p. Planc. 30, 74. *praetermitto, ne aut proferre videar ad tempus, aut eo genere uti litterarum, quod meis studiis aptius quam consuetudini iudiciorum esse videatur.* pro Coel. 6, 13. *versare suam naturam et regere ad tempus.* In Epist. ad Fam. 10, 9. Plancus: *si autem itineri me se opposuerit, ad tempus consilium capiam.*

Sunt vero loca, in quibus de sensu verborum dubites. Nam Cic. de Offic. 1, 8. etiam explicari potest, perturbationem animi exsistere certi temporis caussa. Tacit. Ann. 1, 1. *dictaturae ad tempus sumebantur.* i. e. aut in aliquod tempus, non in perpetuum, aut ad certam rem agendam. Utrumque bene se habet. In Dialogo de caussis corr. eloq. 32. *nec quisquam respondeat: sufficit, ut ad tempus simplex quiddam et uniforme doceamur:* non explicuerim, in exiguum tempus, uti fecit Schulzius, sed, ut fert vel postulat tempus.

5. Recentiores scriptores ponunt de eo, quod fit vel hoc ipso tempore vel ad praesens tempus. Nos dicimus *für jetzt* et *vor jetzt.*

Apuleius Apolog. p. 310, 5. *nec hoc ad tempus compono, sed abhinc ferme triennium est, quum primis diebus, qui-*

bus Oeam veneram, publice disserens de Aesculapii maiestate, eadem ista prae me tuli. Iustin. 14, 2, 5. *erat quidem solutus ad tempus metu mortis Eumenes: sed nec salutis, dimisso exercitu, magna spes erat.* Florus 1, 6, 2. *ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, substitutus in locum regis, quasi ad tempus:* ubi Salmasius aliam scripturam praetulit *in tempus.* Nec tamen ita acceperim cum Dukero Liv. 23, 48, 10. *ut reipublicae, ex qua crevissent, ad tempus commodarent.* Omnes boni codices omittunt praepositionem: et addita videtur a glossatore quodam in eum sensum, quem Dukerus constituit: qui ipse non malus est. Sed *tempus* dicitur id quod ad tempus erat. Atque illi publicani admoniti erant, ut temporis praesentis usuras reipublicae commodarent.

IV. 1. Ad praesens ponitur a scriptoribus post Augustum pro verbis *ad praesens tempus*, et significat: non in perpetuum, sed dumtaxat in breve tempus praesens.

Plin. Hist. nat. 8, 22, 34. *in Italia quoque creditur luporum visus esse noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praesens.*

2. Tum vero etiam opponitur posteriori tempori, ubi Cicero usurpavit *in praesens.* Et in quibusdam locis respondet vernaculae formulae *vor der Hand*, εἰς τὸ παρόν. Cf. voc. *in.*

Plin. Hist. nat. 9, 8, 9. *at illos* (piscatores) *excipiunt delphini, et occidisse ad praesens contenti, cibos in victoriam differunt.* Sueton. Titus 6. *quibus rebus sicut in posterum securitati satis cavit, ita ad praesens plurimum contraxit invidiae.* Tacit. Ann. 16, 5. Hist. 1, 44. Tacit. Ann. 13, 22. *Plautus ad praesens silentio transmissus est.* 14, 62. ubi *mox* opponitur: uti 4, 31.

Hoc modo etiam *ad praesentiam* dixerunt. Locus est Taciti aliis in verbis corruptus Ann. 11, 8. *sub idem tempus Mithridates, quem imperitasse Armeniis et ad praesentiam Caesaris vectum memoravi, monente Claudio in regnum remeavit.* Legendum videtur: *et ad praesentiam Caesari suspectum.* i. e. per aliquod tempus.

V. Ad diem dici de certo ac definito tempore p. 99. notavimus. Sed antiqui iuris enarratores nonnulli ita

statuebant: „*ad diem* aliquid statui, quod certo die esse desinat: *in diem* vero, quod certo die efficiatur.“ Miscell. Observ. T. 1. p. 428. Quare si quis libertatem certo quodam die se daturum esse spondeat, eum debere spondere *in diem.* Ulpianus in Dig. 3, 3, 2. (procurator dari potest) *et ad litem futuram et in diem et sub conditione et usque ad diem.* Paullus in Digest. 44, 7, 44. *circa diem duplex inspectio est: nam vel ex die incipit obligatio, aut confertur in diem. Ex die veluti Calendis Martiis dare spondes? cuius natura haec est, ut ante diem non exigatur. Ad diem autem: usque ad Calendas dare spondes?* Non melius statuere iubebant discrimen in verbis *in tempus* et *ad tempus, in annum* et *ad annum: ad tempus* esse post tempus finitum et expletum, *in tempus, in annum* significare per aliquod tempus, per annum. Nolten. p. 1298. 1291. qui ipse rationis defectum intellexit.

Novum et antiquis scriptoribus incognitum usum deprehendimus in auctoribus historiae Augustae. Vopiscus in vita Firmi 4. *struthionem ad diem comedisse fertur.* i. e. uno die. Trebellius Pollio in vita Gallieni 1, 17. *lavit ad diem septimo aestate vel sexto, hieme secundo vel tertio.* i. e. per diem. Vide Casaubon. ad h. l.

VI. Sicuti Latini *ad tempus* dicebant de eo, quod tempus postularet, et quod cum tempore conveniret, ita etiam usurpasse videntur AD LOCVM. Livius 27, 27, 2. *tum quoque vallo egrediens signum dedit, ut ad locum miles esset paratus: ut si collis, in quem speculatum irent, placuisset, vasa colligerent ac sequerentur.* quibus verbis etiam prudentissima mutatio detrimentum importabit. Sed quo minus cum Walchio sensum esse statuamus: ut in loco suo quisque paratus esset: ipsum, quod omitti non poterat, pronomen et ea, quae proxime sequuntur, recusant. Per verba *ad locum* notatur, quod in quocumque eventu locum obtinet. Marcellus enim paratos esse voluit milites ad quodcumque iussum opportuno loco. Nos similiter loquimur: *zur Stelle.*

VII. AD VERBVM et ita dicitur, ut significet translationem, qua verbum verbo respondeat, et dictorum perceptionem, quae omnia verba complectatur. Nos *von Wort zu Wort.* Tum vero etiam usurpatur pro

secundum verba, *nach den Worten*, de quacumque re conveniente.

Cic. de Fin. 1, 2, 4. *quum iidem fabulas Latinas ad verbum de Graecis expressas non inviti legant.* de Orat. 1, 34, 157. *exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis.* Acad. 2, 44, 135. *ad verbum ediscendus libellus.* i. e. totus. Similiter Quinctil. 9, 1, 25. *locum ad litteram subieci, ne fraudarem legentes iudicio maximi auctoris.* Sed Plinius Epist. 9, 36, 2. *cogito, si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique similis.* Intelligo haec ita: cogito rem, si qua mihi data est, omnibus singulis partibus et adhibitis verbis, similiter ac si scriberem, aut scripta emendarem. Cic. de Divin. 1, 44, 99. *quod quidem somnium Sisenna quum disputavisset mirifice ad verbum cum re convenisse.*

VIII. Ad amvssim quo sensu usurpetur, exposuerunt Festus et Charisius. Atque dicitur a veteribus et a novissimis scriptoribus de re accurate et diligenter agenda, et de numero definito. Vid. Bentleius ad Terent. Hec. 1, 2, 88. Exempla suppeditant lexica.

IX. De formula ad partem Priscianus 18. p. 1204. (27, 283.) haec: *Attici* πρὸς μέρος καὶ ἐν μέρει. *Nostri quoque ad partem, et in parte, et ex parte.* Quis veterum scriptorum dixerit *ad partem*, non adnotatum habeo.

X. Ad svmmam proprie dicitur de summa pecuniae in rationibus computandis. Tum ad alia translatum, significat *in universum*, *in summa*, *im Ganzen*. Deinde idem est atque, *ut una complectar omnia*, *uno verbo*, *mit einem Worte*. Neque vero additur brevitatis caussa, quasi sit: ut brevi dicam, sed eo modo, quo Latini ponunt *denique*. In aliquibus locis pro *adeo* positum esse videtur. Cortius ad Cic. Epist. 7, 23. diversa exempla miscuit.

Liv. 45, 4, 1. *Marcellus — decem pondo auri, et argenti ad summam sestertii decies in aerarium retulit.* Aliquantum differt Cic. ad Fam. 7, 23, 3. *si et ea mercatus esses, quae ego desiderabam, et ad eam summam, quam volueram.* i. e. *zu dem Preise.*

Cic. ad Fam. 14, 14, 3. *his de rebus cum Pompeio, cum Camillo, cum quibus vobis videtur, consideretis. Ad summam animo forti sitis.* ad Att. 14, 1. *ad summam non posse isthaec sic*

abire. i. e. ad totam rem quod pertinet. Sueton. Octav. 71. *ad summam tamen perdidit non multum.* i. e. *im Ganzen verlor er doch nicht viel.* Coelius ad Cic. 8, 14. *ad summam quaeris, quid putem futurum?* i. e. *im Allgemeinen fragst du.* Burmann. ad Petron. 31. collegit exempla, nihil tamen in ipsa re expediens.

Cic. de Off. 1, 41, 149. *ad summam, ne agam de singulis, communem totius generis hominum conciliationem et consociationem colere, tueri, servare debemus.* i. e. uno verbo. Horat. Ep. 1, 1, 106. *ad summam, sapiens uno minor est Iove.* Petron. 134.

Petron. 37, 5. *nunc — Trimalchionis tapanta est. Ad summam, mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credet.* i. e. adeo. Ita etiam Vitruvius loquutus esse videtur 7. praef. 9. *et ad summam mors eius ut parricidii damnati varie memoratur.*

Locus est Ciceronis ad Att. 10, 4. qui criticorum ingenia mirifice exercuit: *iurabat ad summam, quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Caesarem: esse debet: quid enim, inquam, scripsit ad me Dolabella? dico, quid? affirmabat, quum scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas.* Curionis verba non recte sunt notata, neque *ad summam* significat, quemadmodum aiunt, ut brevi dicam. Sed scribendum est: *iurabat, ad summam quod nullo negotio faceret, amicissimum mihi Caesarem esse.* „*Esse debere: quid enim? inquam. Scripsit ad me Dolabella.*" „*Dic, quid?*" „*Affirmabat, quum scripsisset, quod me cuperet ad urbem venire, illum quidem gratias agere maximas, et non modo probare, sed etiam gaudere.*" *Quid quaeris? Acquievi.* Verba *quid enim* affirmant sententiam: cur non ita credam? nam Dolabella scripsit ad me. *Dic* scripsi pro *dico:* cuius corruptionis exemplum exstat in Catull. 30, 6. *Quid* est *quid tunc?* Verba *ad summam* pertinent ad ea, quae sequuntur, et significant *omnino, in universum.*

XI. Vsum satis frequentem habent formulae AD EXTREMVM, AD VLTIMVM, AD POSTREMVM. Tria autem in his animadvertenda sunt: ipsa verborum significatio, usus et coniunctio cum aliis particulis. Referuntur enim hae formulae et ad tempus et ad rem. Saepe *ad ultimum* dicitur pro *usque ad ultimum*: saepius autem reliquae pro *postremo, denique.* quo vocabulo etiam totam rem complectimur, ut breviter dicamus. Hoc sensu certe ponitur *ad ultimum.* Cicero

non nisi una dictione *ad extremum* utitur. Livius posuit pro *omnino*. In afferendis pluribus rebus praecedunt vocabula, *primum*, *deinde*, *post*.

Liv. 45, 19, 17. *eos ipsos — pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri praestitisset.* 3, 25, 9. *et forsitan ad ultimum impedissent.* Cic. de Fin. 4, 13, 32. *a primo ad extremum.*

Cic. ad Att. 2, 21. *quum diu occulte suspirassent, postea iam gemere, ad extremum vero loqui omnes et clamare coeperunt.* de Off. 3, 23, 89. Philipp. 13, 20, 45. Liv. 9, 18, 15. Caes. B. Gall. 7, 53. *hac habita concione et ad extremum oratione confirmatis animis.* ubi quum ambigua sit scriptura, antiqua verba restitue, omisso vocabulo *oratione.* Liv. 1, 53, 10. *vetant mirari, si, qualis in cives, qualis in socios, talis ad ultimum in liberos esset.* 1, 33, 5. *ad ultimum omnibus copiis connisus Ancus acie primum vincit.* 3, 25, 9. Liv. 30, 15, 4. *ingenti ad postremum edito gemitu.* 38, 16, 13. *tantusque eorum nominis erat —, ut Syriae quoque ad postremum reges stipendium dare non abnuerent.* Iustin. 6, 2, 12. Pricaeus ad Apuleii Met. 8. p. 466. Hac forma *ad ultimum* saepissime utitur Curtius. vid. indicem Freinshemii, qui notat non raro usurpari pro *breviter*, *ad summam*, *denique.* Alia exempla multa collegit Vorstius de Latin. falso susp. 20. p. 203.

Cic. de Orat. 2, 19, 79. *inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare.*

Liv. 23, 2, 3. *improbus homo, sed non ad extremum perditus.* i. e. omnino, adeo.

Ab his secernenda sunt, in quibus *ad extremum* de extrema parte rerum dicitur. Liv. 21, 8, 10. *missile telum hastili abiegno et cetera tereti, praeterquam ad extremum, unde ferrum exstabat.* Celsus 7, 26, 2. de unco: *is est ad extremum tenuis.*

XII. Simili modo etiam a veteribus scriptoribus dictum esse AD SVMMVM, quemadmodum usus ferebat depravatae latinitatis, demonstrare voluerunt grammatici his Ciceronis locis: p. Mil. 5, 12. *quando enim frequentissimo senatu quatuor, ad summum quinque sunt inventi, qui Milonis caussam non probarent?* 9, 26. *respondit, triduo illum, ad summum quatriduo perituram.* Quare Noltenius non dubitavit hanc dictionem elegantiae studiosis commendare p. 1297. At Iacobus Gronovius ad Cic. p. Mil. 9. „Non est, inquit, haec Ci-

ceronis aut alicuius ex probatis, sed, ut saepe, corrupta manus scribarum, cuius specimen etiam praebent paterna ad Liv. 21, 35. Itaque et hoc loco ipse cogitavit *aut* vel *ac summum*. Nec aliter fieri oportebat c. 5. *si quatuor ac summum quinque*." Atque ita Victorius ad Epist. Fam. 2, 1. Graev. ad 5, 12 et 14, 3. I. Fr. Gronov. ad Liv. 21, 35, 9. In loco pro Mil. 5, 12. Garatonius restituit *aut summum*, aliis exemplis collatis. Vid. eius notam. Mirari lubet, cur librarii, qui patrii sermonis imitatione illud *ad summum* effinxerunt, nusquam tamen scripserint *ad minimum*, quamquam Hispani et Germani eodem modo loqui solent. Vid. Sciopp. de Stilo histor. p. 184. 190. De barbaro *ad minus* Goclenius Observ. p. 384.

XIII. AD VICEM et AD INSTAR recentioris sunt aevi. Illud legitur apud Aurel. Arcad. in Dig. 1, 11. *ad vicem magistri equitum praefectos praetorio antiquitus institutos esse*. i. e. in vicem. Sed Gellius 2, 15. *maioresque natu a minoribus colebantur ad deum prope et parentum vicem*. id quod *instar*. De hoc verbo Servius ad Virgil. Aen. 2, 15. *instar nomen est indeclinabile, licet Probus instaris declinaverit, ut nectaris: et caret praepositione, sicut peregre: quamvis Serenus lyricus ad instar dixerit*. ad 12, 923. addit: *quod in idoneis non reperitur auctoribus*. Pacuvii auctoritas, quam afferunt, nulla est. Nam eius versus in Rhetor. ad Herenn. 2, 23. nunc e libris antiquis correcti leguntur. Unus Apuleius ita loquutus est. Met. 9. p. 232, 16. Elm. p. 235, 27. de Mundo p. 37, 39. *ad hoc instar mundi*.

„Pro *adhuc* cave ponas *usque ad nunc*, etsi Orosius ita loquatur 7, 2. p. 510. *Macedonicum regnum sub septentrione esse cum ipsa coeli plaga, tum Alexandri Magni arae positae usque ad nunc sub Riphaeis montibus docent*." Schwartzius ad Tursellin. s. v. *adhuc*. De barbara loquutione *ad interim* vid. Nolten. in Supplement. p. 121.

XIV. Vt aliae praepositiones, etiam AD post substantivum et post pronomen poni, ab aliis notatum est in lexicis. vid. Terent. Phorm. 3, 2, 38. Tacit. Ann. 12, 51.

XV. Moserus ad Cic. de Rep. 2, 15. p. 248. animadvertit, reperiri exempla compositionis verborum

exque, *eque*, apud poetas etiam *aque*, sed ADQVE non reperiri, nisi in inscriptionibus et in codicibus pro ATQVE. In antiquioribus quidem scriptoribus equidem nullum inveni exemplum: ex recentioris temporis usu supra p. 98. emendavimus locum Apuleii.

* Confundebatur a librariis *ad* cum praepositione *in* in formulis *in usum* et *ad usum*. vid. Burm. ad Nemes. Ecl. 2, 34. Miscell. Observ. T. 2. p. 303. et in aliis. vid. Miscell. Observ. T. 8. p. 374. ad Statii Silv. 1, 3, 82. Burm. ad Ovid. Her. 3, 136. Met. 8, 77. — *ad* et *a. d.* i. e. ante diem. vid. interpretes ad Cic. ad Attic. 6, 1. Gifan. Observat. p. 11. Garaton. ad Cic. Phil. 14, 7, 19. *ad ea* et *adeo* Drakenb. ad Liv. 4, 54. 4. — *ad* et *a.* Caes. B. Gall. 5, 11. *ne nocturnis quidem temporibus ad laborem (a labore) intermissis.* ubi vid. Clark. et Oudendorp. Drakenborch. ad Liv. Tom. 5. p. 542. — *ad* et *ac* Drakenb. ad Liv. 21, 32, 2. *ad* et *ante* Drakenb. ad Liv. 21, 25, 10. *ad* et *apud* Drakenb. ad Liv. 3, 10, 3. — *ad* et *at.* vid. Miscell. Obs. Vol. III. p. 56. Virgil. Aen. 4, 1. Drakenb. ad Liv. 3, 17, 3. 6, 24, 8. — In Gratii Cyneg. 211. *ad vestram non vile genus, non patria vulgo.* Iohnsonii emendatio necessaria erat: *at vestrum non vile genus. Adque* et *atque.* vid. Burm. ad Gratii Cyneg. 175. ubi tamen illud: *atque ipsos libeat penetrare Britannos.* defendi potest. *ad* et *aut* Heins. ad Ovid. Fast. 3, 238. Drakenb. ad Liv. 6, 4, 2. et T. 5. p. 334. *ad* et *id* Drakenb. ad Liv. 21, 10, 12. *ad* et *ob* Drakenb. ad 37, 27, 5.

ADAEQVE.

In hoc vocabulo tria consideranda sunt. Primum enim dubia esse videtur eius formatio. Vocabulum *ad*, quocum compositum est verbum, non eam vim exhibet, quae in verbis *adcognosco*, *adaperio* significationem auget, ut idem fere exprimat quod *peraeque*, neque descendit *adaeque* a verbo *adaequare*, quod recentioris est originis. Quare intelligamus comparationem, quae iam ipsa in *aeque* inest, atque eamdem notionem duplicatam habebimus, sicuti in *adversum* et in aliis. Sensus igitur non differt a simplici verbo *aeque*. Onomasticum vetus: *adaeque*, ἐπίσης. Tum vero usus tantum ad antiquissima tempora, et in iis, qui nobis relicti

sunt, istius aetatis scriptoribus ad unum Plautum pertinet. Legitur quidem in Liv. 4, 43, 5. *concedendo deinde, ut, quemadmodum in tribunis consulari potestate creandis usi sunt, adaeque in quaestoribus liberum esset arbitrium populi.* At ibi codices praebent *id aeque*, quod bene et eleganter dicitur, nec constat, unde Rhenanus sumpserit *adaeque*, nec qui fuerint libri, quos Drakenborchius certiores vocat. Denique vero ipse Plautinus usus habet, quod non ex omni parte congruat cum hoc Livii loco. Nam, quod non forte factum esse videtur, in omnibus Plauti locis *adaeque* compositum est cum negationis verbis *nemo*, *numquam*, *neque*, *nullus:* de qua re dicemus iterum in voc. AEQVE.

Mostell. 1, 1, 29. *quo nemo adaeque iuventute ex omni Attica antehac est habitus parcus.* Cas. 3, 5, 45. Mil. 3, 1, 180. Cas. 5, 1, 3. *numquam ecastor ullo die risi adaeque.* Cistell. 1, 1, 57. *neque munda adaeque es, ut soles.* Capt. 5, 4, 3. *nulla adaeque est Acheruns, atque ubi ego fui in lapicidinis.* Cum comparativo Capt. 4, 2, 48. *qui homine adaeque nemo vivit fortunatior.*

Recentissimi temporis scriptores ut in aliis, in hoc quoque vocabulo imitati sunt obsoletam vetustatem. Hinc Apuleius Metam. 4. p. 145, 38. *iuvenes adveniunt alii, quos incontanter adaeque latrones arbitrarere.* 8. p. 216, 16. *canis adaeque venaticus latenter invaserat.* i. e. non aliter atque venaticus canis. 10. p. 238, 33. *qui iam adaeque duodecimum aetatis annum supergresserat.*

ADEO.

ADEO, quod ortum est ex *eo*, praefixo adverbio *ad*, quo qualiscumque directio ad aliquem terminum indicatur, inservit conditioni et amplitudini qualitatis rerum significandae, quatenus ea determinatur aliquo fine. Qualitas enim designatur certo quodam termino, quem ipsa, quae protenditur, res attingat. Quare *adeo* proprie significat *ad id, eatenus* i. e. in eo spatio, eo ambitu, ad eum usque gradum, eo numero: *in der Maſse. in dem Grade.* Vbique vero intelligitur res ampla et aliquantum extensa, sive modus et gradus aliis verbis adiectis exprimitur, sive cogitatione tantum compre-

henditur. Vsus autem per temporum saecula hanc notionem restrinxit certa conditione. Nam quod grammatici plurimi docuerunt, iterumque nuper notavit Frotscher ad Quinctil. 10, 5, 17. *adeo* esse *ad id usque tempus, ad illum usque locum*, tantum abest ut universam dictionis proprietatem constituat, ut modo ad originem loquutionis et ad antiquissimum usum pertineat. Quamquam igitur denominatio a rebus in loco et in tempore positis desumpta esset, Latini post antiquiora tempora hoc vocabulum non aliter usurpabant nisi de qualitate rerum admodum aucta et intensa, neque usquam *adeo* pro *ad id* posuerunt ad terminum temporis et loci simpliciter indicandum. Atqui vocabula haec communi huius temporis usu ita differunt, ut *ad id* terminum, quousque aliquid pervenerit, aut productum sit, notet, *adeo* autem simul amplitudinis et distantiae magnitudinisve accrescentis notionem admixtam habeat. Id non ratione, sed consuetudine factum est, neque vero abhorret a primitiva ista significatione. Nos vernacula lingua distinguere solemus formulas gravi accentu vel in primo verbo, *bis dahin*, vel in secundo *bis dáhin* posito, quod est *adeo*. Cf. voc. ADHVC.

Festus haec: *adeo duas habet significationes: nam quum prima acuta effertur, idem significat quod accedo: ut quum dicimus: adeo praetorem: quum autem secunda, id est quod usque eo: non quidem secundum rationem, quia ad praepositio accusativis accommodata est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine.* At non deest ratio: nam *ad* in hac compositione, sicuti in verbis *adhuc*, *quoad*, adverbii naturam tenet, quae ipsa in praepositionem transit, et directionis vel continuationis notionem exprimit. Neque igitur opus est, ut ad Sanctii argutias confugiamus, quibus ille in Minerva 3, 14. accusativum obsoletum *quo* esse contendit: quamquam Vossius de Anal. 4, p. 198. et Vrsinus in Instit. T. 1. p. 394. et T. 2. p. 436. eamdem sententiam comprobaverunt. Accurate rem demonstravit Perizonius p. 701. et 749. edit. Bauer. Quod ad accentum attinet, antiqui Latini et qui eorum morem servarunt, in his vocabulis compositis acuere solebant primam syllabam propterea, quod, ut docuit Annianus, *utraque pars in unam vocem coaluisset*. vid. Gell. Noct. 7, 7. Pronuntiabant igitur *ádversum*, *ádmodum*, *áffatim*, *ádeo*, prima acuta, non media. Id autem muta-

vit posterior aetas et grammaticorum doctrina in distinguendis vocabulis nimis laboriosa. Pronuntiabatur enim *advérsum*, *affátim*, *adéo*, secunda acuta: id quod respexit Festus, cuius aetas Anniano aequalis ipso hoc argumento demonstrari potest.

I. In constituenda significatione verbi ADEO antiqui temporis usum a recentiore distinguamus necesse est. Veteres enim scriptores, imprimis comici, *adeo* ita usurpabant, ut, nulla eximiae vel accrescentis magnitudinis habita ratione, pro *eo* et *ad id* ponerent ad simpliciter indicandum loci vel temporis terminum, neque adscenderent per hanc particulam ad superiora et maiora. Id exemplorum his generibus declaratur.

1. Vbi Cato de Re rust. 40, 13. ait: *eo artito surculum, quem inserere voles: librum ad librum vorsum facito: artito usque adeo, quo praeacueris.* terminum significat simpliciter. Nos vertimus: *füge das Reis so weit hinein, als du es zugespitzt hast.* Recentior scriptor si quis ita dixisset, sensus esset: non tantum in certa ista parte, sed, quod maius est, usque ad extremam partem.

2. Veteres utuntur hoc vocabulo in comparatione rerum aequalium aequalisque magnitudinis: qua in dictione sequitur *ut*, et ex aequo apponitur *tam*.

Plaut. Epid. 4, 1, 38. *ille eam rem adeo sobrie et frugaliter accuravit, ut alias res est impense improbus.* Nos *in demselben Grade —, in welchem.* Terent. Andr. 1, 5, 10. *adeon hominem esse invenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum.* Elegans est Bothii emendatio in Terent. Hec. 2, 1, 21. *adeoque ut vos mihi domi eritis, proinde ego ero foris.* Plaut. Truc. 2, 2, 34. *quia adeo fores nostras unguentis uncta es ausa accedere, quiaque istas buccas tam belle purpurissatas habes.* Non huc pertinet Iuvenal. 3, 274. ut infra videbimus.

Et in diversarum rerum aequali mensura ponitur *quum* coniunctio a Plauto Pseud. 1, 2, 50. *vino modo cupidae estis: eo vos vestros panticesque adeo madefacitis, quum ego sim hic siccus.*

Poterat comparatio ad similitudinem referri: ubi sequitur *quasi.* Terent. Heaut. 5, 1, 12, *gaudere adeo occepit, quasi qui cupiunt nuptias.* i. e. tantum, quantum gaudent ii, qui nuptias cupiunt.

3. Id, quod omnes grammatici in universum praeceperunt, ADEO significare *ad id* in una loquutione *adeo res rediit*, apud antiquos comicos, et quidem apud unum Terentium invenitur. *Redire* contrarium est verbi *procedere*, sed utriusque una ratio. *Adeo* significat *tantum, in tantum.* Nos: *die Sache ist so weit gekommen.*

Heaut. 1, 1, 61. *postremo adeo res rediit: adulescentulus saepe eadem et graviter audiendo victus est.* Phorm. 1, 2, 5. *praesertim ut nunc sunt mores: adeo res redit: si quis quid reddit, magna habenda est gratia.* ubi Donatus: *figurate pro ita ut loqueris, adeo res redit dixit. Et proprie redisse res dicitur, quum aliquid peius exspectatione contigit.* Ita enim scribendum est. Comparari potest Phorm. 1, 4, 24. *quodsi eo meae fortunae redeunt, abs te ut distrahar, nulla est mihi vita expetunda.*

Heaut. 5, 2, 27. *adeon' rem rediisse, ut periculum etiam a fame mihi sit.* Phorm. 1, 3, 1. In Heaut. 1, 1, 61. mutatur orationis forma, adiuncta sententia recta: *postremo adeo res rediit: adulescentulus saepe eadem et graviter audiendo victus est.*

4. Veteres ADEO interdum ponebant pro *ad haec, praeterea, dazu.*

Plaut. Stich. 5, 2, 16. *ibi voster coenat cum uxore adeo et Antipho.* Pseud. 1, 2, 80. *ibi tibi adeo lectus dabitur, ubi tu haud somnum capias.* i. q. praeterea, praeter reliquum laborem. Hinc compositum *etiam.* Most. 3, 1, 101. *adeo etiam argenti foenus creditum audio.* quibuscum comparari non potest Curt. 9, 4, 7. *adeo etiam naturae iura bellum in contrarium mutant.* ubi *adeo* vim habet collectivam, de qua paullo post disserendum erit. Neque probaverim, quod Vossius in Virgil. Eclog. 9, 59. *hinc adeo media est nobis via.* vertit: *auch ist hier die Hälfte des Weges uns.*

5. Antiquo usui etiam id tribuendum, quod verba *adeo - ut*, non graviori cum vi posita, idem exprimunt, quod simplex coniunctio *ut:* i. e. *damit, in der Absicht dafs.*

Plaut. Rud. 5, 3, 32. *id ego continuo huic dabo, adeo me ut hic emittat manu.* Aul. 3, 2, 26. *Adeo ut tu meam sententiam iamiam poscere possis, si ad ianuam huc accesseris, nisi iussero, propius ego te faciam, miserrimus mortalis uti sis.* 4, 10, 9. *id adeo te oratum advenio, ut animo aequo ignoscas mihi.* Quo refero etiam Stich.

5, 4, 15. *atque adeo ut scire possis, factum ego tecum hoc divido.*

6. Ad tempus hoc vocabulum antiqui comici sic retulerunt, ut significarent illius temporis terminum, quousque aliquid aut permanserit, aut permanens aliud quid attigerit, quod nos dicimus, *so lange als*, *so lange bis.* Coniunxerunt igitur vocabula *dum*, *donec.* Id vero etiam oratores in formulis *usque adeo dum*, *usque adeo quoad* servarunt, in quibus tamen vis inest intensiva. Nam dicebatur ab iis etiam *usque dum*, *usque quoad.* Nemo tamen hac quidem aetate usurpavit *adeo dum.*

Plaut. Merc. 3, 4, 70. *si id forte ita sat animo acceptum est, id pro certo si habes: quanto te satiu'st rus aliquo abire, ibi esse, ibi vivere, adeo dum illius te cupiditas atque amor missum facit.* 1, 1, 76. *vectatum undique, adeo dum, quae tum haberet, peperisset bona.* Pseud. 4, 7, 70. *exploratorem hunc faciamus ludos suppositicium, adeo donicum ipsus sese ludos fieri senserit.* Terent. Phorm. 4, 1, 23.

Plaut. Amph. 1, 2, 8. *erroris ambo ego illos et dementiae complebo atque omnem Amphitruonis familiam adeo usque, satietatem dum capiet pater illius, quam amat.* Asin. 2, 2, 62. Cist. 2, 3, 40. Terent. Eun. 4, 6, 3. Andr. 4, 1, 36. *numquam destitit instare, ut dicerem me ducturum patri, suadere, orare, usque adeo donec perpulit.* Cf. Phorm. 4, 1, 23. ubi vid. Bentlei. Cic. p. Sext. 38, 82. *atque hoc scitis omnes usque adeo hominem in periculo fuisse, quoad scitum sit Sextium vivere.* Terent. Eun. 4, 6, 3. *usque adeo illius ferre possum ineptiam et magnifica verba, verba dum sint. Verum si ad rem conferentur, vapulabit.* i. e. *so lange als.*

II. 1. Communis omnium temporum usus in eo cernitur, quod ADEO amplificatam conditionem et rem ad certum aliquem numerum vel gradum provectam et auctam notat. Hanc intensionem, qua *adeo* a verbis *tantum*, *tam* differt, vernacula lingua nostra accentu graviore in verbo *so* posito exprimere solet. Vis igitur vocabuli ipsa magis rhetorica est. Atque additur *adeo* et adiectivis et verbis et substantivis, quae pro adiectivis ponuntur, Sequitur autem vocabulum *ut*, ubi id, quod extremum terminum eventu, aut nexu comprobet, indicandum est.

Plaut. Capt. Prol. 65. *ego faciam, ut pugnam inspectet non*

bonam: adeo ut spectare postea omneis oderit. Merc. Prol. 35. Cic. p. Quinct. 1, 2, 5. *rempublicam funditus amisimus: adeo ut Cato adolescens nullius consilii, sed tamen civis Romanus et Cato, vix vivus effugeret:* ubi Ernestius errat, quum necessarium esse putat *effugerit*, quod ipsum Schützius recepit. p. Flacc. 20, 47. *neminem quidem adeo infatuare potuit, ut ei nummum ullum crederet.* Curtius 7, 5, 41. *namque adeo certo ictu destinata feriebat, ut aves quoque exciperet.* Terent. Andr. 1, 1, 92. *et voltu, Sosia, adeo modesto, adeo venusto, ut nil supra.* Horat. Epist. 1, 1, 39. *nemo adeo ferus est, ut non mitescere possit, si modo culturae patientem commodet aurem.* Ovid. ex Pont. 4, 4, 1. *nulla dies adeo est australibus humida nimbis, non intermissis ut fluat imber aquis, neo sterilis locus ullus ita est, ut non sit in illo mixta fere duris utilis herba rubis. Nil adeo fortuna gravis miserabile fecit, ut minuant nulla gaudia pace malum.* Pomponius in Dig. 17, 2, 59. *adeo morte solvitur societas, ut nec ab initio pacisci possimus, ut heres etiam succedat societati.* Gaius Institut. 3, 149. (Servius Sulpicius) *adeo ita coire posse societatem existimavit, ut dixerit* etc.

In Livio 22, 32, 3. *adeoque inopia est coactus Hannibal, ut, nisi tum fugae speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit.* Schellerus et Schaeferus dictionem, quam vix latinam appellaverat Gronovius, emendari voluerunt ita: *adeoque inopiae est coactus.* At qui umquam ita loquutus sit, invenire non potui: idemque, ut videtur, reputans Burmannus coniecit *eoque inopiae*, quod ipsum pro *in tantam inopiam* dictum documentis firmari non posse alio errore profitetur. Vide in voc. eo. At quaecumque mutatio periculosa erit: quare equidem acquiescere malim in vulgata scriptura, comparato Pomponii loco in Digestis, quem paullo ante apposui.

In interrogatione Plaut. Bacch. 2, 3, 49. *adeone me fuisse fungum, ut qui illi crederem?* Cic. p. Rabir. 10, 28. *adeone hospes huius urbis, adeone ignarus es disciplinae consuetudinisque nostrae, ut haec nescias?* Philipp. 2, 7, 15. Liv. 2, 7, 10. *adeone est fundata leviter fides, ut ubi sim, quam qui sim, magis referat?* 5, 6, 4. Cic. ad Fam. 9, 10. *adeo tu mihi excussam severitatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae pristinae frontis appareant?* Facciolatus iure reprehendit p. 43. Schwartzium, qui *adeo* interrogationi servire dixerat. Nec valent ea, quae ille ad defendendam suam sententiam protulit in Monument. Ingen. 1. p. 156.

Et cum negatione in utraque sententiae parte. Tacit. Hist. 1. 3. *non*

tamen adeo virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit. Sueton. Oth. 9. *ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiae quidvis discriminis ultro, et vel solae subirent.* Quae quo differant ab iis, in quibus *adeo* additur negationi, postea videbimus. In Cicerone exemplum negationis frustra quaesivi.

Omitti potest in oratione id, quod terminum constituat istum, quousque aliqua res accreverit, et in quo eventus appareat.

Virgil. Aen. 1, 565. *quis genus Aeneadum, quis Troiae nesciat urbem, virtutesque, virosque, aut tanti incendia belli? Non obtusa adeo gestamus pectora Poeni.* quibus addi debet: ut Troianorum res atque fata ignoremus. Iuvenal. 6, 59. *adeo senuerunt Iuppiter et Mars?* De Terentii loco Eun. 4, 6, 6. infra dicam.

Et additur interdum vocabulum *usque.*

Plaut. Bacch. 3, 4, 10. *adeo ego illam cogam usque, ut mendicet meus pater.* Curt. 10, 1, 42. *ad ultimum a semetipso degeneravit, usque adeo, ut adversus libidinem animi, arbitrio scorti aliis regna daret, aliis adimeret vitam.* Lucan. 1, 366. *usque adeo miserum est civili vincere bello?*

Sequuntur pronomen relativum et *quin.*

Curt. 4, 16, 14. *nec ulla adeo avia et sicca lacuna erat, quae vestigantium sitim falleret.* Terent. Adelph. 2, 2, 13. *verum ego numquam adeo astutus fui, quin, quicquid possem, mallem auferre potius in praesentia.*

2. Haec ratio non mutatur negatione sententiae addita, ut iam vidimus. Alia est res, ubi *adeo* adhaerere videtur ipsi negationi ita, ut unam cum ea efficiat vocem, quemadmodum nos quoque dicimus, *so wenig daſs, so gar nicht daſs.* At si indolem latini verbi recte perspexerimus, aliquantum haec differre apparebit, quamquam sententiae conveniant. Nos enim quum usurpamus ista verba, coniungimus particulam cum negatione, et utramque addimus verbo ad comparationem rei contrariae instituendam. Latini autem negationem cum verbo coniungunt in unam notionem, additaque particula indicant, quantum sit, in quo aliquid deficiat aut non factum sit. Sensus igitur ad id redit, quod exprimitur verbis *tantum abest.* Sed omnis hic usus recentior est, nec Ciceroni probatus. Nullum enim exstat in eius libris exemplum.

Liv. 8, 5, 7. *qui adeo non tenuit iram, ut si tanta dementia patres conscriptos cepisset, ut ab Setino homine leges acciperent, gladio cinctum in senatum venturum se esse palam diceret.* 3, 2, 7. *haec dicta adeo nihil moverunt quemquam, ut legati prope violati sint.* 5, 45, 4. Et addita voce *contra* in altero membro. 30, 34, 5. *apud hostes — Afri et Karthaginienses adeo non sustinebant, ut contra etiam — pedem referrent.* Vellei. Pat. 2, 66, 4. *rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam et aetatem senilem, et vitam miseriorem te principe quam sub te triumviro mortem: famam vero gloriamque factorum atque dictorum adeo non abstulisti, ut auxeris.* i. e. tantum aberat, ut gloriam auferres, ut eam augeres. Columella 2, 11, 5. *quod etiamsi non fieret, supervacuus tamen erit cultus, quum sola haec res adeo non infestetur herbis, ut ipsa herbas perimat.* Ita enim exhibent codices, non id, quod vulgo legitur, *supervacuus tamen esset cultus.* Atque sententia haec est: quum tantum absit, ut haec res herbis impediatur, ut ipsa herbas perimat. Curt. 3, 12, 22. *coniugem eiusdem, quam nulla aetatis suae pulchritudine corporis vicit, adeo ipse non violavit, ut summam adhibuerit curam, ne quis captivo corpori illuderet.* conf. 7, 1, 26.

3. Quidam scriptores utuntur verbis *adeo ut* in contracta formula, qua exprimitur sententia: atque hoc in tantum valet, ut etiam illud fiat. Quare sequitur *etiam* et *tamen.*

Quinctil. 4, 1, 55. *frequentissime vero prooemium decebit et sententiarum et compositionis et vocis et vultus modestia: adeo ut in genere caussae etiam indubitabili fiducia se ipsa nimium exercere non debeat.* Ibidem 54. *multum gratiae exordio est, quod ab actione diversae partis materiam trahit: hoc ipso, quod non compositum domi, sed ibi atque e re natum et facilitate famam ingenii auget, et facie simplicis sumptique e proximo sermonis fidem quoque anquirit: adeo ut, etiamsi reliqua scripta atque elaborata sint, tamen plerumque videatur tota extemporalis oratio, cuius initium nihil praeparatum habuisse manifestum est.*

De constructione verborum post *adeo ut* vide in verbo VT.

4. Gaius, Ictus, peculiari usu scribere solebat *adeo quidem — ut.* In Dig. 2, 1, 8. *adeo quidem ut non sufficiat unum eorum poenam luere* 41, 1, 7. Institut. 1, 162. *adeo quidem ut quotiens quisque mancipetur — totiens capite diminuatur.* 2, 123. 3,24. 3, 119.

III. Quum ADEO amplificatum notionis ambitum designet, in se eam quoque significationem intensivam recipit, quem Graeci cum quadam restrictione per particulam γέ exprimunt. Distinguit enim *adeo* id, quod ante omnia accurate et maxime spectandum sit, aut in aliqua re magnopere vel potissimum valeat. Propius hoc accedit ad intensivam vim vocabuli *quidem:* veluti *si adeo* pro *si quidem* dici posse demonstrabimus. Nos in his reddendis verba adhibemus *eben*, *gerade*, in aliis vero *gar*. Nam duplex esse potest relatio, et ad ipsam, quae maxime valet, rem, et ad eius qualitatem. Atque hoc antiqui grammatici bene cognoverant: non item recentiores. Donatus etiam ad Terent. Eun. 1, 2, 123. animadvertit: *adeo pro nimis positum est*, *aut pro expletiva particula. Expletivam* appellat, quae orationis amplificationi inserviat: quamquam idem Donatus ad Ad. 1, 1, 15. de abundantia loquitur cum aliis multis. vid. Drakenborch. ad Sil. 8, 550. Glossae ad Sallust. Cat. 37, 2. et ad Statii Theb. 4, 115. explicant per *certe*. Schützius plurima exempla ad unam clariorem rei declarationem, qua *adeo* idem sit atque *insuper*, *porro*, referre studet: quod non sufficit. Sed iam Boeclerus in Chrestomath. Terent. s. v. *adeo*. quaedam subtilius ordinavit, istam abundantiae suspicionem prudenter removens. Frotscher ad Quinctil. 10, 5, 17. quum continuationem eorum, quae ante dicta sint, hac particula indicari affirmat, ad ipsam vim particulae et ad vocabulorum cum ea coniunctorum conditionem non satis attendisse videtur: neque ii satisfaciunt, qui nostro verbo *zudem* utentes, omnia exempla ad accessionem referre velint. Equidem singulis exemplis expositis universum usum illustrabo.

1. Ac primum ADEO ea, quam dixi, ratione componitur proprie cum pronominibus, ut aliquam rem ante dictam, vel aliunde cognitam, vel adhuc exponendam maiori vi efferat, et in eam convertat praecipuam considerationem.

Plaut. Curc. 5, 3, 1. *argentariis male credi qui aiunt, nugas praedicant: nam et bene et male credi dico: id adeo hodie ego expertus sum.* i. e. τοῦτό γε, *dies eben.* Aul. 2, 4, 10. co. *cuius ducit filiam?* ST. *Vicini huius Euclionis e proxumo. Ei adeo obsonii hinc dimidium iussit dari.* 4, 2, 15. *id adeo tibi faciam: verum ego mihi bibam, ubi id fe-*

cero. i. e. *τοῦτό γε*, id quidem: ne quis explicet *id igitur.* Terent. Hec. 4, 4, 68. *cui tu obsequutus, facis huic adeo iniuriam.* Eun. 2, 2, 1. *homini homo quid praestat? stulto intelligens quid interest? hoc adeo ex hac re venit in mentem mihi.* Plaut. Amph. 1, 1, 98. *hoc adeo hoc commemini magis, quia illo die impransus fui.* cf. Epid. 1, 1, 51. 5, 2, 40. Amph. 1, 2, 6. Epid. 2, 1, 2. *is adeo tu es.* i. e. *ein solcher bist du.* Caesar in Epist. Cic. ad Att. 9, 16. *Dolabella tuo nihil scito mihi esse iucundius: hanc adeo habebo gratiam illi.* i. e. hanc, quae maxima est, gratiam. Terent. Virgil. Aen. 11, 275. *haec adeo ex illo mihi iam speranda fuerunt: dies eben.* Terent. Andr. 3, 3, 27. *tute adeo iam eius verba audies.* in quibus *adeo* non abundat, ut Donatus ait, sed vim addit pronomini, ut sententia sit: *tu ipse eius verba audies. σύ γε ἀκούσῃ.* Plaut. Poen. 1, 2, 57. *quas adeo quisquam umquam liber tetigit, neque duxit domum.* i. e. quas quidem, quas scilicet. Gell. Noct. 7, 17. *quis adeo tam linguae latinae ignarus est* etc. ubi nescio quid de pleonasmo narrant.

In Terent. Adelph. 1, 1, 15. *atqui ex me hic non natus est, sed ex fratre: is adeo dissimili studio est.* Donatus interpretatur *adeo aut abundat aut nimium significat.* utrumque male: nam *adeo* cum pronomine cohaeret. In Plauti Epid. 2, 2, 31. defendenda est librorum scriptura: *eos captabant: id adeo, qui maxume animum advorterim, pleraeque hae sub vestimentis secum habebant retia.* Bothius haec mirifice turbavit. Vocabulum *scio*, quod nonnulli libri habent, a glossatore profectum esse, quis non videt? Egregie falsus est Servius in explicando Virgilii Aen. 4, 96. *nec me adeo fallit.* ubi interpretatur *multum, valde.* At *adeo* pertinet ad pronomen pro *me quidem:* quod orationis nexus monstrat. Liv. 4, 2, 2. *id adeo non plebis quam patrum, neque tribunorum magis, quam consulum culpa accidere.* ibi interpretes quidam male coniungebant verba *adeo non.* Neque in Quinctil. 2, 16, 18. *id adeo manifestum erit, si* etc. cohaerent verba *adeo si.* Magis rem perspexit Spaldingius, quum vocabulum *vero* compararet.

Ita oratores aliique scriptores tum loquuntur, quum in demonstratione addunt, quae rei caussam distinctius illustrent: quod nos fere exprimere solemus graviore accentu in pronomine posito, et vocula *und* praemissa: *und dieses.* Alii hoc alio modo acceperunt, vel ut esset *ad haec, praeterea, eudem*, vel ut continuatio

orationis exhiberetur. Vellem tamen attulissent exemplum, in quo particula non pronomini adhaereret.

Cic. in Verr. 4, 64, 148. *id adeo ex ipso senatusconsulto cognoscite.* p. Cluent. 30, 80. p. Caec. 3, 86. *id adeo, si placet, considerate.* τοῦτό γε σκοπεῖτε. Sallust. Cat. 37, 2. *neque solum illis aliena mens erat, qui conscii coniurationis, sed omnino cuncta plebes novarum rerum studio Catilinae incepta probabat. Id adeo more suo videbatur facere. Nam* etc. *und dies eben schien das Volk nach seiner Weise zu thun.* 37, 11. *ad hoc, quicumque aliarum atque senatus partium erant, conturbari rempublicam, quam minus valere ipsi malebant. Id adeo malum multos post annos in civitatem reverterat.* Liv. 2, 29, 9. *lascivire magis plebem quam saevire: id adeo malum ex provocatione natum. und dieses Uebel.* vid. Sallust. Iug. 65, 3. Apulei. Apolog. p. 305, 41. *id adeo evenit, quum quaepiam earum modum excessit, aut loco demigravit.*

Deinde ADEO pronominibus personalibus apponitur proprie, ubi oratio ab alia persona ad aliam transit, et in eam maxime animum convertit. Alibi dicitur *autem.*

Plaut. Rud. 3, 4, 25. *vos adeo, ubi ego innuero vobis, si, ne ei caput exoculassitis — item ego vos virgis circumvinciam.* Virgil. Ecl. 4, 11. *teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit.* ubi Vossius non bene vertit: *dir sogar wird dies Heil beginnen:* quod ne intelligitur quidem. Georg. 1, 24. *tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum concilia incertum est, urbisne invisere, Caesar, terrarumque velis curam.* ubi Donatus: *adeo, hic praecipue.* Ciris. 198.

Ego adeo fere idem est quod *ego quidem,* ἔγωγε.

Terent. Eun. 2, 2, 16. *ego adeo hanc primus inveni viam.* Plaut. Truc. 4, 3, 73. *uxorem quam primum potest abduce ex aedibus. Ego adeo iam illi remittam nuntium affini meo.* Mil. gl. 4, 4, 55. Bacch. 4, 7, 30. *tum libertatem Chrysalo largibere: ego adeo numquam accipiam.* Virgil. Aen. 4, 96. *nec me adeo fallit.*

Pronomini *ipse* adiectum ADEO auget eius vim, quae cernitur in graeco αὐτός γε. vd. Demosth. Olynth. 3. p. 33.

Terent. Andr. 2, 5, 4. *ipsum adeo praesto video cum Davo.* Plaut. Asin. 2, 3, 23. Silius 14, 487. *ipse adeo senis ductor Rhoeteïus ibat pulsibus.*

2. Cum coniunctionibus, quae conditionem indicant, eo modo coniungitur ADEO, quo Graeci dicunt εἰ γε, Germani *wenn eben.*

Plaut. Pseud. 4, 7, 2. *nihili est autem, suum qui officium facere immemor est, nisi adeo monitus.* i. e. *wenn er nicht eben daran erinnert wird.* Terent. Andr. 2, 6, 7. SI. *Num illi molestae quippiam hae sunt nuptiae, propter hospitae huiusce consuetudinem?* DA. *Nihil hercle: aut si adeo, bidui est aut tridui haec sollicitudo.* Fortasse haec aliquis vertet, quasi scriptum sit *etiamsi, oder wenn auch.* Sed illud *auch* inest in vocabulo *aut*, et *adeo* exprimit conditionis distinctionem: *wenn eben, wenn wirklich.*

3. Neque aliter cum adverbiis temporis et cum quibusdam aliis, quibus restrictam vim addit. In his sunt negationis vocabula.

Iam adeo. Silius 1, 20. *iamque adeo magni repetam primordia motus.* Graeci δή γε. Aristoph. Nub. 677. Virgil. Aen. 5, 268. *iamque adeo donati omnes.* 8, 585. ubi Servius: *adeo ad ornatum pertinet tantum.* Sed ille etiam in 11, 487. quo se verteret, nescivit. Valer. Fl. 3, 70. Silius 12, 534. *Nunc adeo* i. q. νῦν γε. Terent. Andr. 4, 5, 36. *nunc adeo — nisi puerum tollis, iam ego hunc in mediam viam pervolvam.* Plaut. Truc. 2, 2, 12. Pseud. 1, 2, 52. Men. 1, 2, 11. Asin. 3, 1, 29. Mil. 2, 2, 4. Merc. 2, 2, 57. Rud. 3, 4, 23. Virgil. Aen. 9, 156. *nunc adeo — laeti bene gestis corpora rebus procurate. Vmquam adeo.* Plaut. Cas. 5, 4, 23. *si ego umquam adeo posthac tale admisero:* i. e. *wenn ich jemals,* cum accentu graviori. *Nuper adeo.* Gellius 2, 23. *nuper adeo usus huius rei nobis venit.* i. e. *neulich eben. Inde adeo.* Terent. Heaut. 1, 1, 1, *quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est, inde adeo, quod agrum in proxumo hic mercatus es.* quod non recte interpretantur de amicitia praecipua vel maxima: sed iam Antesignanus bene retulit adverbium ad tempus, tamquam ad praecipuum momentum: est enim sensus: *seitdem eben du den Acker gekauft hast. Sic adeo:* οὕτως γε, ὥς γε. Silius 12, 646. *sic adeo orantes pressere silentia.* Virgil. Aen. 4, 533. Gellius 16. 13. *Vix adeo.* Virgil. Aen. 6, 498. *vix adeo agnovit pavitantem. Non adeo.* Virgil. Aen. 11, 436. *non adeo has exosa manus victoria fugit.* ubi Servius ex sua doctrina: *non multum.* Nos dicimus *eben nicht.* Terent. Heaut. 1, 1, 57. *nulla adeo ex re istuc fit, nisi ex nimio otio.* i. e. profecto non alia ex re. Male explicuerunt vel per *nam,* vel per *fere.*

Quem ad modum Silius de tempore distinctius designando 11, 226. *nec non et Decio propiora pericula mentem flammarant, tempusque adeo cernebat adesse, quo laudes ducis invicti superaret inermis.* i. e. *und sah, daſs gerade, eben die Zeit vorhanden sey.*

4. Cum nominibus coniungitur ADEO, quae aliquam magnitudinem significant. Tunc saepe idem fere est quod *vel*, nostrum *gar*, *so gar.*

Valer. Flacc. 5, 40. *magna adeo comitum numerosaque pubes?* i. e. *ist die Mannschaft so gar groſs?* Silius 10, 488. *multa adeo nequidquam ausi.* πολλά γε. Ita explicandum Virg. Georg. 1, 287. *multa adeo gelida melius se nocte dedere.* ubi Servius explicat: *valde.* Aen. 12, 548. *totae adeo conversae acies.* Valer. Fl. 4, 63. *nullumne malorum finem adeo poenaeque dabis?* i. e. *wirst du gar kein Ende der Uebel und Strafe senden?* Plaut. Stich. 1, 3, 59. *quot adeo coenae, quas deflevi, mortuae!* i. e. *wie gar viele.* Virg. Aen. 3, 203. *tres adeo incertos caeca caligine soles erramus.* Et ita intelligo Aen. 6, 629. *quinque adeo magnae positis incudibus urbes tela novant.* Nos *ganze fünf groſse Städte.* Male coniunxit Servius *adeo magnae*, quod esset *valde magnae.*

5. Quare additur etiam comparativis, imprimis vocabulo *magis.*

Plaut. Truc. 2, 1, 5. *magisque adeo ei consiliarius hic amicus est, quam auxiliarius.* Cic. de Orat. 2, 4, 15. *magis adeo id facilitate quam alia ulla culpa mea contigit.* Plaut. Amph. 5, 2, 3. *quae futura et quae facta eloquar multo adeo melius quam illi, quum sim Juppiter.* i. e. *gar viel besser.* Silius 11, 89. *ut vidit maiore adeo crudescere motu.*

In Plinii loco Hist. nat. 26, 10, 63. *adeo* ipsum pro *multo magis* positum esse quidam arbitrantur. At omnes antiquae editiones ita exhibent: *Venerem, etiamsi omnino manu teneatur radix, stimulat: magis adeo si bibatur in vino austero.* Neque huc pertinet, quod ipsa vocabuli positio monstrat, Flor. 2, 6, 1. *bellum minus quidem spatio, — sed adeo cladium atrocitate terribilius, ut — similior victo sit populus, qui vicit.*

Quod nonnulli arbitrati sunt, *adeo magis* poni pro *eo magis*, quod respondeat verbis *quo magis*, id nullo exemplo comprobatum video. Cic. p. Arch. p. 6, 13. *atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod* etc. si vera est lectio (nam unus Gruterus ita cum

Manutio edidit, scripti libri autem omnes consentiunt in v. *ideo*) *adeo* cohaeret cum pronomine *hoc*.

6. Hanc vero intensivam vim etiam in eo usu agnosco, quo ADEO cum imperativo coniungitur, et exhortationis potestatem auget. Neque aliter in consilio confirmando: ubi Germani utuntur vocabulo *so*.

Terent. Andr. 4, 4, 20. *propera adeo puerum tollere hinc ab ianua.* ad quem locum Boeclerus: „ad urgentis vim congruit, et moram tolli vult." Ita Graeci quoque. Sophocl. Phil. 1003. *ξυλλάβετέ γ'αὐτόν.* Burmannus ad Valer. Fl. 5, 396. tribuit particulae significationem celeritatis. At in his verbis *hoc adeo duce ferte gradus.* adhaeret particula pronomini.

Terent. Heaut. 1, 1, 120. *egomet convivas moror. ibo adeo hinc intro.* verte haec: *so will ich denn hier hineingehen.*

7. Denique inservit particula narrationi, certe in antiquis comicis, ubi aliqua persona vel res, aliis ex adverso apposita, insigniter est demonstranda. Verbum, quo hanc vim exprimat, nostra lingua non habet, sed huic defectui succurrit voculationis intentione et accentu: nisi substituamus vocabulum alius significationis, veluti *jedoch*, *dagegen*. Et videtur hic usus proprie pertinere ad pronomen demonstrativum.

Plaut. Amph. 1, 2, 4. *iam ille ad herum quom Amphitruonem advenerit, narrabit servom hinc sese a foribus Sosiam amovisse: ille adeo illum mentiri sibi credet.* Merc. 2, 1, 8. (capram) *posterius quam mercatus fueram, visus sum in custodiam eam simiae concredere: ea simia adeo post haud multo ad me venit, male mihi precatur et facit convicium.* Ita fortasse antiquam dictionem imitatus Minucius Fel. Octav. 5, 10. scripsit: *nimbis collidentibus, tonitrua mugire, rutilare fulgura, fulmina praemicare: ea adeo passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt.* Vulgo desideratur *ea*, quod facile poterat a librariis omitti.

8. In his omnibus autem triplex est observatio. Primum enim exemplorum plurima inveniuntur in comicorum familiari sermone et in poetis. Oratores tantum in pronominibus hunc usum servarunt. Tum vero distingui debet haec intendendi vis, in certis quibusdam verborum generibus admissa, ab vulgaris sermonis consuetudine, qua cuicumque sententiae per hanc particulam maior accedere solet vis. Nam, quod denique notandum est, particula in eo, quem exposuimus, usu

certam semper obtinet sedem post vocabulum, quod ipsa intendit, proximam. Atque mutatur cum loco significatio, et ubi non alicui vocabulo proxime adhaeret, per se constat, ut deinceps videbimus. Nam si Cicero de Orat. 2, 4, 15. scripsisset: *id adeo magis facilitate quam alia ulla culpa mea contigit.* vis maxima inesset in voce *id*, sicuti in *id quidem:* sed scripsit ille *magis adeo id*, ut prope idem esset ac *multo magis, weit mehr.* Quare differunt *nihil adeo* et *adeo nihil:* illud enim auctam habet negationem, *gar nichts*, hoc ad antecedentia, e quibus aliquid colligitur, aut ad posteriora, quae consequentiam indicant, spectat. Sic in Pers. 1, 26. *usque adeone scire tuum nihil est.* ad superiora referuntur: sic Lactantii verba explicari debent, 5, 1, 17. *adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est.* i. e. atque, quod maius est, nihil verum putant. In Plaut. Bacch. 4, 9, 44. aut scribendum est: *ego eum uno adeo mendacio devici*, aut coniungenda sunt verba *eum adeo*, ut Rud. 4, 5, 9. In Plin. Epist. 6, 21, 2. *atque adeo nuper audii.* coniungenda sunt *atque adeo.* Sed Gellii 10, 3. *legebamus adeo nuper orationem Gracchi.* et 2, 24. *legi adeo nuper in Capitonis Ateii coniectaneis.* tribuo recentioris aevi negligentiae. Poetica licentia utitur Valer. Flacc. 4, 63. *nullumne malorum finem adeo poenaeque dabis?*

IV. 1. Diximus per ADEO notionis alicuius vim augeri et efferri eo modo, quo *admodum* et *nimis* et nostrum *gar* usurpantur. Sed comici tantum ita loquuti sunt. Nam quod Servius in explicando Virgilio illud Terentii *adolescentem adeo nobilem* ubique in promptu habuit, id alienum erat ab ipsis poetae locis.

Terent. Eun. 1, 2, 123. *nam me eius spero fratrem propemodum iam repperisse, adolescentem adeo nobilem.* i. e. *einen gar stattlichen Jüngling.* Plaut. Stich. 1, 2, 62. *prae moerore adeo miser atque aegritudine consenui.* Aul. 2, 4, 36. Virgil. Ecl. 2, 25. *nec sum adeo informis.* i. e. *auch bin ich nicht gar so häfslich.* Terent. Hec. 2, 1, 42. *et merito adeo.* i. e. *und ganz mit Recht.* Phor. 5, 8, 38. *etiamnum credis te ignorarier aut tua facta adeo.* i. e. *glaubst du denn, man kenne dich und deine Auffuhrung so gar nicht.*

2. Haec vis in componendis pluribus rebus eo crescit, ut particula tum id indicet, quod maius vel

maximum est, tum id, quod exspectationem excedit atque mirum videtur, ubi nos usurpamus *sogar*. Quod vero ADEO etiam id notat, quod super modum additur et praeter cetera nimium accedit, ubi nostrum vulgus dicit *obendrein*, id equidem tantum in composita formula *que adeo* inveni.

Plaut. Stich. 1, 1, 12. *sed hoc, soror, crucior, patrem tuum meumque adeo, unice qui unus civibus ex omnibus probus perhibetur, eum nunc improbi viri officio uti.* Mil. 2, 5, 28. *at istud non decet, et meo adeo hero facis iniuriam.* Virgil. Georg. 2, 323. *ver adeo frondi nemorum, ver utile silvis* i. e. prae omnibus temporibus. — Plaut. Cas. 3, 3, 4. *contrivi diem, dum adsto advocatus quoidam cognato meo: quem hercle ego litem adeo perdidisse gaudeo, ne me nequidquam sibi hodie advocaverit.* Amph. 2, 2, 44. *Amphitruo uxorem salutat laetus speratam suam, quam omnium Thebis vir unam esse optimam diiudicat, quamque adeo cives Thebani vero rumificant probam.* Particula addit aculeum: et quod mirabimur in Thebanis, qui improbis rumoribus omnia obterere solent.

Rud. 4, 4, 122. *quin te di omnes perdant, qui me hodie oculis vidisti tuis, meque adeo scelestum, qui non circumspexi centies prius.* i. e. *und obendrein.* Men. 4, 2, 31. In Virgil. Ecl. 9, 59. *hinc adeo media est nobis via.* dubitari potest, utrum sensus sit reddendus, *von hier ist obendrein die Hälfte des Weges*, an *adeo* ad *hinc* pertineat *von hier eben, von hier gerade.* Hoc verum mihi videtur. Aen. 7, 427. *haec adeo tibi me — ipsa palam fari omnipotens Saturnia iussit.* Pessima est explicatio Servii: *adeo autem valde, scilicet iussit.* Liv. 4, 54, 4. *multarum magnarumque rerum molem avidissimo adeo populo ostentantes.* Omnino vera est altera lectio *avidissimo ad haec populo.* In Curtii loco 8, 9, 11. critici quidam ex antiquorum grammaticorum praeceptis ipsi adverbio tribuerunt significationem magnitudinis: *multis praeter hos amnibus tota regio dividitur, sed ignobilibus, quia non adeo interfluunt.* id explicant: non late, non magno ambitu. At copulata sunt *non adeo* una notione, quam nos reddimus *eben nicht.* Vide p. 146.

V. Perveni ad usum, quo scriptores post Ciceronis aetatem ADEO in coniungendis sententiis adhibebant. In ipso enim Cicerone et in Caesaris operibus nullum reperitur exemplum. Grammatici autem, quum vidissent ad sensum explicandum adiici posse coniunctionem caus-

salem, ipsa hac re decepti, existimarunt *adeo* significare idem, quod *nam, etenim, quippe*. Vid. Aug. Guil. Ernestius in Glossar. Liv. Alii per *itaque*, *igitur*, *ideo* interpretati sunt. Vd. Gernhard. ad Cic. Off. p. 46. Gesner. in indice Quinctil. Nemo rationem in omnibus unam, sed diversa orationis forma variatam, investigavit subtiliter. Quae equidem observavi, haec sunt.

1. Vbi aliqua res, quae magna et nimia est, aut certe mira videri potest, et vulgarem modum excedit, in narratione vel in sententia posita erat, per particulam ADEO additur argumentatio, qua demonstretur, caussam sufficere ad efficiendam istam rem, eamque ipsam magnam habere potestatem. Refertur igitur res magna ad caussae mensuram aequalem, sed cum mirationis indicio, cuius defectu differunt vocabula *tam* et *tantopere*, quae mensuram simpliciter designant. Particulam in initio sententiae semper obtinere locum necesse est.

Tacit. Ann. 1, 50. *iuvit nox sideribus illustris: ventumque ad vicos Marsorum, et circumdatae stationes, stratis etiam tum per cubilia propterque mensas nullo metu, non antepositis vigiliis. Adeo cuncta incuria disiecta erant.* i. e. ne nimium aut mirum id videatur, cuncta erant tantopere disiecta. 1, 81. *de comitiis consularibus, quae tum primum illo principe ac deinceps fuere, vix quidquam firmare ausim. Adeo diversa non modo apud auctores, sed in ipsius orationibus reperiuntur.* Liv. 21, 11, 1. *quum Hanno perorasset, nemini omnium certare cum eo necesse fuit: adeo prope omnis senatus Hannibalis erat.* 2, 27, 3. 2, 28, 2. 8, 37, 2. Dialog. de corr. eloq. 21. *Pacuvium certe et Attium non solum tragoediis, sed etiam orationibus suis expressit: adeo durus et siccus est.* Iuvenal. 14, 233. *nemo satis credit tantum delinquere, quantum permittas: adeo indulgent sibi latius ipsi.* 3, 272.

2. Non diversa ab his exempla sunt, in quibus haec particula parenthesin constituit eamque incipit. Ea vero et ob orationis formam notanda sunt, et propterea, quod in iis magis aperta est explicandi vis particulae tributa.

Liv. 21, 20, 8. *sed ne illi quidem ipsi satis mitem gentem fore (adeo ferocia atque indomita ingenia esse) ni subinde auro — principum animi concilientur.* Tacit. Ann. 2, 28. *non cultu alienatus, non verbis commotior (adeo iram condiderat), cunctaque eius dicta factaque, quum prohibere posset, scire malebat.* Liv. 9, 26, 17. 3, 4, 2.

3. Tum conclusio fit per ADEO ita, ut oratio ex re facta, quae narratur, transeat ad universam caussam, eoque singularem rei magnitudinem cum universae veritatis potestate componat.

Liv. 4, 31, 5. *A. Cornelius dictatorem Mam. Aemilium dixit: et ipse ab eo magister equitum est dictus. Adeo, simul fortuna civitate vera eguit, nihil censoria animadversio effecit, quo minus regimen ex notata indigne domo peteretur.* Quinctil. 1, 12, 7. *cur ipsi aliquid forensibus negotiis, aliquid desideriis amicorum, aliquid curae corporis, nonnihil voluptatibus quotidie damus? quarum nos una res quaelibet nihil intermittentes fatigaret. Adeo facilius est multa facere quam diu.* cf. Liv. 5, 38, 4. 4, 31. 5. 21, 33, 6. Curt. 10, 2, 11. *nec amplius ex tanta pecunia quam centum et triginta talenta superfuere: adeo ille exercitus tot ditissimarum gentium victor plus tamen victoriae quam praedae deportavit ex Asia.* illud enim, quod narratur, refertur ad universam rei cognitionem et caussam. Lactant. 1, 2, 12.

Drakenborchius ad Liv. 2, 43, 10. et ad 4, 31, 5. animadvertit, ADEO in initio orationis proponendae sententiae sive epiphonemati inservire. Exempla, quae addidit, aliquantum inter se differunt: certa sunt, quae nos afferamus. Nos Germani dicimus *so*. Ceterum hic usus ad mediam latinitatem pertinet. Cicero enim, qui utitur vocabulo *tantum*, ut de Off. 3, 31, 112. non ea scripsit, quae leguntur de Offic. 1, 11, 37. *adeo summa erat observatio in bello movendo.* sed haec cum ceteris interpolatori debentur, nec probari potest ob ipsam hanc caussam eorum opinio, qui haec dumtaxat verba defendenda censeant.

Liv. 2, 43, 10. *nec huic tam pestilenti exemplo remedia ulla ab imperatore quaesita sunt. Adeo excellentibus ingeniis citius defuerit ars, qua civem regant, quam qua hostem superent.* 27, 9, 1. *adeo ex parvis saepe magnarum momenta rerum pendent.* 2, 47, 11. *omni acto triumpho depositus triumphus clarior fuit. adeo spreta in tempore gloria interdum cumulatior redit.* Virgil. Georg. 2, 272. *adeo in teneris consuescere multum est.*

Ita explicari debet Dial. de caus. c. e. 26. *malim hercule C. Gracchi impetum, aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis, aut tinnitus Gallionis. Adeo melius est, oratorem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire.* Tacit. Agr. 1. *adeo virtutes iisdem tempo-*

ribus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur. i. e. *so werden Tugenden in den Zeiten am beſten beurtheilt, in welchen sie am leichtesten geschaffen werden.* Lactantius 3, 9, 12. *si te quispiam vocasset ad coenam, in eaque optime acceptus esses, num sanus viderere, si pluris faceres ipsam voluptatem quam voluptatis auctorem? Adeo philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem.*

4. Fit etiam transitus ab aliqua sententia ad aliam, quae istam priorem altius attollit, et sua amplitudine involvit, ubi nos usurpamus *vielmehr*, et *ja*. Comparari potest vocabulum *immo*.

Liv. Praef. 11. *nulla umquam respublica nec maior, — nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit. Adeo, quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat.* Terent. Eun. 4, 6, 6. *scin' tu, turbam hanc propter te esse factam, et adeo ad te attinere hanc omnem rem.* Plaut. Stich. 1, 3, 20. *Gelasimo nomen mihi indidit parvo pater: quia inde iam a pauxillo puero ridiculus fui. Propter paupertatem adeo hoc nomen repperi, eo, quia paupertas fecit, ridiculus forem.* Gellius 11, 7. *nova autem videri dico etiam ea quae sunt usitata et desita, tametsi sunt vetusta. Est adeo id vitium plerumque serae eruditionis.* quod reddas *es ist vielmehr.* Nam dicere voluit: nova etiam ea intelliguntur, quae ex vetustate obsoleta repetuntur: immo plerumque hoc vitium proficiscitur a sera eruditione. Huc etiam retulerim illud Symmach. Epist. 1, 30. *difficile est hinc abire quum veneris: adeo si contemplari maiestatem urbis nostrae velis, iusto citius videbitur revertisse.* i. e. *ja wenn du die Herrlichkeit der Stadt schauen willst.* 1, 37. *quippe laetitia loquax res est atque ostentatrix sui: adeo magnae parti hominum ab hoc morbo nulla cautio est.*

5. Hoc etiam in iis formulis apparet, in quibus alicui verbo aliud gravius et amplius substituitur. Quare componitur *adeo* cum verbis *sive*, *aut*, *vel*. Quo autem modo illud, quod gravius diximus verbum, descensum etiam significare possit, non indiget demonstratione. Igitur vertimus modo *oder sogar*, modo *oder auch nur*, modo *oder vielmehr*.

Plaut. Amph. Prol 71. *sive qui ipsi ambissent, seu per internuntium, sive adeo aediles perfidiose quoi duint.* Merc. 5, 4, 57. 5, 4, 33. *si hercle scivissem, sive adeo iocule dixisset mihi se illam amare.* i. e. *oder wenn auch nur im Scherze.* Virgil. Aen. 11, 568 *si fama movet, si tantum pe-*

ctore robur concipis, et si adeo dotalis regia cordi est. Cic. in Verr. 3, 46, 110. *mihimet ineunda ratio et via reperiunda est, qua ad Apronii quaestum, sive adeo qua ad istius ingentem immanemque praedam possim pervenire.* i. e. *oder vielmehr.*

Plaut. Truc. 4, 3, 1. *egone tibi male dicam, aut tibi adeo male velim?* Men. 5, 2, 74. *quid feci ego tibi aut adeo isti?* Terent. Hec. 4, 1, 9. *tun' virum me aut hominem deputas adeo esse?* ubi Donatus *adeo* abundare putat.

Plaut. Cas. Pr. 76. *Poenus dum iudex siet vel Graecus adeo, vel mea caussa Apulus.* Asin. 2, 2, 62.

De formulis *atque adeo*, *que adeo*, *neque adeo* vide in verbis ATQVE, QVE, NEQVE.

6. Peculiarem usum deprehendimus in Velleii, Taciti et Curtii libris, qui, ut videtur e sui temporis more, praecedentibus verbis *ne quidem* et, quod fere eodem sensu dicitur, *quoque*, ADEO posuerunt ita, ut sensum habeat verborum *tanto magis* vel *minus* et *nedum*. Nam quo minus hoc vocabulum in explicatione adhibeamus, nihil video obstare, quamquam Schützius negavit. Sed ille non ad ea respexisse videtur, quae necessario in hac dictione praecedunt. Ita etiam post *quoque* sequitur *nedum*. Negatio vero, in altera orationis parte posita, rem ipsam non mutat, quippe quum descensus etiam suam habeat amplificationem.

Tacit. Hist. 3, 64. *ipsum Vitellium ne prosperis quidem parem: adeo ruentibus debilitatum.* 1, 9. *ne quieto quidem milite regimen: adeo furentes infirmitate retinentis ultro accendebantur.* Vellei. 2, 67, 1. *huius totius temporis fortunam ne deflere quidem quisquam satis digne potuit: adeo nemo exprimere verbis potest.* Tacit. Ann. 6, 15. *ne tecta quidem urbis, adeo publicum consilium numquam adiit.* Curt. 7, 5, 35. *nunc culpam maiorum posteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non potuerant prodere.* Tacit. Hist. 4, 80. *neque Antonium Primum adsciri inter comites a Domitiano passus est: favore militum anxius et superbia viri aequalium quoque, adeo superiorum intolerantis.* Conf. Schwartzii Monum. ingen. 1. p. 157.

7. Et sunt loca, in quibus ADEO NON praecedente negatione, aut verbo, cuius notio negationem complectitur, pro *nedum* dictum esse censeas. Vid. Ernest. ad Tacit. Ann. 3, 34.

Tacit. Hist. 3, 39. *sanctus, inturbidus, nullius repentini honoris, adeo non principatum appetens.* Ann. 3, 34. 6, 15. Plin. Hist. n. 17, 12, 35. *minimum id esse debebit intervallum, ut attingat iugum, speretque, ne teneat: adeo non recumbat in eo, nec delicate se spargat.* i. e. *um so weniger darf die Rebe auf dem Querholze aufliegen*, sive, *geschweige dafs sie aufliege.* Phaedrus 1, 4, 6. *et quem tenebat ore, dimisit cibum, nec quem petebat, potuit adeo attingere. Dimisit* est: non tenuit. Ovid. Fast. 2, 823. *ter conata loqui ter destitit: ausaque quarto non oculos adeo sustulit illa suos.*

Neque aliter Quinctil. 12, 11, 16. *quaelibet enim ex iis artibus, quarum habui mentionem, in paucos libros contrahi solet: adeo infinito spatio ac traditione opus non est.* quem locum non accurate tractavit Spaldingius. Pauci libri enim dicuntur pro non multis, ideoque sequi potest, *adeo non opus est.* Vertas haec *um so weniger bedarf es einer endlosen Unterweisung.* Quo vero nomine ille comparaverit locum 12, 11, 12. equidem parum intelligo: ibi enim aperte cohaerent verba *adeo promptum est ut.*

VI. Fuerunt critici, qui, sicuti iam indicavimus, caussae notionem huic particulae tribuerent, eamque pro *ideo*, *adeo quod* pro *propterea quod* acciperent. At desunt ratio atque exempla. Coelius ad Cic. Ep. 8, 15. *quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad Alpes versus incidit? adeo quod Intemelii in armis sunt, neque de magni caussa.* Sine dubio scribendum est *ideo quod:* cuius sententiae adstipulatorem habeo Beierum. Corruptus etiam locus est Livii 24, 32, 6. *sed surdae adeo omnium aures concitatae multitudinis erant, quod non minore intus vi quam foris portae effringebantur.* Gronovius emendavit: *surdae ad haec omnia aures — nec minore intus vi.* Fortasse servari debet codicum scriptura hunc in modum: *sed surdae ad haec omnium aures concitatae multitudinis erant, nec minore intus vi* etc. ut *omnes concitatae multitudinis* dicantur, quo modo paullo post *praetorum omnes.*

* In libris scriptis confunditur ADEO cum verbis AD EA. Vid. Drakenborch. ad Liv. 3, 11, 6. et 4, 54, 4. cum IDEO. Vid. Drak. ad Liv. 10, 4, 14.

ADHVC.

Ante omnia de origine dicendum est. Nam multi inter grammaticos exstiterunt, qui ADHVC antiquam formam verborum *ad hoc* esse docerent, ideoque vocabulum *tempus* vel *factum* supplerent. Vid. Vossius de Construct. 6. p. 338. 64. p. 578. Sanctii Min. 4, 4. T. 2. p. 72. Bau. Ursini Instit. T. 1. p. 920. T. 2. p. 436. Sed quod de ablativi forma recte affirmatur, eam duplicem olim fuisse *hoc* et *huc*, id non poterat ad accusativum neutrius generis transferri, neque etiam verba *ambo*, *duo*, quae dualis habent formam, comparari: sed demonstrandum erat, in *huc*, *quo*, *eo* antiqui dativi litteram I elisam esse, neque ex suae originis indole multum differre *adhuc* ab *adeo*. Rem acriter perspexerat unus Perizonius ad Sanct. p. 700. T. 1. p. 72. T. 2. nec dubitare debebat de sententiae veritate. Atque ipsa formatio verbi ea ratione confecta est, qua in vocabulis *posthac*, *praemodum*, *interdiu* et aliis praepositiones adverbiorum vicem obtinent. Id enim probabilius videtur, quam ut cum Perizonio dicamus in hac compositione *eo*, *quo*, *huc* pro adverbiis accipi debere.

1. Primaria significatio vocabuli ADHVC cernitur in termino constituendo, usque ad quem aliquid pertineat, sed ipsum differt ab *adeo*, quod in hoc vocabulo ad altiorem terminum suspicere, in *adhuc* autem in termino ipso consistere videmur: unde conficitur diversus metaphorae usus. Nos dicimus *bis hierher*, *bis daher* et in quibusdam formulis *noch*. Simillimum est *hactenus*.

Plaut. Truc. 4, 3, 20. *conveniunt adhuc utriusque verba.* i. e. usque ad haec verba. Pompon. Mel. 3, 6, 7. *Scandinovia, quam adhuc Teutoni tenent.* i. e. *die noch Teutoner inne haben:* quod non est *etiam*, sed in hoc tractu ad hunc usque terminum.

Idem apparet in his ad Herenn. 1, 9, 16. *adhuc quae dicta sunt.* Cic. de Fin. 4, 16, 44. *atque adhuc ea dixi, caussa cur Zenoni non fuisset, quamobrem a superiorum auctoritate discederet.* 3, 4, 12. Pomp. Mel. 3, 6, 1. *his oris, quas angulo Baeticae adhuc usque perstrinximus.* quae si ad tempus referas, tamen rei expositionem determinatam intelligas necesse erit. Itaque quum Manutius ad Cic. Epist. 2, 1. discrimen constituit inter verba *adhuc* et *hactenus:* illud non nisi de tem-

pore usurpari, nec dici umquam *de litteris adhuc* pro *de litteris hactenus:* idque comprobaverunt Cellarius Cur. p. 362. et Strodtmann in Actis soc. lat. *Ien.* 3. p. 57. usum communem magis observarunt quam rationem.

Vlpian. in Digest. 15, 1, 1. *sic deinde adhuc pervenire, ubi de peculio datur actio.* de quibus Heineccius: „nisi forte legendum sit *ad hoc*, vel elisa praepositione *huc:* insolitus sane ac fere sine exemplo est talis huius adverbii usus."

2. Ex loci notione desumitur conditionis mensura. Quare ADHVC ponitur, ubi nos dicimus *in so weit, in der Maſsen*, ut rem ex certa aliqua ratione considerandam indicemus.

Liv. 21, 18, 4. *praeceps vestra, Romani, et prior legatio fuit, quum Hannibalem, tamquam suo consilio Saguntum oppugnantem, deposcebatis. ceterum haec legatio verbis adhuc lenior est, re asperior.* i. e. quatenus verba comprehendunt istam de Hannibale factam propositionem. Nos: *diese Gesandtschaft ist übrigens in so weit den Worten nach milder, der Sache nach härter.* Eodem modo mihi quidem videntur explicanda Quinctiliani verba, de quibus nihil Spaldingius monet, nisi quomodo ea non accipi debeant: 2, 19, 2. *sin ex pari coeant, in mediocribus quidem utrisque maius adhuc naturae credam esse momentum, consummatos autem plus doctrinae debere quam naturae, putabo.* i. e. hac in ratione. Neque aliter 8, 5, 20. *peius adhuc, quo magis falsum est et longius petitum.* i. e. peius est catenus, quatenus magis falsum est. Cic. ad Famil. 16, 11, 4. *et ipse Caesar, amicus noster, minaces ad senatum et acerbas litteras miserat: et erat adhuc impudens, qui exercitum et provinciam invito senatu teneret.* Gronovius emendavit *ad hoc*, Schützius *ultro.* Si quis vero cum Cortio intellexerit, quasi Cicero Caesarem ad saniora consilia rediturum fuisse sperasset, explicare non poterit, cur addita sint ista verba: *qui — teneret.* Sensus vero verborum, quae non caussam minarum, sed earum argumentum continent, hic est: et erat catenus impudens, quatenus exercitum invito senatu tenebat.

3. Sed ut in plurimis huius generis vocabulis, ita imprimis in ADHVC usu factum est, ut a loci designatione transferretur notio ad tempus. Atque id primum apparet in praesentis temporis termino, quousque aliqua res pertinuerit, indicando. Nos *bis jetzt.* A vocabulo *etiamnunc* eo quidem differt *adhuc*, quod in hoc

tractum temporis persequimur, in illo autem extremum praesentis temporis punctum comprehendimus: quamquam negligentior usus, uti suo loco demonstrabimus, interdum haec confundit. An vero Goerenzius iis, quae ad Cic. de Fin. p. 549. animadvertit, quidquam de positione huius verbi constituere voluerit nescio. Nam exemplis omnibus comparatis, nusquam apparet proprietas.

Lucret. 5, 378. *neque enim mortali corpore quae sunt, ex infinito iam tempore adhuc potuissent immensi validas aevi contemnere vireis.* 5, 1026. *nec potuisset adhuc perducere saecla propago.* ubi displicet Gifanii coniectura *ad haec p. saecla.* Plaut. Pers. 4, 4, 78. *nihil adhuc peccavit etiam.* Merc. 2, 3, 48. *res adhuc quidem hercle in tuto'st.* Cic. de Fin. 5, 6, 16. *ille igitur vidit, non modo quot fuissent adhuc philosophorum de summo bono, sed quot omnino esse possent sententiae.* ad Attic. 5, 20. narratis rebus, quae a se factae erant, pergit: *haec adhuc: sed ad praeterita revertamur.* i. e. haec ad hoc usque tempus acta sunt. ad Att. 7. 12. *unam adhuc a te epistolam acceperam.* in Verr. 3, 84, 194. *improbum facinus, non ferendum, nemini lege concessum, sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum.* ad Att. 3, 14. *non commovi me adhuc Thessalonica: sed iam extrudimur.* cf. de Fin. 5, 17, 46. de Lege agr. 3, 1, 1. ubi etiam *nunc* et *iam* opponuntur. Seneca Medeae 904. *quidquid admissum est adhuc, pietas vocetur.* Curt. 7, 7, 15. *multa in nosmetipsos recident, quibus adhuc vicimus.* Tacit. Agr. 37. *Britanni qui adhuc pugnae expertes.* Hist. 4, 42.

Exempla autem, in quibus temporis notio simplex et pura exprimitur, non tam frequentia sunt, quam ea, in quibus admixta est continuitatis et perpetuitatis notio. Sensus igitur saepe est *continuo hucusque.* Cicero de Orat. 1, 26, 119. dixit *adhuc semper,* et de Rep. 2, 20. *usque adhuc.*

Terent. Phorm. 5, 7, 10. *quantaquanta haec mea paupertas est, tamen adhuc curavi unum hoc quidem, ut mihi esset fides.* i. e. perpetuo. Donatus scilicet haec: *τῷ ἀρχαϊσμῷ addidit adhuc, quum potuisset sine hoc integer sensus esse.* sed perperam. Heaut. 4, 3, 20. *celabitur itidem ut celata adhuc est.* Adelph. 4, 4, 11. (13). de quo loco vid. Gifanii Collectan. in Lucret. p. 7. Cic. ad Fam. 6, 14 (15), 6. *neque Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo.* In Cic. de Orat. 1, 26, 119. *quod adhuc semper*

tacui et tacendum putavi. Schützius edidit *quod adhuc tacui, et tacendum semper putavi:* quod cur Müllerus ne commemoraverit quidem, non assequor. Falsa refert Goerenzius ad de Fin. p. 549. Sed mutavit suam sententiam ipse Schützius in nuperrima editione, ubi scripsit *adhuc semper et tacui:* quod non necessarium erat.

Donatus ad Terent. Andr. 3, 2, 1. *adhuc quae adsolent quaeque oportet signa esse ad salutem, omnia huic esse video.*] *Sic veteres scribebant adhuc, quando incerti futurarum rerum, ex praesentibus firme nuntiabant: quod est genus certissimae promissionis et cautae.* Grammaticus igitur particulae vim tribuit acquiescendi in rebus praesentibus ac certis. Quod certe non adhibere debebat Bourdelotius ad explicandum Petronii locum c. 102.

Quare additur in altera sententiae parte *dum.*

Plaut. Capt. 5, 1, 4. *quae adhuc te carens, dum hic fui, sustentabam.* Cic. ad Fam. 16, 18. *indulge valetudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis.* 16, 4. *adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, numquam te confirmare potuisti.*

Et componitur vocabulum *usque* sive ante sive post positum: quemadmodum usurpant *hucusque.*

Terent. Andr. 1, 5, 27. *patris pudor, qui me tam leni passus animo est usque adhuc.* Adel. 4, 4, 21. (23.) Plaut. Pseud. 4, 7, 14. Mil. 2, 6, 107. Cic. de Rep. l. 1 Sueton. Domit. 18. *usque adhuc certe animum meum probastis.* Gellius 2, 4. *quod adhuc usque deest et latet, divinatione supplendum est.* Symmach. Epist. 4, 54. *purgas, quod adhuc usque siluisti.*

Antiquae dictionis *adhuc locorum* unum exstat exemplum Plaut. Capt. 2, 3, 23. *ut adhuc locorum feci, faciam sedulo.* cf. Gronov. ad Liv. 27, 8, 17. — Vlpianus dixit per formam hyphen in Digest. 27, 3, 16. *si cum adhuc-tutore ex stipulatu agatur.*

„Bene est autem haec loquendi formula (*ad id tempus*) discernenda ab vocabulo *adhuc.* Nam hoc de tempore nostro et praesente, illa de praeterito rectius et elegantius ponitur. Quum praeteriti temporis finis memoratur a certo principio inchoati, tum *ad id tempus* dicimus.“ Schwartzius ad Tursellin. p. 26. (22.) Quae ab aliis contra hanc regulam afferuntur loca, in se habent perfectum verbi, quod instar est praesentis, non

historicum. Atque haec exempla historici temporis rara sunt.

Cic. de Divin. 2, 2, 4. *adhuc haec erant. ad reliqua alacri tendebamus animo.* ad Attic. 7, 12. *unam adhuc a te epistolam acceperam.* Tacit. Agr. 45. *una adhuc victoria Carus Metius censebatur.*

4. Peculiares sunt dictiones *unum adhuc, parum adhuc*, quae prope eumdem sensum habent atque *unum tantum, parum tantum: bis jetzt nur ein.* Cum *satis* compositum *adhuc* denotat tempore determinari rei copiam.

Cic. in Verr. 1. Act. 16, 46. *vident adhuc post legem tribuniciam unum senatorem vel tenuissimum esse damnatum.* Vellei. Pat. 2, 8, 2. *non minus clarum exemplum et adhuc unicum Fulvii Flacci — fuit.* Tacit. Agr. 45. vide paullo ante. Sueton. de Gramm. 2. *carmina parum adhuc divulgata.*

Terent. Ad. 4, 4, 13. *sat adhuc tua nos frustrata est fides.* Liv. 21, 43, 8. *satis adhuc in vastis Lusitaniae Celtiberiaeque montibus pecora sectando nullum emolumentum tot laborum periculorumque vestrorum vidistis.* ubi nullus conceditur interpunctioni locus.

5. Illa autem perpetuitatis notio in eo maxime apparet, quod aliqua res, etiamsi eam mutatam aut intermissam aut finitam esse putemus, vel saltem suspicemur, perpetua tamen durare, atque id, quod mutata rei conditione contrarium vel diversum exstitisset, nondum esse factum dicitur. Hoc inest in vocabulis *etiamnunc, noch.* Apud Ciceronem nullum inveni exemplum verbi *adhuc.* Ex reliquis autem boni scriptores fere omnes hoc in usu particulam proximo loco post id vocabulum, quo ea pertinet, ponere solent. Ac Livius et Tacitus hac dictione frequenter in participiis et adiectivis usi sunt. Iurisconsulti saepissime usurpabant in conditionis alicuius perpetuitate indicanda.

Terent. Phorm. 3, 1, 15. *adhuc tranquilla res est.* i. e. nondum perturbata. Cf. Adelph. 1, 2, 42. Pers. 3, 58. *stertis adhuc?* i. e. *schnarchst du noch?* Ovid. Her. 17, 263. *adhuc tua messis in herba est.* Trist. 1, 9, 41. *hoc eventurum iam tum, carissime, vidi, ferret adhuc istam quum minor aura ratem.* i. e. *als noch ein schwächerer Wind deinen Nachen trieb.* Val. Flacc. 8, 113. *Cretheïa proles — perfertur ad ornum, cuius adhuc rutilam servabant brachia pellem.* i. e. post

tam longum tempus non ademptam. Sueton. Aug. 69. *scribit etiam ad ipsum hoc familiariter adhuc, necdum plane inimicus aut hostis.* c. 56. Columell. 2, 10, 6. *quamvis sint, qui negent locis frigidis oportere occari fabam, quia exstantes glebae a gelicidiis adhuc eam teneram vindicent.* i. e. dum tenera, necdum robusta est. Tacit. Hist. 4, 17. *multos adhuc in Gallia vivere ante tributa genitos.* Ann. 1, 17. *nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent.* i. e. nondum firmum. Germ. 28. Frontin. Praef. 1. *deberi adhuc institutae arbitror operae.* Rem diserte declarat addito vocabulo *tamen* Curtius 7, 4, 37. *praecipitatus ex equo barbarus adhuc tamen repugnabat.* 8, 6, 18. de quo loco deinceps.

Liv. 33, 49, 7. *Ephesi regem est consequutus fluctuantem adhuc animo.* 21, 43, 14. *cum exercitu — ignoto adhuc duci suo.* Tacit. Hist. 2, 73. *vagis adhuc et incertis auctoribus.* Ann. 1, 8. *dies ille crudi adhuc servitii et libertatis improspere repetitae.* Hist. 2, 44. *multo adhuc die vallum ingressus.* 4, 50. *obscuro adhuc coepta lucis.* ut Lactant. de Mort. persequ. 12, 2. *adhuc dubia luce.* Val. Flacc. 8, 27. *qualis adhuc sparsis comitum per lustra catervis Latmius aestiva residet venator in umbra.* i. e. nondum congregatis, sed vagantibus.

Sueton. Octav. 17. *C. Sosium et Cn. Domitium, tunc adhuc consules.* Gaius Instit. 2, 244. *evanescere legatum, si, quo tempore dies legatorum cedere solet, adhuc in potestate sit.* 3, 85. *quodsi, posteaquam heres exstiterit, cesserit, adhuc heres manet.* 3, 159. *dum adhuc integra res sit.*

6. Inde fit, ut particula descriptioni inserviat rei, quae inter alias res aut cum iis persistit.

Val. Flacc. 8, 140. *mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas.* i. e. dum fugit ratis: interea. Burmannus tamen correxit *ad hoc*, quod aptum sensum non praebet.

7. Distingui possunt ea loca, in quibus id notatur, quod reliquum est, aut quod superest et faciendum. Hinc *adhuc esse* ponitur pro *superesse.*

Quinctil. 1, 7, 22. *at veterum comicorum adhuc libris invenio:* i. e. nondum mutatum: *in den alten Komikern finde ich noch.* Tacit. Hist. 3, 9. *quippe tres adhuc legiones erant.* Ann. 5, 3. *erat adhuc perfugium.* Germ. 34. *et superesse adhuc Herculis columnas fama vulgavit.* Gaius Inst. 3, 122. *an post legem Furiam adhuc legis Apuleiae beneficium su-*

persit. Virgil. Aen. 4, 319. *si quis adhuc precibus locus, exue mentem.* Martial. 7, 44, 1. *cuius adhuc vultum vivida cera tenet.* i. e. post mortem.

Tacit. Ann. 2, 26. *si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae.* Petron. 102. *adhuc aliquod iter salutis quaerendum est.* Ita enim legendum, non *aliud aliquod*, quod ipsum per *aliquod* exprimitur.

8. Atque ponitur ADHVC de re non confecta, et quae aliquem modum aut certum terminum non excessit. Tunc nos dicimus *erst*, *noch erst.*

Celsus 5, 26, 34. *gangraenam vero, si nondum plane tenet, sed adhuc incipit, curare non difficillimum est.* Martial. 13, 102. *exspirantis adhuc scombri de sanguine primo accipe — garum.* i. e. qui exspirandi conditionem non excessit. Valer. Fl. 8, 126. *ibat adhuc aptans humeris capitique leonem.* i. e. non pelle iam indutus, sed dum aptat eam et induit.

9. In hoc usu particulae pergit oratio per *deinde* et *aliquando*, et opponitur tempus praeteritum ac futurum ita, ut fere idem sit quod *nunc*, *vor jetzt*, *noch jetzt.*

Sueton. Tit. 11. *senatus, priusquam edicto convocaretur, ad curiam concurrit, obseratisque adhuc foribus, deinde apertis tantas mortuo gratias egit.* in quibus Baumgarten-Crusius mutavit interpunctionem et peiorem restituit post *foribus.* Cic. de Orat. 1, 58, 246. *quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando.* Tacit. Ann. 11, 23. *suffecisse olim indigenas consanguineis populis —. Quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus ad virtutem et gloriam romana indoles prodiderit.* Quinctil. 2, 4, 14. *laudare illud me adhuc: venturum tempus, quo idem non permitterem.*

Similiter Plautus Curc. 1, 2, 9. *sed quum adhuc naso, odos, obsequutus es meo, da vicissim meo gutturi gaudium.*

10. Dicimus etiam rem *adhuc* factam esse, quae aliam rem praevertit. Sic nos *er hat noch die Stadt erreicht*, intelligentes antea hoc factum esse, quam aliud quid acciderit.

Tacit. Ann. 3, 42. *praemissusque cum delecta manu Iulius Indus — inconditam multitudinem adhuc disiecit.* ne coniungas *inconditam adhuc*, intellige, antequam multitudo se certo ordine congregavisset.

11. Et ut nos verbo *dennoch*, quod est *dann noch*,

exprimimus rem esse, quamquam alia intervenerit, vel defecerit, ita etiam Latini *adhuc* verbis *quamquam*, *etsi* et similibus opponunt et cum voc. *tamen* coniungunt.

Tacit. Germ. 38. *propriis adhuc nationibus nominibusque discreti, quamquam in commune Suevi vocentur.* i. e. quamquam uno nomine Suevi vocentur, nondum tamen discretae nationes in unam gentem coaluerunt. Vlpian. in Dig. 37, 4, 8, 5. *sed etsi defecerit conditio institutionis: adhuc tantumdem dicit, praeteritum ab eo gradu filium — periturum.* 36, 4, 1. pr. *adhuc tamen benigne quis dixerit.* 34, 1, 14, 2. *quid ergo si, quum testaretur, minus praestabat, plus mortis tempore: vel contra? adhuc erit dicendum, eam praestationem sequendam, quae novissima fuit.*

12. Exposuimus, quo modo ADHVC continuationem rei ad aliquem terminum productae significet. Hoc vero iis quoque accommodatur, quae ad aliquid accedunt, et rem ulterius vel longius protrahunt: quare explicari potest per verba *amplius, longius*, nostrum *noch mehr, noch weiter.*

Martial. 4, 91. *ohe iam satis est, ohe, libelle: iam pervenimus usque ad umbilicos: tu procedere adhuc et ire quaeris.* 8, 3, 1. *quinque satis fuerant: nam sex septemve libelli, est nimium: quid adhuc ludere, Musa, iuvat?* Curtius 8, 6, 18. *iam alii ex cohorte in stationem successerant, ante cubiculi fores excubituri: adhuc tamen coniurati stabant vice officii sui expleta.* i. e. *doch immer noch.* 8, 8, 12. *insatiabilis autem avaritiae est, adhuc implere velle, quod iam circumfluit.* i. e. *noch mehr anfüllen.* Plin. Epist. 4, 13, 1. *ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano commorabor.*

13. Ita denique factum est post Augusti tempora, ut ADHVC pro *etiam* vel *insuper*, *praeterea*, πρὸς τούτοις, poneretur. Ex vulgari enim sermone, qui huius loquutionis fons fuisse videtur, scriptores istius aetatis multa receperunt, antiquioribus improbata. Cicero ab hac dictione abstinuit, neque ex iis, in quibus olim legebatur *adhuc*, locis ullus est non auctoritate codicum correctus. In Lael. 9, 32. *ortum quidem amicitiae videtis, nisi quid adhuc forte vultis.* critici quamquam, ut vidimus p. 85., non bene explicuerunt, tamen e codicibus cum Graevio restituerunt *ad haec:* quod optimo iure defendit Beierus in Ephemerid. litt. Lips. 1827. p.

716. De Fin. 4, 25, 71. *idem adhuc: (audi reliqua et risum contine, si potes) media illa, inquit,* etc. Si sensus esset, quem volunt, *idem praeterea inquit,* oratio, sequente verbo *reliqua*, vehementer langueret. Varro de Re rust. 3, 3, 4. *de his sex partibus: adhuc ista tria genera artificum paranda.* nunc recte legitur: *ad ista tria genera.* At in comicis et in scriptoribus recentioribus certa exempla negari non possunt.

Plaut. Truc. 5, 18. *addam minam adhuc istic postea.* Senec Quaest. nat. 4, 8. *unam rem adhuc adiiciam.* Plin. Hist. nat. 33, 2, 10. *sunt adhuc aliquae non omittendae in auro differentiae.* i. e. *es sind noch einige Verschiedenheiten zu erwähnen.* Quinctil. 2, 21, 6. *atque adhuc alibi.* ubi non assentior Spaldingio, qui haec notavit: „*adhuc* videtur usurpatum hic eodem fere modo ut cum comparativis.“ 9, 4, 34. *minus peccabit, qui longis breves subiiciet, et adhuc, qui praeponet linguae brevem.* Val. Flacc. 8, 429. *finge rates alias, et adhuc maiora coire agmina.* nam cohaerent *et adhuc* hoc sensu: ad ea, quae tibi sunt agmina, addens. Tacit. Ann. 1, 17. *ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras.* Faehsius in Syllog. Lect. Graec. coniecit *ad hoc.* Agr. 29. *iamque super triginta millia armatorum adspiciebantur, et adhuc affluebat omnis iuventus, et quibus cruda ac viridis senecta.* Florus 1, 13, 17. *ad iniqua pondera addito adhuc gladio.* Quod in Institut. 20, 5. legitur *praeterea inutilis est stipulatio,* Gaius Inst. 3, 102. exhibet *adhuc inutilis est stipulatio.*

In Quinctil. 3, 5, 16. nunc editum est: *ad hoc adiicitur.* In 5, 9, 7. *probationum praeterea omnium aliae sunt necessariae, aliae credibiles, aliae non repugnantes. Et adhuc omnium probationum quadruplex ratio est.* codices non pauci omittunt *et*, quod Spaldingius defendit. Praestaret scilicet *atque omnium.* In Apulei. Met. 10. p. 241, 7. Elmenhorst. e cod. Flor. edidit *adhoc uxoris dilectae nimium mentitis lamentationibus ad extremum sobolis impellebatur odium.* Pricaeus *ad haec:* editiones veteres *adhuc.* vd. Stewech. ad h. l.

Cum pleonasmo Curt. 7, 7, 17. *praeterea unus gentis huius adhuc exercitus venit.* alii libri *exercitus adhuc venit.*

14. Saepe coniunguntur verba *et adhuc*, *que adhuc,* quae idem atque alias *adeoque*, *et adeo* significant.

Virgil. Aen. 7, 136. *Geniumque loci primamque deorum Tellurem, Nymphasque, et adhuc ignota precatur flumina.*

Horat. Epist. 1, 12, 15. *nihil parvum sapias, et adhuc sublimia cures.* Et ita explicari debet Epist. 2, 2, 111. *audebit, quaecumque parum splendoris habebunt. — verba movere loco: quamvis invita recedant et versentur adhuc intra penetralia Vestae.* i. e. et intimo adeo sacrario se recondant. Liv. 22, 49, 10. *privatimque Q. Fabio, L. Aemilium praeceptorem eius memorem et vixisse et adhuc mori.* quod Bauerus male explicat *nunc quum maxime*, Walchius *insuper.* Senec. Epist. 49, 4. *punctum est quod vivimus, et adhuc puncto minus.* — Plaut. Bacch. 4, 9, 18. *ita res successit meliusque adhuc.*

15. Sed, quod nemo animadvertisse videtur, ADHVC pro ipso verbo *adeo*, cuius eadem est formatio, ponitur a quibusdam scriptoribus.

Stat. Silv. 1, 2, 55. *signa petunt, quas ferre faces: — an miscere deos, an adhuc vexare tonantem.* 1, 5, 6. *regemque corusci ignis, adhuc fessum, Siculaque incude rubentem elicuisse satis.* Tacit. Germ. 22. *gens non astuta, nec callida aperit adhuc secreta pectoris licentia ioci.* ita enim intelligendum *aperit ipsa secreta pectoris.* 29. *cetera similes Batavis, nisi quod ipso adhuc terrae suae solo et coelo acrius animantur.* ubi ne comparativum coniungas, respice usum verborum *ipse adeo.* Calpurn. Flacc. Declam. 22. *cum suo parente contendit, ut mihi videatur melior adhuc privignus esse quam filius.* nam *adhuc* pertinere ad v. *privignus* nemo non videt.

16. Aliquot scriptores, non tamen omnes recentioris aevi ADHVC cum comparativo ita componere solebant, ut eius vim ex eadem ratione, quam in vernacula lingua nos adhibemus, ad ampliora et maiora adscendentes augerent. Nam haec quodammodo inter se comparari posse, quamquam ad Statii Silv. 1, 2, 27. negaveram, nunc Spaldingio facile concesserim. Vide eum ad Quinctil. 1, 5, 22. Veteres Latini dicebant *etiam.* Sed mutato universo vocabuli usu, facile poterant etiam ad hunc modum deferri, cuius originem vereor, ne Lindemannus de Adverb. 2. p. 18. frustra quaerat in imitatione graeci ἔτι. Ad Quinctil. 2, 19, 2. Spaldingius animadvertit, in hac structura adverbium semper adiectivo praemitti: quam opinionem ipse reiecit ad 7, 2, 14. cum Buttmanno ad 12, 10, 7. et Frotschero ad 10, 1, 99. Equidem etsi regulam condere non ausim, tamen rationem intelligo, qua scriptores prudentiores certum locum particulae assignaverint. Vbi enim ea

ipsi comparativo inhaeret eiusque vim auget, praecedere eam necesse est: ubi vero in re comparativo expressa non tantum gradum, sed accessionem ad alias res conspicimus, particula post comparativum ponitur, sive alii verbo additur. Sicuti nos distinguimus haec: *er hat noch gröſseres gethan* et *er hat gröſseres noch gethan.* Spaldingius igitur non tam celeriter sententiam suam mutare debebat, sed conditionem addere. Pauca enim restant loca, in quibus scriptores non satis ad hanc orationis vim et perspicuitatem attendisse videantur.

Quinctil. 1, 5, 12. *adhuc difficilior observatio est per tenores.* 2, 15, 18. *tum Callicles adhuc concitatior.* Seneca Epist. 85, 34. de Phidia: *si marmor illi, si adhuc viliorem materiem obtulisses, fecisset quale ex illa fieri optimum posset.* 58, 6. Gaius Inst. 1, 40. *si adhuc minor sit annorum.* XX. 3, 184. *alii adhuc ulterius.*

Quinctil. 12, 10, 7. *molliora adhuc supra dictis Myron fecit.* Tacit. Germ. 19. *melius quidem adhuc eae civitates, in quibus tantum virgines nubunt.* Sueton. Tib. 44. *maiore adhuc et turpiore infamia flagravit.*

Quinctil. 10, 1, 99. *quae tamen sunt in hoc genere elegantissima et plus adhuc habitura gratiae.* i. e. et insuper, et adeo plus gratiae habitura. Sueton. Tiber. 17. *cui gloriae amplior adhuc ex opportunitate cumulus accessit.* i. e. etiam ex opportunitate. Martial. 2, 10, 3. *vis dare maius adhuc et inenarrabile munus?* i. e. ad haec, praeter datam dimidiam. Curtius 9, 6, 23. *dii faveant, maiora adhuc restant.* ubi particula verbo nectitur. In Sueton. Ner. 10. *atque ut certiorem adhuc indolem ostenderet, ex Augusti praescripto imperaturum se professus, neque liberalitatis neque clementiae, nec comitatis quidem exhibendae ullam occasionem omisit.* quid verba significent, nemo declaravit: nam *adhuc* non ad *certiorem indolem* pertinere, facile intelligitur. Sententia esse videtur: atque ut ostenderet sibi adhuc, hucusque, esse certiorem indolem, i. e. magis certam ac vulgo existimaretur. De Calpurnii et Quinctiliani aliis locis supra loquuti sumus.

17. ADHVC NON et NEQVE ADHVC ab optimis omnium temporum scriptoribus dicitur pro *nondum*, *noch nicht*, quum proprie sit *ad hoc tempus non*, *bis jetzt nicht.*

Cic. in Verr. 2, 27, 65. *cupidissimi veniendi, maximis iniuriis affecti, adhuc non venerunt.* ad Fam. 3, 8, 25. *quod*

tamen ipsum non mehercule adhuc accidit me audiente. 7, 24, 7. *me adhuc non legisse turpe utrique nostrum est.* 6, 14, 1. 14, 6, 2. Martial. 7, 80, 10. *vel non caesus adhuc matre iubente Lacon.* vid. Schwarz. ad Plin. Pan. 79, 3.

Virgil. Aen. 11, 70. *cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit.* Petron. 11. *nec adhuc quidem omnia erant facta.*

Et ut *nondum* pro *non* vel *numquam* ponitur, ita etiam a poetis *adhuc non.*

Virgil. Ecl. 9, 35. *nam neque adhuc Vario videor, nec dicere Cinna digna.* Martial. 8, 28, 11. *lilia tu vincis nec adhuc delapsa ligustra.*

Sic etiam *nihil adhuc* pro *nondum quidquam, nihildum.*

Terent. Heaut. 1, 2, 1. *nihil adhuc est, quod vereare.* Caes. B. Civ. 3, 57. *sese omnia de pace expertum: nihil adhuc arbitrari factum vitio eorum, quos esse auctores eius rei voluisset.* Cic. ad Fam. 9, 17, 7. 9, 7, 4. *sed quod quaeris, quando, qua, quo, nihil adhuc scimus.* Sed Cornel. Milt. 5, 5. *qua pugna nihil adhuc est nobilius.* ut seorsum positum *adhuc* sit ad hoc usque tempus.

Plautus vocabula composuit *numquam adhuc.*

Capt. 5, 2, 7. *neque vere, neque recte adhuc fecisti umquam.* Amphit. 1, 1, 92. *numquam etiam quidquam adhuc verborum est proloquutus perperam.*

* Saepe a librariis vocabula *ad hoc* et *adhuc* confusa esse notaverunt Drakenborch. ad Liv. 21, 52, 10. Oudendorp. ad Sueton. Aug. 20.

ADHVCCINE.

In Apulcii Metam. 9. p. 218. 18. codices plerique exhibent: *adhuccine miserum istum asinum iugi furore iactari credimus.* quod recepit Colvius pro eo, quod in codice legerat, *ad hunccine.* Elmenhorstius cum reliquis *At hunccine:* quod ferri vix potest. Formatum est vocabulum ADHVCCINE eo modo, quo *siccine* et *nunccine*, quod semel exstat in Terentio, neque impedit quidquam, quo minus hanc formam probemus.

ADINVICEM.

Pro *invicem* Augustinus posuit ADINVICEM de Trinit. 7, 12. *quae relative adinvicem dicuntur.* ex usu aeque

barbaro ac quo alios *adinterim* dixisse, supra p. 133. notavimus. Attamen dubitari potest, utrum, qui haec verba composuerunt, novam adverbii formam exhibere voluerint, an verbis *interim*, *invicem* vim tribuerint substantivam. Id mihi haud improbabile esse videtur.

ADMODVM.

Grammatici fere omnes praecipiunt, ADMODVM esse *ad modum*, sicuti etiam dicatur *quem ad modum*, atque in hanc rationem, qua sensum esse putant vel *usque ad iustum modum*, vel *secundum iustum modum*, universum particulae usum constituere solent. At praeter difficultates in explicandis, quae aliquantulum differre videntur, huius praecepti partibus frequenter obvias, etiam analogia, qua vocabula *commodum*, *praemodum*, *postmodum* formantur, in aliam sententiam nos perducit. Accedunt aliae caussae, quapropter Facciolatus in Epistol. 9. dubitabat, an vocabula *omnino* et παντελῶς magis responderent, quam, quae a plurimis in explicatione adhibentur, *vehementer*, *valde*, *satis*. Sed haec sententia tantum una ex parte probari potest. Nimirum in *admodum* praepositio *ad* non eam habet vim puram et concisam, qua intelligamus *usque ad modum*, sed, ut fit in eiusmodi compositionibus, ambigua est ac duplex eius ratio. Indicat enim illa et id, quod accedit et provehitur ad modum, et id, quod praeter modum accedit: unde fit, ut ipsum *ad* intendere modo notionem videri possit. Atque hoc iam veteres grammatici cognoverant, narratque Gellius de Anniano 7, 7. haec: *addebat etiam quod ad proverbium tum vere acueretur, quum significaret* ἐπίτασιν, *quam intentionem nos dicimus, sicuti adfabre, et admodum, et adprobe dicuntur.* Ipse Gellius comparat aequalem conformationem verborum *adprobus*, *adprimum*, quod sit *longe primum*. Proprie igitur *admodum* significat id, quod rei modus admittit, idque aut satis est aut multum. Inest et sufficientiae et plenitudinis, quae rem consummatam reddit et auget, notio, neque primariam significationem esse ponamus *valde*, *vehementer*, sed *satis*, quod necesse est, quantum res postulat, ut perfecta sit. Nos quoque Germani utramque rationem comprehen-

dere solemus vocabulis *ziemlich* et *gar*, quorum illud proprie indicat id, quod deceat ac cum rei ratione conveniat, hoc rem confectam et repletam significat. Atque uti hoc alterum vocabulum (nam in verbo *ziemlich* cavendum est, ne pro *pene* sive *fere* accipiatur, quod non paucos fefellit), ita etiam latinum additur iis nominibus, quorum notiones plenae et perfectae sic constituantur, ut in earum explicatione verba *omnino, certe, prorsus*, adhiberi possint. Idque etiam cum accentus, quem et veteres et recentiores Latini in prima syllaba ponebant, caussa ac conditione congruit: de qua re Gellius 7, 7. An vero cum isto, quem nos primarium posuimus, sensu alia, quam perhibent, significatio sufficientiae deficientis, ut sit idem quod *fere*, ullo pacto conciliari possit, paullo post videbimus. Kaercherus dum in Iahnii Annal. philolog. 1, 1. p. 202. omnem usum una notione iusti modi comprehendere studet, diversa miscuit, quae ne cogitatione quidem cohiberi possunt. Quis enim eum, qui *ad iustum numerum* copias auxisse dicitur, intelliget copias *magnopere* auxisse? Et quomodo, si *admodum* est *ad iustum modum*, verba *voce admodum quam suavi* verti poterunt: *mit welch ungewöhnlich lieblicher Stimme?*

Notiones, quas diximus, sufficientiae et plenitudinis quamquam ipsae cognatae saepe in unam coeunt, neque similia exempla semper discriminari possunt, tamen usus antiquorum quidem scriptorum certis circumscribitur finibus.

1. Ac primum ADMODVM adiicitur adiectivis et adverbiis, quorum significationem repleta notione determinat, ideoque quodammodo auget, et eamdem vim addit, quam *per* praebet in compositione verborum *pergratum, peradolescens*. Nos dicimus *gar* et *ziemlich*. Vbi substantiva hoc modo ponuntur, ea pro adiectivis habentur, aut ex adiectivis facta sunt, veluti *iuvenis, puer, adolescens*. Ceterum parum refert, utrum particula post suum vocabulum obtineat locum, an ante: nam quod Goerenzius ad Cic. de Fin. 4, 5, 12. animadvertit, particulam post positam paullum mitigari, id equidem in reliquis exemplis cognoscere non potui, et si quod mitigationis indicium recte intelligeretur, id certe non ad proprietatem huius vocabuli pertineret. Immo vero praecedens particula quum una notione arctius cum nomine copuletur, seorsum posita maiorem vim effert: id quod

etiam Gernhardus sensisse videtur ad Cic. Lael. 4, 16. Nos utriusque generis exempla collocemus. Nomina autem, quae particulam sibi ita adiunctam habent, aut quantitatem aliquam, aut qualitatem rei alicuius denotant.

Cic. de Amic. 4, 16. *mihi vero pergratum erit: atque id ipsum quum tecum agere conarer, Funnius antevertit: quamobrem utrique nostrum gratum admodum feceris.* in quo loco non opus est cum Gernhardo intelligamus maiorem gradum significationis, sed *gratum admodum* idem significat, quod *pergratum* antea positum: vim enim sententiae continet vocabulum *utrique.* Brut. 85, 294 *significant enim quamdam formam ingenii, sed admodum impolitam et plane rudem.* Frontin. Strateg. 1, 10, 1. et 4, 7, 6. *adductis in conspectum duobus equis, eorum praevalido alteri, alteri admodum exili.* In his oppositio verborum rem declarat.

Cic. de Fin. 5, 5, 12. *in quo multum admodum fortunae datur.* sed mutata sede de Nat. d. 2, 55, 137. *a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas in omnes partes corporis pertinentes.* cf. Cornel. de Reg. 1, 1. Quinctil. 12, 11, 12. *neque enim aut tam perplexa aut tam numerosa sunt, quae premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur,* Liv. 10, 41, 14. *penetrare in interiora urbis, quia pauci admodum erant, non audent.* sed Cic. de Nat. d. 3, 27, 69. *quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris.* Tacit. Ann. 13, 39. Germ. 18. *exceptis admodum paucis.*

Cic. in Verr. 4, 34, 74. *erat admodum amplum et excelsum signum cum stola.* Philipp. 5, 17, 47. *itaque maiores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant.* ubi Faernus et Lambinus verba *admodum antiqui* delenda esse censuerunt, prudenter autem defendit Graevius: at stare ea non possunt, nisi interpunctio haec restituatur: *maiores nostri, veteres illi admodum antiqui, leges* etc. Caesar. B. Gall. 6, 16. *natio est omnis Gallorum admodum dedita religionibus.* 5, 8. *qua in re admodum fuit militum virtus laudanda.* Haec enim in modum adiectivorum construuntur. Sueton. Caes. 1. *familia equestri, sed admodum dives.* c. 56. *in epistola, quam brevem admodum ac simplicem ad Pompeium Marcum — misit.* Curt. 3, 6, 1. *erat inter nobiles medicos e Macedonia regem sequutus Philippus — fidus admodum regi.* quod Meinerus male interpretatur: ut ab eo exspectari aut postulari poterat.

Recentiorem colorem haec habent: Pompon. Mel. 2, 7, 8.

atque inde ingressis totus admodum pervius, prope quantum patet specus. quod non est *pene totus pervius*, ut alii accipiebant, sed omnino totus, *ganz und gar:* id quod aliis exemplis infra comprobabo. Intelligitur enim montis longitudo cum latitudine specus comparata. 2, 7, 17. *de amnibus Himera referendus, quia in media admodum ortus, in diversa decurrit.* Tzschuckius interpretatur *fere:* at Mela dixit: in ipsa media insula: *gerade in der Mitte.*

Cic. de Fato apud Macrob. Sat. 2, 12. *allatus est Scipioni accipenser, qui admodum raro capitur.* Curt. 4, 13, 25. *raro admodum admonitu amicorum — uti solebat.* Cic. Acad. apud Nonium 7, 57. *si quando enim nos demersimus ut qui urinantur, aut nihil superum, aut obscure admodum cernimus.*

Terent. Heaut. 1, 1, 1. *quamquam haec inter nos nuper notitia admodum est.* i. e. nuper admodum, *ganz neuerdings.* Liv. 34, 13, 4. *ubi satis admodum et suorum et hostium animos est expertus.* Dukerus suspicionem excitat, Ernestius explicat *fere:* neutrum probari potest. Verte modo ista verba: *hinlänglich genug, gar genug.*

Cum verbo *nimium* coniunxit Columella 4, 21, 2. *nisi si admodum nimia ubertas plureis postulabit.*

An superlativo adiungi possit ob exemplorum raritatem dubitatur. Rhetor. ad Herenn. 4, 12, 17. *quae maxime admodum oratori accommodata est.* sed codices variant. Oudendorpius haec: „offendit librarios coniunctio vocum *maxime admodum:* sed synonymis aliquando non abstinuerunt etiam brevissimi scriptores.“ Et comparari poterat usus verborum *perquam*, *valde*, *satis*, cum superlativo iunctorum. Scilicet facillimum erat delere particulam, quod suo iure Schützium fecisse non affirmaverim cum Gernhardo ad Cic. Lael. p. 41. Altera vero scriptura *ad modum oratoris*, quam miror nunc a Goerenzio in Iahnii Annal. philol. 1. p. 298. probari, non aptum sensum praebet, nec latina est.

2. Peculiarem usum efficiunt vocabula iuvenilis aetatis, in quibus explicandis interpretes non omnes accurate versati sunt. *Admodum adolescens* proprie is dicitur, in quo multa adhuc est adolescentia, vel satis adolescentiae, quique ab adolescendi fine longum abest. Is etiam *adolescentulus* appellatur et *peradolescens.* Cic. p. lege Man. 21, 61. Conf. Dodwell. Annal. Quintil. 3. p. 1120. Burm. Beier. ad Cic. de Off. 2, 13, 47. Schwartzius in Monum. ingen. 4. T. p. 340. quum hanc formulam ad significationem particulae, *quantum mo-*

dus rei postulat, revocandam censet, omisit notare descensus rationem, ne quis *admodum iuvenem* intelligeret hominem ad iuventutis finem provectum.

Cic. p. Rabir. 7, 21. *quum hic Q. Catulus, admodum tum adolescens, quum hic C. Curio, quum denique omnes clarissimi viri cum consulibus essent, quid tandem C. Rabirium facere convenit?* Catulo nondum adulto opponitur Rabirius, vir iuvenis. Lael. 27, 101. *equidem etiam admodum adolescentis P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector.* de Offic. 2, 13, 47. Corn. Nep. Hamil. 1, 1. dixit ut Plaut. Trin. 2, 2, 87. *admodum adolescentulus*, et Eum. 1, 4. *peradolescentulus.* Dialog. de caus. corr. eloq. 1, 3. *quos eamdem hanc quaestionem pertractantes iuvenis admodum audivi.* Tacit. Hist. 4, 5. *ingenium illustre altioribus studiis iuvenis admodum dedit.* Curt. 7, 2, 12. *tamen ut iussus est fratres suos exhibere, admodum iuvenes et regi ignotos ob aetatem.* 7, 9, 19. ubi codices nonnulli cum glossemate exhibent *adhuc admodum iuvenem.* Liv. 31, 28, 5. *filium Persea, puerum admodum, datis ex amicorum numero, qui aetatem eius regerent — mittit.* Senec. de Brev. vit. 7, 1. *professores aliarum artium vulgo multique sunt: quasdam vero ex his pueri admodum ita percepisse visi sunt, ut etiam praecipere possent.* Quinctil. 12, 6, 1. *quum Demosthenem puerum admodum actiones pupillares habuisse manifestum sit.* Demosth. adv. Mid. 23. *μειρακύλλιον ὢν κομιδῇ.* — Tacit. Ann. 4, 13. *hunc comitem exsilii, admodum infantem pater Sempronius in insulam Cercinam tulerat.*

Ad hunc modum Florus 2, 6, 10. *saucius et ipse venisset in manus hostium imperator, nisi protectum patrem praetextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset.* Cic. de Senect. 4, 10. *quamquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate provectum.*

3. Vbi cum verbis componitur ADMODVM, distingui debet antiquior usus ab recentiori. Veteres enim scriptores saepius ita dicebant, ut id, quod aliquantum haberet modum, aut satis esset et sufficeret, hoc verbo indicarent, quod nos reddimus per *ziemlich.* Posteriores autem usurpabant pro verbis, *multum, valde, nimis valde:* cuius generis exempla in antiquis scriptoribus, praeter certas formulas *admodum delectare, placere, diligere*, rara sunt.

Liv. 1, 10, 1. *iam admodum mitigati animi raptis erant.* quod non est *valde*, sed *aliquantum, satis.* 6, 34, 8. *averten-*

tem caussam doloris, quippe nec satis piam adversus sororem, nec admodum in virum honorificam elicuit comiter sciscitando, ut fateretur etc. Cic. ad Fam. 4, 18.

Plaut. Epid. 1, 2, 1. *rem tibi sum eloquutus omnem, Chaeribule, atque admodum meorum moerorum atque amorum summam edictavi tibi.* i. q. satis vel plene: *hinlänglich, vollständig.*

Cic. ad Fam. 5, 19, 2. *itaque me et superiores litterae tuae admodum delectaverunt.* ad Att. 7, 24. ad Fam. 4, 13, 18. *nam et complectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumque mecum sunt, et in ipsius consuetudinem — insinuabo.*

Ennius apud Fulgent. de prisco serm. p. 175. Munker. Fragm. p. 288. Hessel. *haec anus admodum fringutit: nimirum se sauciavit flore Liberi.* Plaut. Most. 3, 2, 125. *ergo irridere ne videare et gestire admodum, noli facere mentionem te emisse.* Plin. Hist. n. 29, 3, 7. *huius commanducatae succus stomacho admodum prodest.* 9, 38, 62. *buccinum — pelagio admodum alligatur, nimiaeque eius nigritiae dat austeritatem.* ubi Salmasius tamen non male coniecit *admotum.* Sueton. Tiber. 3. *quae familia quamquam plebeia, tamen et ipsa admodum floruit.* Florus 3, 1, 13. *postremo Marius auctis admodum copiis — iam fusum et saucium regem adortus.* ubi Salmasius restituendum putavit *in modum.*

4. *Admodum nihil* et *nihil admodum* et *nullus admodum* saepe dicitur. Sed de explicatione multum est disputatum. Tursellinus quum duplicem observasset sensum *nihil omnino* et *pene nihil*, Schwartzius, illa priori interpretatione prorsus reiecta, demonstravit esse *si modum spectes*, vel *si cum modo compares, si modum consideres, nihil.* Facciolatus autem probabat alteram explicationem *omnino*, eique assentatus I. A. Ernestius, ut numeris adiunctam particulam, ita in aliis constructionibus modo *fere*, modo *omnino* significare, demonstravit. Gernhardus ad Cic. Lael. 4, 16. discrimen quaesivisse videtur in positione vocabuli, vertens *nihil admodum* per *soviel wie nichts, admodum nihil* per *ganz und gar nichts.* Omnis haec dubitatio excitata est locis Ciceronis de Orat. 2, 2, 8. *sed quum alter non multum, quod quidem exstaret, et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset* etc. quae extrema de Antonio, non de Crasso dicta sunt: et Brut. 9, 35. *nam plane quidem perfectum et cui nihil*

admodum desit, Demosthenem facile dixeris. In his locis ne Cicero nimium aut falsum dixisse videretur, in Demosthene omnino nihil desiderari, et Antonium nullum librum scripsisse, qui ipso Cicerone teste Brut. 44, 163. unum librum reliquerit, Schwartzius et Gesnerus et Müllerus nuper *admodum* acceperunt pro *pene:* quod ne rei quidem necessitas postulabat. Nam id quod ex aliqua ratione negatum volumus, saepe plene et prorsus negamus, etiam cum quadam asseveratione. Antonius etiamsi unum exilem librum de ratione dicendi scripsisset, ut ait Cicero Brut. 44., tamen omnino nullam reliquit orationem, e qua eloquendi ars cognosci posset. Id disertis verbis narrat Cicero p. Cluent. 50, 140. et bene consideravit Facciolatus, cui quae Schwartzius in Monum. ingen. 1. p. 157. obloquitur, nihil efficiunt. Et poterat Cicero in ista quidem sententia negationem etiam tantopere augere, ut unum illum librum sane exilem prorsus praetermitteret. Demosthenes autem quum dicitur perfectus orator, ei omnino nihil defuisse putabimus, quidquid aliis in locis Cicero in eo reprehenderit. Quare nihil obstat, quo minus huic formulae unam significationem tribuamus, qua negatio ponatur absoluta et plena. Nos dicimus *gar kein, gar nichts.*

Plaut. Merc. 2, 3, 65. *horunc illa nihilum quicquam facere poterit admodum.* Cic. Brut. 58, 210. *nam litterarum admodum nihil sciebat.* i. e. *von Wissenschaft verstand er gar nichts.* Gellius 19, 12. *quia nihil admodum super vite aut arbore colenda sciret.* Livius 23, 29, 14. *equestris pugna nulla admodum fuit.* i. e. quae ne instituta quidem esset. Nos: *die Reiterei kam zu gar keinem Gefecht.* 40, 59, 2. *armorum hostilium magnam vim transtulit: nullam pecuniam admodum.* intellige *in aerarium transtulit*, ne in iis, quae sequuntur, haereas.

Kaercherus in Iahnii Annal. philolog. 1, 1. p. 202. ut omnia ad unam explicationem referret, Ciceronis verba *Curio litterarum admodum nihil sciebat* interpretatus est: nihil litterarum, ad iustum earum modum, quod esset, prorsus nihil (*C. wusste nichts von Gelehrsamkeit nach dem richtigen Maſse derselben, d. i. eigentlich gar nichts*). quae aut non perspicio, aut ille mirifice fallitur, quum modum intelligit litterarum, non modum iuscitiae. Et sic in ceteris quoque exemplis. Nam *nulla pecunia admodum* Kaercherus perverse explicat: nulla pecunia ex comparatione armorum (*im Vergleich mit den Waffen*).

Comparatur enim pecunia, quae nulla erat allata, cum ea, quae afferenda erat aut exspectabatur.

5. „Creberrime hac particula usus est Salvianus, ut appareat illa mire delectatum fuisse. Fere autem ornatus gratia eam sententiis infersit, sonum magis quam certam ullam significationem quaerens. Quod enim Ritterhusius notat, numquam aliter usum, quam pro *fere* et *propemodum:* quomodo, ut alia omittam loca, ex illo libr. 6. de Gubern. Dei ostendi possit, non video. *Omnes enim admodum*, inquit, *in perditionem ruunt*, *aut certe*, *ut aliud dicam levius*, *pene omnes.* Diserte *omnes admodum* et *pene omnes* opponit. In ceteris plerisque si *admodum* per *omnino* exponas, nihil feceris, quod a mente Salviani abhorreat.“ Thomasivs. Huic quum Facciolatus adstipulatus esset, Schwartzius repugnavit hac quidem argumentatione: „*omnes admodum* sunt omnes, qui ad modum requiruntur, hoc est de quibus nemo desideratur. His pene omnes commode opponi posse videntur.“ Ernestius autem haec addidit: „Et potest apud Salvianum *admodum* positum esse grati soni caussa, nullo certo sensu, et alibi *omnino* significare. Sic Graeci δή, quod huic verbo fere respondet, modo certo sensu ponunt, modo παραπληρωματικῶς, praesertim non elegantissimi.“ Haec doctrina paucis vel nemini hodie probabitur. Salvianus cum aliis scriptoribus istius aetatis *admodum* usurpavit pro *omnino*, *prorsus:* etiam in isto, quem apposuimus loco, ubi *omnes admodum* est ad unum omnes, ἅπαντες. Ita Nazarius Panegyr. Constant. 25, 4. *per tota admodum moenia magna vis hominum*, qui locus confirmat explicationem, quam p. 171. f. de loco Pomponii Melae fecimus: hic enim non possunt intelligi moenia pene tota, sed tota omnino. Conf. Facciolati Epist. 9. p. 453.

6. Non minor est dissensus virorum doctorum in nominibus numerum significantibus, quibus ubi additur *admodum*, plurimi explicant *circiter*, *fere.* Ita Gifanius in Observ. p. 14. Graevius ad Justin. 24, 2, 6. Gronov. ad Liv. 27, 30, 2. Sciopp. Susp. Lect. 4, 20. p. 231. Schwartzius et Schützius de Partic. Qui vero de ratione quaerebant, eos ad vanas argutias aberrasse videmus. Schellerus enim existimabat *admodum* poni cum numeralibus pro simplici *ad*, ideoque vocabulum *modum* redundare, velut in *postmodum:* quae sen-

tentia ne reprehensione quidem digna esse videtur. Nec magis probabilem rationem exhibuit Perizonius, qui ad Sanctii Min. 4, 2. p. 11. contendit, non diversa modo, sed contraria hac particula significari, ut quae modo notionem intendat, modo imminuat eam. Baumgarten-Crusius in Clavi Sueton. p. 108. intelligi voluit, quod ad modum accedat, paucis vel deficientibus vel abundantibus, atque hoc esse *fere:* in quibus scilicet illud, quod in hac quidem explicatione primarium est, pauca, quae deficiant aut abundent, nihil mutare in numeri accessione, non ipso vocabulo exprimitur, neque altera illa significatio, qua est *valde*, aliud in se habet, quam contrarium prorsus. Nos aliam viam ingrediamur, quae eadem est primitivae significationis, neque aliis ante nos incognita. Conf. Ernest. Glossar. Livian. p. 23. Addito enim vocabulo *admodum* exprimunt Latini numerum completum et exactum, quem notat vocabulum *totus*, ut *decem millia admodum* sint tota decem millia, *ganze zehntausend:* sed utuntur hoc verbo non tam ad numerum accurate definiendum, quam ut magnum eum esse indicent. Exsistit vero diversa ratio, sive numerum hunc ad maiorem referamus, sive cum minore comparemus, quo significemus, non minorem aut non maiorem esse numerum. Curtius quum 4, 12, 6. dicit: *in laevo cornu Bactriani ibant equites mille admodum, Dahae totidem et Arachosii Susiique quatuor millia explebant.* nisi completum numerum intelligeret, addere vix posset *totidem.* Caesar B. Gall. 5, 40. *noctu — turres admodum CXX excitantur incredibili celeritate.* confirmatur per voc. *admodum* numerus, ne nimius videatur: *non minus quam CXX turres.* Liv. 22, 24, 14. *sex millia hostium caesa: quinque admodum Romanorum.* quorum sensus est: caesa quinque tota millia, ita ut par prope esset clades. Sed Curtius ad maiorem numerum respiciens 4, 9, 24. *mille admodum equites praemiserat, quorum paucitate Alexander explorata, deinde contempta praefectum Paeonum equitum Aristona laxatis habenis invehi iussit.* i. e. non amplius mille. Ita in omnibus locis, in quorum plurimis interpretandis adhibere etiam possumus verba *zum höchsten* et *zum wenigsten.* Liv. 27, 30, 2. 44, 43, 8. 42, 65, 3. Cato de Re r. 156, 2. *postea ubi occipiet fervere, paulisper demittito usque admodum dum quinquies quinque numeres: tum eximito.* In Cicerone nul-

lum apparet huius usus vestigium, neque in Suetonio et Tacito, sed in reliquis historiarum auctoribus nihil frequentius.

7. Vtraque, quam exposuimus, ratio ad tempus refertur, ut aut plenitudinem in magno spatio, aut brevitatem intelligamus, sed in utraque modum completum agnoscamus.

Liv. 43, 11, 9. *legati ex Macedonia exacto admodum mense Februario redierunt.* i. e. exacto toto mense. Epit. 55. *Alexandri filius, rex Syriae decem annos admodum habens.* i. e. non plus. nam Epit. 52. dicebatur Alexandri filius *puer admodum.* Iustin. 17, 2, 3. *ignarus prorsus, non multo post fragilitatis humanae se ipsum exemplum futurum. Quippe post menses admodum septem a Ptolomaeo — per insidias circumventus occiditur.* i. e. non longius quam post septem menses. Varro de Re r. 156, 2. vide supra n. 6.

8. In responsione utuntur hoc vocabulo colloquentes, ut rem in eum, qui antea dictus erat, modum se habere concedant addita certae affirmationis vi. Vid. Turneb. ad Cic. de Leg. 3, 11, 26. Ruhnken. ad Terent. Hec. 3, 5, 8. Cannegieter, quum in Ciceronis loco explicaret *ad modum*, hoc est breviter, modice, egregie falsus est. vid. Creuzer. p. 726. Sed quid illud sit modestiae indicium, quod in hac formula apparere dicit Meinerus, equidem non assequor.

Plaut. Rud. 1, 5, 10. SA. *Nempe equo ligneo per vias caeruleas estis vectae.* PA. *Admodum.* 4, 4, 36. 1, 2, 55, 3, 6, 2. Bacch. 5, 1, 24. 4, 7, 40. Pseud. 4, 7, 54. *admodum, inquam.* Terent. Phorm. 2, 2, 1. Hec. 3, 5, 8. Cic. de Leg. 3, 11, 26. *Scis solere, frater, in huiusmodi sermone, ut transiri alio possit, dici admodum aut prorsus ita est.* His verbis Cicero voluit Quintum videre ad persuasionem perductum, ut, assensione per verbum *admodum* confirmata, transiri posset ad alia. Non igitur tantum transitioni inservit *admodum*, nec potest verti *so weit*, *genug davon*, ut fecit Kaercherus.

9. Olim putabatur *admodum* instar substantivi poni, et construi cum genitivo in Columell. 4, 1, 4. *exemplum eius rei capiamus in arbusto, ubi quum scrobes defodimus, admodum exigui pulveris viviradici subiicimus.* At corruptus visus est locus iam Vrsino, qui emendavit *admodum exiguum pulveris.*

10. ADMODVM QVAM eodem modo usurpatur, quo

alia similia verba *valde quam*, *nimis quam*. *oppido quam*, ad significandam admirationem. Conf. Ruddimann. 2. p. 305.

Plaut. Amph. 1, 3, 43. *ex amore hic admodum quam saevus est?* de quo loco vid. Dousa in Centurionatu p. 22. Gellius 19, 9. *voce admodum quam suavi.*

ADQVO.

Nonius Marcellus 2, 63. addita explicatione haec servavit antiqui usus exempla. *Adquo pro in quantum. Afranius Promo: Vt scire possis, adquo te expediat loqui. Idem Privigno: Ni tantum amarem talem tam merito patrem, miratus essem, adquo licere.* Igitur alia erat forma verbi, quod magis placuisse videtur, *quoad*, de cuius usu suo loco dicemus. Vtroque in Afranii loco ADQVO significare *quantum*, *in wie fern*, *in wie weit*, apertum est. Gulielmus in Quaestion. in Plaut. Aul. 1. p. 343. Gruteri Lamp. Vol. 3. „Sic Afranius extulit *adquo*. quod nos usitatius *quoad:* non enim ea vox nova est, ut Nonius putavit, sed inversione novata.“ Idem in altero exemplo egregie emendat *iratus essem, adquo liceret.*

ADVERSVM, ADVERSVS.

ADVERSVS et ADVERSVM duae sunt formae unius vocabuli, quod utrum per se constet, an participium sit verbi *adverto*, grammatici dubitant. Nihil efficit Donatus ad Terent Andr. 1, 1, 15. hac quidem distinctione: *advorsum sine dubio praepositio est*, *advorsus participium potest esse ab eo, quod est adverto.* Vrsinus in Institut. 7, 7. p. 1048. haec: „*adversus* igitur prima θέσει participium fuit ab *adverto:* dehinc dempta temporis assignificatione, nomen adiectivum factum est, quo quidem in usu perstitit, sed coepit et pro voce invariabili tractari, ut neutrum quoque ipsius *adversum.*“ Baumgarten-Crusius in Clavi Sueton. p. 113. „proprie ipsum est participium, quod paullatim flecti desiit. Initio masculinis addidisse videntur *adversus*, reliquis *adversum*, τοὐναντίον: mox hoc etiam discrimen cessavit, ipsumque *ex adverso* in adverbium abiit *exadversum.*“ Quae non satis intelligo. Fortasse voluit eadem, quae Priscianus p. 1015. (15, 4, 23.) *adversus quoque, quod etiam nominativus est, quomo-*

do nullus pro minime. Equidem derivationis fundamentum esse puto *versus*, quod a *verto* eodem modo factum est, quo *demus* a *demo*, *tenus* a *teneo*. Et sicuti *demum* dicebatur olim *demus*, etiam *rursus rursum* et *prorsus*, i. e. proversus, *prorsum*, *quorsus quorsum*, *adversus adversum* duplici forma composita sunt. Quare non participium intelligemus adverbii loco positum, sed communem cum eo fuisse originem ipsi adverbio, quod non aliter formatum, quam *funditus*, *penitus*, *mordicus*. Neque amplius dubitabimus, utrum adverbium, an praepositio nominanda sit. Perizonius ad Sanctii Min. T. 1. p. 174. adverbium arbitratur esse cum praepositione compositum, sicuti *prorsus* et *rursus*, ideoque ubi cum accusativo componatur, repetendam esse praepositionem *ad*, quae in compositione appareat. Et Vossius de Analog. 4. p. 260. accusativum regi existimat vi prioris partis, ut *adversus urbem* sit *ad urbem versus*. Sed iam Vrsinus, quocum Perizonius temere pugnat, veritatem rei perspexerat, et, omnem eiusmodi ellipsin sibi supectam videri affirmans, adverbium dixerat induere praepositonis naturam, ubi accusativus casus ab eo regeretur. Id enim fit eo modo, quo alia adverbia cum nominibus coniunguntur. Atqui *adversus* componitur, ubi nomen adest, cum accusativo, quum ipsum in se habeat directionis notionem, additurque dativo, ubi verbo adhaeret. Quin tam prope accedere potest, ut cum dativo cohaerere videatur, veluti in Comico, qui Plauti Amphitruonem interpolavit Sc. 2, 73. *eamus: te adversum uxori etiam advocatum volo.* nisi participium magis intelligas. Vbi vero distracto nomine dicitur *ad se versus*, *ad urbem versus*, de quo infra, per se stat adverbium *versus*, directionem notans.

Priscianus de suo more p. 976. (14, 1, 5.) *adversum quoque ideo praepositionem esse putaverunt, quia pro ἐπί graeca praepositione solet aliquando poni. Quando autem τὸ ἐναντίον significat, magis adverbium ostenditur.* Agroetius de Orthogr. p. 2267. Putsch. p. 1352. Gothofr. distinguit formas *adversus* et *adversum* significatione: *adversus te*, *adversarius: adversum te, imitator.* Ita enim scribendum est, non *imitatur.* Sed istius distinctionis nulla est ratio, neque ab usu confirmatio. Si quid constitui potest, antiquiorem formam recte dicemus *advorsus* sive *adversus.* In scriptis li-

bris nulla apparet regula. vid. Drakenborch. ad Liv. Epit. 47. p. 635. Cortius ad Plin. Epist. 2, 17, 4.

1. ADVERSVS proprie id notat, quod ad aliquid vertitur, et ad aliquid spectat. Itaque, ubi de loco et de re immota dicitur, significat id, quod a fronte oppositum est: quem ad modum in Epist. 1. de ord. rep. quae Sallustio tribuitur 3, 2. *quoniam neque adversus, neque a tergo, aut lateribus tutus sis.* Est igitur id quod *e regione, contra, gegenüber*, Gallicum *vis à vis.*

Livius 43, 16, 4. *clientem libertinum parietem in sacra via adversus aedes publicas demoliri iusserant.* 26, 14, 6. vid. Drakenb. ad 7, 14, 9. 45, 8, 3. Caes. B. G. 2, 8. *is collis, ubi castra posita erant, paullulum ex planitie editus, tantum adversus in latitudinem patebat*, etc. i. e. a parte ad hostes versa, quae paullo post *frons*. dicitur. Catull. 51, 3. *qui sedens adversus idemtidem te spectat.* graeca expressit ὅστις ἐναντίος ἱζάνει. Celsus 3, 6. *ob quam caussam medicus neque in tenebris, neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco adversus eum, ut omnes notas ex vultu quoque cubantis perspiciat.* Liv. 45, 7, 5. *introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere iussit.* Plin. Hist. n. 3, 5, 11. *Lerina, adversum Antipolim.* Scipio apud Gellium 7, 12. *qui quotidie unguentatus adversum speculum ornetur.* i. e. *vor dem Spiegel.*

In Liv. 21, 39, 8. *Scipionem Hannibal eo ipso, quod adversus se dux potissimum lectus esset, praestantem virum credebat.* intellige ex adverso positum: *ihm gegenüber*, aut comparationem, de qua postea.

2. Quum, qui coram aliquo adstat, ei sit adversus, dicitur *adversum* etiam de praesentia. Quare Priscianus 18. p. 1182. 24, 210. *Attici ἐναντίον τοῦδε pro coram illo. Terentius in Andria* [1, 1, 15.] *idque gratum fuisse adversum te habeo gratiam.* Et Nonius Marcel. 4, 1. *adversum rursus apud significat. Titinnius Gemina: mulier credo advorsum illum res suas conqueritur. Terent. Andria: Et id gratum fuisse advorsum te habeo gratiam. Ennius Telepho: te ipsum hoc oportet profiteri et proloqui advorsum illam mihi. Afranius Excepto: de vita ac morte domini fabulavere advorsum fratrem illius ac dominum suum. Plaut. Aulul.* [4, 7, 9.] *egone ut te advorsum mentiar. mater mea?* In his exemplis diversa distingui debebant.

Nam certum quoddam genus constituunt ea, in quibus verba dicendi et respondendi cum vocabulo *adversum* componuntur ad designandam personam, cui praesenti aliquid dicatur: ubi nos *gegen einen äufsern, zu einem sagen.* Vti Titinnius et Ennius et Afranius et Plautus in verbis appositis, ita Terentius Andr. 1, 5, 30. *sed nunc peropus est, aut hunc cum ipsa aut me aliquid de illa advorsum hunc loqui.* ubi Donatus: *apud hunc.* Plaut. Pseud. 1, 5, 39. *orationem tibi para advorsum senem.* i. e. ad senem convertendam. Bacch. 4, 4, 47. *imo si audias, quae dicta dixit me advorsum tibi.* i. e. me praesente in te absentem: *was er gegen mich von dir gesagt hat.*

Verbum *respondere* igitur duplici modo componitur cum vocabulo *adversum* vel ad rem vel ad personam relato. Liv. 4, 10, 2. *adversus ea consul — respondit.* 22, 40, 1. *adversus ea oratio consulis haud sane laeta fuit.* 8, 32, 9. Conf. Drakenb. ad 3, 57, 1. Tacit. Ann. 3, 71. *dilatum nuper responsum adversus Servium.* Cic. de Offic. 2, 19, 68. *utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas. Mentiri adversum aliquem* esse potest coram aliquo, et in aliquem mentiri. Plaut. Aul. 4, 7, 9. *egone ut te advorsum mentiar?* Mil. 4, 2, 88. *eo minus dixi, ne haec censeret me advorsum se mentiri.* Poen. 1, 2, 188. *men' prohibere postulas, ne te verberet, magis quam ne mendax me advorsum siet?* vid. Taubmann. ad Aul. 4, 7, 9.

Brutus ad Cic. Epist. 16. *verba tua recognosce: et aude negare, servientis adversus regem istas esse preces.* Haec fortasse aliquis ad eas loquutiones referet, quibus epistolam non a M. Bruto scriptam esse demonstret. Sed conveniunt cum usu latino, intelligunturque preces ad regem conversae.

Sed in aliis apertum est, *adversum* pro *coram, praesente aliquo* poni. Plaut. Amph. 3, 2, 55. *iusiurandum verum te advorsum dedi.* i. e. *in deiner Gegenwart, vor dir.*

Liv. 22, 39, 9. *nec gloriandi tempus adversus unum est.* Drakenborchium miror emendationem Burmanni *adversus vanum* probasse: recte enim interpretatus est Crevierius *coram uno, uno teste.* Plaut. Amph. 2, 2, 118. *mirum quin te advorsus dicat.* explicant quidem: contradicat tibi: est vero *coram te ipso.*

3. Quod autem dicunt, praeter hanc praesentiae notionem, ADVERSVS idem esse quod *apud*, id concedi

non potest, nisi addatur conditio haec, ut ponamus, nihilominus inesse rationem rei ad aliquem hominem referendae, quam plane expressam habemus verbis *in aliquem*. In Terentii loco Andr. 1, 1, 15. *et id gratum fuisse adversum te habeo gratiam.* de quo etiam Schopenus in Dissert. de Terentio et Donato p. 3. nuper disputavit, sensus non potest esse, quem ille vult, *id gratiam mihi retulisse apud te:* in qua sententia omitti nullo pacto poterat *mihi*. Vtitur autem Sosia dictione faceta atque verecunda, cuius sensus hic est: gaudeo, si quid tibi feci aut facio, quod placeat, et tibi gratiam habeo, quod id a te tam bene acceptum est, ut me libertate donares. Donatus interpretatur *apud te* et *penes te*, Priscianus p. 1182. *coram te*, et comparat p. 976. graecum ἐπί. Nos vertere possumus: *daſs dies vor dir eine gute Statt gefunden, dafür bin ich dankbar.* Erant autem, qui existimarent graviorem et magis concinnam exsistere sententiam, si verba *adversum te habeo gratiam* coniungerentur. Dicere enim Sosiam: quod tibi non tantum placuit, sed quod cum gratia id accepisti, tibi ego reddo gratiam. At maior vis inhaeret verbo *gratum*, adiecto personae nomine.

Liv. 41, 24, 8. *opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus. An infirmissimi omnium tamquam, quos nuper subiecit, Dolopes? imo contra ea vel viribus nostris, deum benignitate, vel regionis intervallo tuti. Sed sumus aeque subiecti ac Thessali Aetolique. Nihilo plus fidei auctoritatisque habemus adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus, quam Aetoli, qui paullo ante hostes fuerunt?* Ita distincta verba non amplius laborant corruptione, nec credam Walchio, qui in Emendat. p. 249. locum magis turbavit, quam correctione expediit. Verba enim *opportuni — sumus* et *sed sumus aeque subiecti ac Thessali Aetolique* ex aliorum sententia sibi contraria interponit Arco, quibus ipse respondet argumenta refellens. Sed extrema verba interpretes perverso sensu acceperunt. Nam istae, quae disertis verbis expressae sunt, sententiae, Achaeos subiectos esse Macedonibus, et apud Romanos ob fidem praestitam auxilium iis esse paratum, quo modo cum reliqua Arconis oratione cohaereant, et unde Aetolorum fidei erga Romanos mentio fiat, omnino non intelligitur. Arco vero dicit: etiamsi sumus aeque subiecti et aeque coniuncti cum Macedonibus atque Thessali Aetolique, tamen Romanis nos videmur maiorem fidem et auctoritatem habere, qui semper fui-

mus amici. *Adversus Romanos* est *apud Romanos:* nos reddimus *vor den Römern, in den Augen der Römer.*

4. In rebus ex adverso positis apparet etiam illud, quo ipsae distant, aut diversae sunt. Quare comparationi rerum inservit haec praepositio eo modo, quo vernaculum verbum *gegen.*

Liv. 7, 32, 8. *quid autem esse duo prospera in tot seculis bella Samnitium adversus tot decora populi Romani?* 24, 8, 8. *repente lectus, in annum creatus, adversus veterem ac perpetuum imperatorem comparabitur.* Dialog. de Causs. corr. eloq. 33. *differentiamque nostrae desidiae et inscientiae adversus acerrima et fecundissima eorum studia demonstrasti.*

5. Iam vero saepius dicitur ADVERSVS de rebus versus aliquid agendis, aut ad aliquid dirigendis: unde formulae *adversus ire, adversus venire, adversus esse,* pro obviam ire, de aggressu non inimico, *adversum tenere,* de venti directione. Nos *auf etwas hin.*

Plaut. Asin. 3, 3, 118. *nam iam calcari quadrupedem agitabo adversum clivum.* in quo Forcellinus adscensionem expressam vidit, ut in Caes. B. Civ. 1, 46. *impetum adversus montem in cohortis faciunt.* At etiamsi nos reddamus *gegen den Berg an,* ipse adscensus non latino verbo significatur. Liv. 30, 24, 9. *aliae adversus urbem ipsam ad Calidas Aquas delatae sunt.* Frontin. Strat. 1, 4, 9. *Alexander — adversus aquam assidue procurrere iussit suos.* i. e. *auf das Wasser hin.* Virgil. Aen. 6, 684. *isque ubi tendentem adversum per gramina vidit Aenean.*

Nonius Marc. 4, 1. *advorsum significat contra. Terentius Adelphis* [1, 1, 2.] *neque servulorum quisquam, qui advorsum ierant. Plautus Asinar.* [2, 2, 29.] *quae illaec praeda est? ibo advorsum, atque electabo quidquid est.* Plaut. Most. 4, 2, 16. *at tu mecum, pessume, i advorsus.* Amph. 2, 2, 43. Merc. 1, 2, 5. Pers. 2, 2, 18. *quis haec, quae me advorsum incedit?* Trin. 3, 2, 98. *capturum spolia ibi illum, qui meo hero advorsus venerit.* Men. 2, 3, 82. *tum facito ante solis occasum ut venias advorsum mihi.* Mil. 2, 2, 14. *aggrediar hominem. estne advorsum? est quasi collaturus pedem.* Men. 3, 2, 22. *quis est hic, qui advorsum fit mihi?*

Cornel. Milt. 1, 4. *hic enim ventus a septentrionibus oriens adversum tenet Athenis proficiscentibus.* Quod afferunt Varronis de Re rust. 1, 55, 3. *qui quatiet ne adversum caedat: saepe enim ita percussa olea secum defert de ramulo plan-*

tam. omnes, quod sciam, libri exhibent *adversam:* intellige *olivam.*

6. Sed id, quod agitur versus aliquam rem, quoniam aut inimicum et adversarium esse potest, quod notat *contra*, aut benevolentia ducitur et amicam rem petit, quod significatur per *erga*, utrumque comprehendit usus vocabuli ADVERSVS. Id igitur ex utraque parte respondet graeco πρός. Conf. Vechneri Hellenolex. p. 439. Festus: *Adversus aut contrarium significat, aut idem quod erga.* in quibus bene dictis nescio cur Walchius (in Emendat. Liv. p. 251.) *contra, in significat* scribendum censeat. Popma de Different. verb. p. 13. (35.) „quum ad personam referuntur, hoc differunt, quod *adversus* levius est quam *contra:* nam *contra* inimicitias, dissidia et nocendi voluntatem ostendit: *adversus* etiam cum bona voluntate est et *erga* significat." Eadem docuerat Manutius ad Cic. Epist. ad Fam. 9, 22.

Vsurpatur igitur et adverbium et praepositio de impugnandi et defendendi conatu, et de hostili aggressu, et de defensione iuris.

Cornel. Pelop. 1, 3. *eos esse solos, qui adversus resistere auderent.* Liv. 37, 13, 8. *postquam nemo adversus ibat.* 42, 49, 7. *Persi autem regi, adversus quem ibat, famam et bello clara Macedonum gens — praebebat.* Liv. 9, 19, 14. *experti tamen sunt Romani Macedonem hostem adversus Antiochum.* i. e. bello adversus Antiochum. Tacitus Ann. 12, 29. *terrorem adversus victores* dixit, qui iniiceretur hostibus. Gaius Instit. 3, 84. *si adversus hanc actionem non defendantur.* 3, 168. *an — adversus petentem exceptione doli mali defendi debeat.* Eutrop. 2, 2. *T. Quintius dictator adversus Gallos — missus est.* Caesar B. Civ. 1, 46. *gladiis destrictis impetum adversus montem in cohortis faciunt.* Personae nomen cum belli nomine commutavit Livius in his. 8, 2, 5. *Samnites, copiis iisdem, quibus usi adversus Romanum bellum fuerant, contra Sidicinos profecti haud in dubia spe erant mature urbis hostium potiundae.* 26, 25, 10. *bellum inferre Acarnaniae parat. Adversus quod Acarnanum gens et viribus impar* etc. Similiter, ut Gronovius notat, Iustin. 3, 6, 12. *igitur Athenienses adversus tantam tempestatem belli duos duces deligunt.*

Ex his facile colligitur, quid tribuendum sit distinctioni a veteribus grammaticis factae. Charis. Inst. 2. p. 207. *contra et adversus ita differunt, quod contra ad locum, ut con-*

tra basilicam, adversus ad animi motum, ut adversus illum facio: interdum autem promiscue accipitur. Conf. Popma l. c. Vid. Cort. ad Sallust. Iug. 101, 8. Nemo frequentius hanc dictionem usurpat Frontino, strategematum auctore.

Tum de quacumque re contraria et adversante, de eo, qui obloquitur, qui irascitur.

Cic. Verr. 3, 84, 195. *utrum tibi pecuniae conciliatae videntur adversum leges, adversum rempublicam cum maxima sociorum iniuria?* Anton. in Cic. Epist. ad Att. 15, 13. *quodsi duriorem te eius miserae et afflictae fortunae praebes, non contendam ego adversus te.* Plaut. Truc. 4, 2, 42. *quae adversum legem accepisti a plurimis pecuniam.* Tacit. Ann. 6, 16. Liv. 40, 44, 11. *adversum id senatusconsultum.* Plaut. Fragm. apud Festum s. v. *canitudinem: stultus est adversus aetatem et capitis canitudinem.* Terent. Hec. 4, 1, 19. *potius quam advorsum animi libidinem esset cum illo nupta?* Sueton. Ner. 17. *adversus patris voluntatem.* Conf. Drakenb. ad Liv. 1, 46, 2. Saepe Iurisconsulti *adversus edictum, adversus sententiam arbitri.* vid. Brisson. de Verb. signif. p. 41.

Cic. ad Att. 12, 3. *si uterque nostrum est aliquando adversus aliquem.* Sueton. Tib. 29. *si quid adversus te liberius sicut senator dixero.* Iurium auctores saepe *adversus aliquem cognoscere, experiri, provocare, appellare.* vd. Brisson. l. l. *formulam concipere adversus aliquem* Gaius Inst. 4, 46. Plaut. Stich. 4, 2, 11. *advorsum te fabulare illud quidem.* i. e. adversus commodum tuum: *gegen deinen Vortheil.* Tacit. Ann. 12, 4. *accipiendis adversum generum suspicionibus caritate filiae promptior.* 14, 1. *timeri, ne uxor saltem iniurias patrum, iram populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat.* Sueton. Calig. 51. *adversus barbaros quoque minacissimus.* Minuc. Fel. Octav. 38, 7. *philosophorum supercilia contemnimus, quos corruptores et adulteros novimus et tyrannos et semper adversus sua vitia facundos.*

Atque ut dicitur *invictus, firmus contra aliquid* et *in aliquid,* ita etiam *adversus* in his aliisque formulis ponitur.

Sallust. Iug. 43, 5. *quod advorsum divitias animum invictum gerebat.* ubi vid. Cortius. Tacit. Ann. 15, 21. *invictus adversum gratiam animus.* Sueton. Tiber. 28. *adversus convicia malosque rumores et famosa de se ac suis carmina firmus ac*

patiens. Phaedrus 5, 10, 1. *adversus omnes fortis veloces feras canis.*

Medici usurpant de remediis contra morbos adhibendis, alii etiam in metaphoris ad hanc rationem efformatis.

Celsus 5, 26, 22. *et adversus profusionem quidem in his auxilium est: adversus inflammationem autem in ipso sanguinis cursu.* 5, 26, 34. 5, 27, 4. Tacit. Ann. 15, 64. *clauso corpore adversum vim veneni.* Similiter Plin. Epist. 2, 17, 4. *egregium hae adversum tempestates receptaculum.* ubi etiam codex Pragensis omittit illud absonum *hae.* 15, 36. *sueti adversum fortuita adspectu principis refoveri.* i. e. ne fortuita animum supprimerent.

7. In bonam partem accipitur de re erga aliquem benevole atque officiose agenda, veluti de reverentia, pietate, gratia, deque officio et beneficentia. vid. Manut. ad Cic. Ep. ad fam. 9, 22. Heusinger. ad Cic. de Offic. 1, 11, 1. Ruhnken. ad Terent. Andr. 1, 1, 15.

Cic. de Nat. d. 1, 41, 116. *est enim pietas iustitia adversum deos.* de Off. 3, 6, 28. *quae qui tollunt, etiam adversus deos immortalis impii iudicandi sunt.* Senec. Cons. ad Polyb. 26. *adversus felicitatem tuam parum gratus es.* Quo sensu nonnulli etiam locum Terentii Andr. 1, 1, 15. de quo supra loquuti sumus, explicuerunt, coniunctis verbis *adversum te habeo gratiam.* Vellei. Pat. 2, 69, 5. *adversus merita ingratissimus.* Cic. de Off. 1, 28, 99. *adhibenda est igitur quaedam reverentia adversus homines et optimi cuiusque et reliquorum.* ubi verum perspexit Beierus. 1, 11, 33. *sunt autem quaedam officia etiam adversus eos servanda, a quibus iniuriam acceperis.* Liv. 3, 33, 8. *summa adversus alios aequitas erat.* 29, 8, 2. *ob egregiam fidem adversus Romanos.* 45, 8, 4. *pacis postea, quam cum summa fide adversus eum coluimus, meminisses.* Vid. Gronov. Obs. 2, 20. p. 390. (298.) Drakenb. ad Liv. 5, 35, 4. 29, 8, 2. Tacit. Ann. 11, 17. *quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam numquam omisisset.* Alia vide apud Vechnerum Hellenol. p. 440. In Tacit. Ann. 4, 69. *non alias magis anxia et pavens civitas egens adversum proximos.* Iac. Gronovius intellexit omissum *fide,* quod omitti non potuit, nec placet intelligere civitatem in eo destitutam, quod ad proximos pertineret. Excidisse videtur aliquod vocabulum. Ann. 12, 20. *quanta pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices utendum.*

8. Sed omnino de animo atque agendi modo quocum-

que usurpatur, qui conversus est ad aliquem hominem, et necessitudinem quamdam constituit cum aliquo: quod vernacula lingua nostra similiter designat: *gegen, sich gegen einen verhalten, benehmen.* Vnde fit, ut *adversus* rationem etiam eam exprimat, qua rei dirigendae modus potestatem ipsius rei effert, et, quatenus ipsa res valeat, ostendit. Nos dicimus *in Bezug*, *in Hinsicht auf.*

Cic. ad Fam. 11, 27, 11. *quonam modo me gererem adversus Caesarem, usus tuo consilio sum.* ad Fam. 9, 22, 15. *te adversus me omnia audere gratum est.* i. e. mea caussa, in rem meam. Tacit. Ann. 2, 71. *si fato concederem, iustus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus liberis patriae intra iuventam praematuro exitu raperent.* 1, 65. *lentae adversum imperia aures.*

Liv. 5, 35, 4. *quamquam adversus Romanos nullum eis ius societatis amicitiaeve erat.* Cic. de Off. 3, 29, 108. *cum iusto enim et legitimo hoste res gerebatur: adversus quem et totum ius fetiale et multa sunt iura communia.* Tacit. Ann. 3, 29. *privignis cum vitrico levior necessitudo quam avo adversum nepotem.* 11, 54. *tunc solida domi quies et adversus externa floruimus.* Germ. 23. *adversum sitim non eadem temperantia.*

Cic. ad Fam. 3, 13, 8. *quum haec scribebam, censorem iam te esse sperabam: eo brevior est haec epistola, et, ut adversus magistrum morum, modestior.* In his *adversus* non idem est quod *ad*, quasi dici possit, *epistolam adversus aliquem scribere* vel *mittere*, sed quum adsit magister morum, *in Hinsicht auf einen Sittenrichter.* Tacitus Ann. 15, 63. scripsisse videtur, ut habet codex Florent.: *complectitur uxorem, et paullulum adversus praesentem fortitudinem mollitus, rogat oratque, temperaret dolori.* sed duplex esse videtur horum verborum sensus. Seneca enim, cui amicorum lacrimae antea in modum coercendae erant, nunc fortissima uxore conspecta narratur paullulum mollitus fuisse, sive respiciens ad praesentem fortitudinem, quod nos dicimus *in Bezug auf diese Standhaftigkeit*, sive coram praesenti hac fortitudine: de quo usu paullo ante expositum est. Praesens fortitudo est prompta, quae sic se praestat.

Gaius in Dig. 41, 3, 5. *quo casu non adversus eum tantum, qui eripit, interrumpitur possessio, sed adversus omnes.* Pomponius in Dig. 38, 16, 4. *hi, quorum parens capite minutus est, legitimae hereditatis ius et in ceteris personis et inter se retinent, et alii adversus eos.* Vlpian. in Dig. 49, 1, 3, 1.

quasi adversus eos acquieverit sententiae. In his *adversus* significat rem ad aliquam personam referri: *in Bezug auf.*

9. Haec eadem est ratio, ex qua Vlpianus *adversus* pro *secundum* etiam in formulis, quae contrarium sensum admitterent, usurpare, atque adeo vocabulo *contra* opponere solebat. Fragm. 28, 1. *bonorum possessio datur aut contra tabulas testamenti, aut adversus tabulas, aut intestati.* quod infra paragr. 5. explicat *secundum tabulas.* 20, 14. *nullius certae civitatis sciens, ut adversus leges civitatis suae testetur.* vid. Cuiac. et Schulting. in Iurispr. vet. anteiust. p. 631. 671.

10. ADVERSVS, ubi praepositionis officio fungitur, post suum vocabulum poni posse, communis est plurimarum praepositionum conditio. vide Ruhnken. ad Vellei. Pat. 2, 101, 2. Id autem potissimum fieri in pronomine, certe apud Cornelium, Bremius notavit ad Cornel. Con. 2, 2.

Cornel. Con. 2, 2. *hunc adversus Pharnabazus habitus est imperator.* Timoth. 4, 3. Sallust. Iug. 101, 8. *quos advorsum ierat.*

11. Tmeseos exempla exstare dicunt apud Sallustium duo Iug. 58, 4. *animadvertit, fugam ad se vorsum fieri.* et c. 69. *Vagenses ubi animum advortere, ad se vorsum exercitum pergere:* sicuti alia apud auctor. Belli Hisp. 10. et 11. *ad Cordubam versus.* Sed adverbii significationem *versus* per se constare probat exemplum, quod comparant Catil. 56, 4. *ad urbem modo, modo in Galliam versus castra movere.* Ita *adversus se* et *ad se versus* loquutiones sunt haud plane eiusdem potestatis.

12. ADVERSVS QVOD et, ut aliis visum est, etiam ADVERSVS QVAM sensum habent verborum *aliter atque, contra atque*, sicuti dicitur *contra quam.*

Liv. 32, 2, 5. *Gaditanis item petentibus, ne praefectus Gades mitteretur, adversus quod iis in fidem populi Romani venientibus cum L. Mario Septimo convenisset.*

Plaut. Trin. 1, 2, 139. *utrum indicare me ei thesaurum aequom fuit, advorsum quam eius me obsecravisset pater.* Ita codices. Sed editiones veteres *advorsum quod:* idque probaverunt Acidalius et Hermannus. Conf. Gronov. ad Liv. 30, 10, 4.

ADVSQVE.

ADVSQVE eamdem habet conformationem eumdemque usum, qui in vocabulo *abusque* grammaticorum excitavit dubitationes. Servius ad Virgil. Aen. 11, 262. *adusque autem sic est dictum, quemadmodum Siculo abusque Pachyno: nam quum praepositio praepositioni numquam cohaereat, abusque et adusque licenter admissum est.* Vide cetera quae de voc. ABVSQVE notavimus. Sensus huius verbi per se patet. Conf. p. 77. de voc. AD. Qui et praepositionem et adverbium, interdum, ut videtur, versus explendi caussa, usurparent, poetae erant augustei aevi, Horatio non antiquiores, et recentiores prosae orationis scriptores, Gellius, Apuleius, Ammianus, et alii.

Horat. Sat. 1, 1, 97. *adusque supremum tempus ne se penuria victus opprimeret, metuebat.* 5, 96. *via peior adusque Bari moenia piscosi.* Virgil. Aen. 11, 262. *Atrides Protei Menelaus adusque columnas exsulat.*

Gellius N. Att. 15, 2. *praeterea vini libidine adusque ludibria ebriosus.* Apulei. Metam. 10. p. 246. *risu ipse quoque latissimo adusque intestinorum dolorem redactus.* Ammian. Marc. 19, 1. *post interneciva certamina adusque finem diei protenta.* Solinus Polyhist. 56. *omne illud mare ab India adusque Gadis voluit intelligi navigabile.*

Ovid. Met. 4, 20. *oriens tibi victus, adusque decolor extremo qua tinguitur India Gange.* Apuleius Met. 2. p. 147, 6. *et cum dicto iuvenem quempiam linteis amiculis intectum, pedesque palmeis baxeis indutum, et adusque deraso capite producit in medium.* Wowerius coniecit *ad os usque*, Elmenhorstius *adusque cutim.* Sed Pricaeus bene comparat Plaut. Bacch. 5, 2, 7. *attonsae hae quidem ambae usque sunt.* Conf. Barthii Adversar. 39, 15.

Mirum in modum loquitur Tertullianus de Virg. veland. 3. *tamen tolerabilius apud nos adusque proxime utrique consuetudini communicabatur.*

AEQVE.

AEQVE adverbium, cuius significatio nullam ambiguitatem habet, notandum hic est propter varietatem constructionis. Nam ex nomine *aequus* desumptum, quod ad modum verbi εἰκός formatum esse docuerunt

Angelus Caninius et Ios. Scaliger, significat *ex aequo*, *aequaliter*, et idem fere est, quod *pariter* et *similiter*: siquidem per vocabulum *pariter* proprie designamus unum plurium rerum numerum et ambitum, per *similiter* rem ex parte aequalem. In *aeque* intelligitur universa, quae eadem duabus rebus communis est, conditio. Cicero quum de Offic. 2, 8, 30. de benevolentia dixisset, *ea non pariter omnes egemus*, paullo post addit *honore et gloria et benevolentia civium fortasse non aeque omnes egent.* Sueton. Aug. 56. *ut tamen pari iure essent, quo ceteri, legibusque iudiciariis aeque tenerentur.* In aliis autem locis maior aequalitatis vis apparet in vocabulo *aeque*, quod ipsi verbo *par* additur. Plaut. Men. 5, 9, 60. *M. uter eratis, tun' an ille maior? M. SV. aeque ambo pares.* — Cic. ad Fam. 9, 13, 4. *non possum ego non aut proxime atque ille, aut etiam aeque laborare.* — Graeci dicunt ἴσον et αὔτως.

1. Componuntur igitur hoc modo comparandae res aequales. Quare construitur AEQVE cum coniunctionibus copulativis, praesertim quae aequiparationi inserviunt, *et*, *atque*, *que*, *ac si*, et cum praepositione *cum* apud comicos. Ex vulgari usu scriptores quidam haud mali acceperunt, quae Ciceroni non placuit, compositionem verborum *quam*, *ut*, *quam ut*, atque adeo in comparatione per ablativum expressa apposuerunt *aeque*. Petronius hac ratione dixit *aeque — tamquam.*

AEQVE — ET. Cic. Tusc. 2, 26, 62. *cuius in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non esse aeque graves imperatori et militi.* de Orat. 3, 50, 192. *versus aeque prima et media et extrema pars attenditur.* Pallad. de Re r. 1, 6, 7. *viae malitia aeque et voluptati et utilitati adversa est.* Cic. de Fin. 1, 20, 67. *nisi aeque amicos et nosmet ipsos diligamus:* ubi librarii de sua consuetudine *ac* dederunt, sicuti 4, 23, 64. 24, 66. 27, 76. pr. Rosc. Com. 1, 2 *aeque enim tabulae condemnantur eius, qui verum non retulit, et eius, qui falsum perscripsit.* pr. Mur. 13, 28. p. Cluent. 69, 195. Vlpian. in Dig. 47, 18, 1. 2. *oportebit autem aeque et in effractores et in ceteros supra scriptos caussa cognita statui, prout amissum suggerit.* non cohaerent, ut Stewechius existimavit, verba *aeque prout*, sed *aeque et — et.* Graeci eodem modo ἴσον καί, ἴσα καί componunt. Sophocl. Oed. Tyr. 611. Thucyd. 3, 14.

AEQVE — ATQVE, AC, AC SI. Plaut. Aul. 2, 4, 18. *pumex non aeque aridus atque hic est senex.* uti restituendum esse bene

demonstravit Lingius Plaut. Quaest. 1. p. 7. Varro de Re r. 3, 8, 2. *aeque latum ac mutilus a pariete exstare potest.* Cic. ad Fam. 13, 69. *sed me colit et observat aeque atque illum ipsum patronum suum.* de Nat. d. 3, 18, 45. de Amic. 6, 22. *quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aeque ac tu ipse gauderet?* ad Fam. 2, 2. *me certe habebis, cui et carus aeque sis et iucundus ac fuisti patri.* Brut. 71, 248. *qui tibi sunt aeque noti ac mihi.* pr. Rosc. Am. 40, 116. Matius in Cic. ad Fam. 11, 28, 7. *civibus victis ut parceretur aeque ac pro mea salute laboravi.* Celsus 6, 15. *et id quidem, aeque adustum atque excisum, sine ea curatione, quae corpori manu adhibetur, impleri non potest.* Tacit. Hist. 4, 5. *Quaestorius adhuc — e moribus soceri nihil aeque ac libertatem hausit.* Terent. Phorm. 1, 2, 43. *numquam aeque, inquit, ac modo paupertas mihi onus visa est et miserum et grave.*

Cic. ad Fam. 13, 43, 3. *Egnatii absentis rem ut tueare, aeque a te peto, ac si mea negotia essent.* ad Herenn. 2, 13, 19. *consuetudine ius est id, quod sine lege aeque, ac si legitimum sit, usitatum est.* Liv. 10, 7, 4. *tum P. Decium consulem purum piumque deis immortalibus visum, aeque ac si T. Manlius collega eius devoveretur.* 44, 22, 5. Cornel. Eum. 5, 6. *quo factum est, — ut iumenta aeque nitida ex castellis educeret, — ac si in campestribus ea locis habuisset.* Columel. de Re r. 9, 5, 2. *aeque enim dedignatur, si minus pure habita est, ac si tractetur fraudulenter.*

Aeqve — qve. Exemplum huius compositionis non notatum habeo. Tamen quod in adiectiva forma fert usus, ad adverbium quoque attinet. Horat. Carm. 2, 18, 32. *aequa tellus pauperi recluditur regumque pueris.* 1, 4, 13. ubi vid. Mitscherlich.

Aeqve — qvam. Plaut. Mil. 2, 5, 55. *qui aeque faciat confidenter quidquam, quam quae mulieres faciunt.* Epid. 2, 3, 1. *nullum esse opinor ego agrum in agro Attico aeque feracem, quam hic est noster Periphanes.* Liv. 28, 26, 14. *nihil aeque eos terruit, quam praeter spem robur et color imperatoris.* Sueton. Claud. 35. *sed nihil aeque quam timidus ac diffidens fuit.* i. e. maximopere timidus. Columel. de Re r. 8, 10, 2. *locum aeque munitum et apricum quam columbi desiderant.* 8, 17, 13. 5, 5, 7. ubi codices alii *non tam bene* praebent pro *non aeque bene.* Liv. 5, 6, 11. *an est quidquam, quod Veientibus optatum aeque contingere possit, quam ut*

seditionibus primum urbs Romana, deinde velut ex contagione castra impleantur? 5, 3, 4. *an est quisquam, qui dubitet, nullis iniuriis vestris, — umquam aeque quam munere patrum in plebem, quum aera militantibus constituta sunt, tribunos plebis offensos ac concitatos esse?* i. q. non aeque offensos ullis iniuriis. 31, 1, 3. Sueton. Aug. 64. *ac nihil aeque elaboravit, quam ut imitarentur chirographum suum.* Galb. 4. Aug. 89. Plin. Epist. 2, 15, 1. *nihil enim aeque gratum est adeptis quam concupiscentibus.* ubi vid. Schaefer. Tacit. Hist. 2, 10. *contra apud alios nihil aeque reo proderat quam nimia potentia accusatoris.* Ann. 14, 38. Hist. 4, 52. *Vespasianus, haud aeque Domitiano mitigatus quam Titi pietate gaudens, bono esse animo iubet.* De hac dictione Schwartzius in Tursellini editione prima p. 73. notavit: scriptores aureae latinitatis rarissime *aeque* cum *quam* coniungere, si Livium exceperis: in tertia editione demonstrat, etiamsi Livius ita loquatur, scriptores aequales et superiores ita loqui non consuevisse, sed pertinere id ad patavinitatem huius scriptoris. At Plauti exempla vetusta auctoritate praestant. In Cicerone nusquam legitur, neque in Caesare. Quare ad germanismos refert Noltenius p. 1321. haec: *aeque bene litteris operam dat quam ille:* quo iure, intelligetur ex locis allatis Livii 31, 1, 3. et Columellae. In reliquis enim plurimis negatio adhaeret *nihil aeque, haud aeque.*

Aeqve — vt. Varro in Eumenid. apud Non. 1, 151. *nam ut arquatis et veternosis, lutea quae non sunt, aeque ut lutea videntur, sic insanis sani et furiosis videntur esse insani.* sed 16, 10. legitur *aeque et lutea.* Cic. p. Domo 11, 30. *itaque libentissime praedicabo Cn. Pompeium studio et auctoritate, aeque ut unumquemque vestrum, opibus, contentione, — praecipue pro salute mea laborasse.* quod miror ab orationis huius censoribus omissum esse: nam aliud certum exemplum huius usus nullum inveni in Cicerone. In Philipp. 12, 12, 27. corrupta erat scriptura, quam emendavit Vbaldinus: *possumusne igitur in Antonii latrocinio aeque esse tuti.* pro *ut hi.* Quare Goerenzius, nisi certiora documenta parata habebat, dubitare debebat de corrigendo loco Fin. 1, 20, 67. *nam et laetamur amicorum laetitia aeque atque nostra:* ubi, quod restituit, *aeque ut nostra,* profectum videtur a scribarum consuetudine. Hadrianus Cardinalis de Modis latine loq. p. 9. ex Cicerone ad Atticum affert haec: *et simul quod aeque ea quae sunt, ut ea quae certe futura sunt, videre non possum.* quae mirifice interpolata sunt. Est enim locus Epist. 9, 19. *et simul, quod ea, quae fiunt, aut quae certe futura sunt, videre non pos-*

sum. In Tibull. 4, 12, 2. variant libri: *ne tibi sim, mea lux, aeque iam fervida cura, ac videor paucos ante fuisse dies.* ubi I. H. Vossius iterum restituendam censuit rariorem formam *ut videor.* At ipsa raritas non commendat vocabulum: immo librariis ex sui temporis usu non minus tritum erat *aeque ut.* Nihil probat Horat. Carm. 1, 16, 7. ubi Rodelius et Bentleius mutato *sic* in *si* coniunxerunt *aeque — ut.* Sed Plin. Hist n. 23, 4, 45. *idemque proficeret aeque ut rosaceum.* Plin. Epist. 1, 20, 1. *cui nihil aeque in caussis agendis ut brevitas placet.* Lactant. Inst. 7, 10, 6. AEQVE — VT QVASI. Plaut. Asin. 5, 1, 11. *quem videam aeque esse moestum, ut quasi dies si dicta sit.*

AEQVE — CVM. Plaut. Asin. 2, 2, 66 *animum adverte, ut aeque mecum haec scias.* Terent. Phorm. 5, 9, 43. *novi aeque omnia tecum.* Plaut. Poen. prol. 47. *aeque ut mecum sitis ignarures.* Alia est ratio in Asin. 4, 1, 26. *tecum una postea aeque pocula potitet, abs te accipiat, tibi propinet, tu bibas, ne illa minus aut plus quam tu sapiat.* ubi neque sensum verborum, neque vim comicam percepit Bothius corrigens, *tum bibat.* Cohaerent verba *aeque potitet, ne plus quam tu sapiat,* et opponuntur inter se *tibi propinet, tu bibas.* Schellerus male coniunxit verba *tecum una aeque,* ut essent *non plus quam tu.*

Plaut. Amph. 1, 1, 137. *nullus est hoc meticulosus aeque.* Curc. 1, 2, 51. *qui me in terra aeque fortunatus erit.* Beierus me monet, hunc esse ablativum, cui alias praemittatur *prae* i. e. iuxta. Plin. Hist. n. 35, 2, 6. *quibus* (picturis) *equidem nullas aeque demiror tam longo aevo durantes in orbitate tecti.* i. e. aeque atque illas. Hoc eodem modo Harduinus emendare voluit 24, 8, 32. *gutta aeque propoli ex aqua efficax.* Sed scribendum est: *gutta quoque, aeque ac propolis, ex aqua efficax.* Libri enim exhibent *quoque aquae:* sicuti in Pallad. de Re r. 1, 6, 7. Et *quoque aeque* coniunxit Sulpicius in Cic. Epist. ad Fam. 4, 5, 19.

Petronius 78. *spero, inquit, futurum, ut aeque me mortuum iuvet, tamquam vivum.* quod non magis offendere potest quam illud Plautinum *aeque — ut quasi.* Vlpian. in Digest. 49, 1, 3, 1. *sed illud cecidit in quaestionem, si plures habuerit adversarios, et quorumdam nomina libellis sint complexa, quorumdam non, an aeque perscribi ei possit ab his, quorum nomina comprehensa non sunt, quasi adversus ipsos acquieverit sententiae.*

2. Etiam *aeque — aeque* in comparandis duabus

rebus ita sibi opponi docent Schwartzius in Tursellino aliique. Quae ille affert, duo sunt exempla Taciti Hist. 1, 7, 4. *eadem novae aulae mala aeque gravia, non aeque excusata.* Agr. 15. *aeque discordiam praepositorum, aeque concordiam subiectis exitiosam.* Ad haec Ernestius: „primum exemplum est alienum: in altero est anaphora non elegantissima: nisi forte etiam legendum: *aeque discordiam p. atque concordiam s. e.*" Et ad ipsum Tacitum: „Dubitanter alicubi tentavi *atque concordiam.* Nam *aeque* comparat duo inter se, h. l. discordiam et concordiam, inter quae semel tantum locum habet, ut *perinde.* Schwartzius tamen ad Tursellini librum de part. rarissimum hoc esse dicebat, sed conferebat locum alium Taciti H. 1, 7. qui est plane dissimilis, ut iam alibi dixi. Nam cuivis apparet hic mala novae aulae comparari malis veteris aulae: ita dicit fuisse aeque gravia atque veteris aulae mala, sed non aeque excusata atque illa. Similior et ad locum praesentem tuendum accommodatior locus Horatii Epist. 1, 1, 25. *aeque pauperibus prodest, locupletibus aeque*, quem mihi suggessit Gesnerus." Ipse Gesnerus in Enchiridio coniecit, in Agricola scribendum esse *atque:* quod ego quoque feci in notis ad Gronovii Diatrib. p. 411. probaverunt, ut audio, Barkerus in animadvers. ad Taciti Germ., Dronkius, alii. Quidquid decernatur aliquando de integritate loci Horatiani, quem ipse olim non tantum ob usum particulae in dubium vocaveram, nunc solerter defendit Obbarius, poetae quidem licuit sua verba sensui animi commoti accommodare: verumtamen, totus si versus ab omni suspicione vindicatus erit, illud, quod aliqui codices praebent, *locupletibus atque*, vix poterit probari. Alia est caussa in Taciti Agricola, ubi anaphorae nullus conceditur locus. Nec sufficit defensio ab Hertelio nuper proposita, quasi in verbis *aeque — aeque* paria componantur, non autem comparentur. Nam ipsum vocabulum *aeque* in se habet nativam comparationis notionem, sicuti *atque* vim copulativam. Tamen veram nunc puto scripturam, quoniam ubi *atque* emendatur, sententiae vis in altera parte infringitur, nec prorsus improbaverim rationem a Brüggemanno in progr. Dusseldorp. 1824. edito p. 19. modo non recte expositam. In *aeque — aeque* enim comparatio fit ex utraque parte vicissim. Similis est dictio *ut vidi, ut perii,* ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην. de qua vid. Matthiae ad Eurip. Electr.

155. Si scribimus *aeque discordiam atque concordiam*, tamquam concessum et certum ponimus, concordiam praepositorum semper exitiosam esse subiectis: in verbis *aeque — aeque* sensus inest hic: sive discordes essent praepositi sive concordes, aeque exitiosam esse conditionem subiectorum.

3. Contrahitur oratio, suppressa comparatione, ubi AEQVE additur adiectivis, adverbiis et verbis: quem usum, nescio an non recte, absolutum vocant grammatici. Complementum sententiae interdum in rei natura, vel in alia accessione reconditum est. Ita etiam Graeci. vid. Hermann. ad Sophocl. Phil. 424.

Terent. Andr. 2, 6, 3. S. *Quid, Dave, narrat?* D. *aeque quidquam nunc quidem.* in quibus explicandis vel emendandis operam perdiderunt critici. Schellerus coniecit *non quidem*, Godofred. Wolffius in Dissert. Gubenae 1811. edita *quid? neque quidquam n. q.* At intelligatur in voc. *aeque*, gestu manus Davum notasse silentium. Sueton. Tiber. 2. *exstant et feminarum exempla aeque.* i. e. ac virorum. Cornel. Hann. 4, 3. *hoc itinere adeo gravi morbo afficitur oculorum, ut postea numquam dextro aeque bene usus sit.* i. e. ac sinistro oculo.

Plaut. Mil. 4, 2, 73. *tum argenti montes, non massas habet. Aetna mons non aeque altus.* Pseud. 2, 4, 55. Terent. Phorm. 3, 3, 32. *nihil est, aeque quod faciam lubens.* Liv. 7, 29, 6. *unde aeque facilis victoria, praedae atque gloriae plus esset.* Cic. de Fin. 4, 33, 62. *eius, qui honeste viveret, si idem etiam bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam — quam illius, qui aeque vir bonus multis modis esset — circumventus morbo, exsilio atque inopia.* Liv. 29, 19, 2. *quum — legatum aeque sontem, aut magis etiam, in ea potestate reliquerit.* 29, 19, 4. Lactant. de Opif. 13, 7. *digiti aeque totidem, quot in manibus.*

Plaut. Most. 1, 3, 85. *pro illius capite quod dedi, numquam aeque id bene collocassem.* Cic. ad Fam. 5, 21. *erat nemo, quicum essem libentius quam tecum, et pauci, quibuscum essem aeque libenter.*

Ennius apud Gell. 11, 4. *eademque oratio aequa non aeque valet.* ex Euripidis Hecuba 295. λόγος — οὐ ταὐτὸν σθένει. Plaut. Amph. 1, 3, 11. *satin habes, si feminarum nulla'st quam aeque diligat.* v. 51. Mil. 4, 7, 10. *quaevis alia quae mora est aeque, mora minor ea videtur, quam quae propter*

mulierem est. Cic. ad Fam. 4, 6, 1. *quantum enim praesens me adiuvare potueris et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod litteris lectis aliquantum acquievi.* i. e. atque ego doleo.

Immerito igitur Noltenius p. 1318. germanismi nomine reprehendit verba: *aeque multum nobis porrigit.* vid. Liv. 31, 1, 3. Quod vero in Cic. de Offic. 2, 20, 69. olim placuit Facciolato: *aeque enim a se aut postulari, aut exspectari aliquid suspicantur.* an in Cicerone alterum haberet exemplum, demonstrandum erat. Neque vero umquam veteres scriptores adverbium hoc posuerunt in coniungendis sententiis pro *que*, *atque.* In Caesar. B. Civ. 2, 44. extr. Oudendorpius edidit: *paucis diebus, quae fieri vellet, Vticae constituit atque imperavit: diebus aeque post paucis se in regnum cum omnibus copiis recepit.* quod et ob ipsum vocabulum *aeque* pro *que*, *et ita* positum et ob ordinem verborum *aeque post paucis* non probari debebat. Caesar scripsit *diebusque post paucis* Corruptus etiam est locus Bell. Alexandr. 56. *aeque autem Romanorum dilectum instituit.* Lactantius Instit. 6, 9, 22. dixit etiam *nec aliter — aeque non aliter.* Talia enim non nisi in Lactantio obvia sunt. vid. Inst. 3, 27, 15. cf. Bünemann. ad 3, 17, 37. 5, 9, 24.

4. Sicuti in exemplis, in quibus plures res unius aequalis conditionis nominantur, per copulam *et — et* coniunctae, aut certe ad unam rationem referuntur, propria per se constat vis vocabuli AEQVE, ita etiam tum, quum verba *uterque*, *omnes* et numeralia ponuntur. Neque aliter in formulis *aeque facere*, *aeque ferre*, si quis ita dixerit, ut dicitur *inique ferre.*

Plaut. Pers. 4, 3, 4. *tragici et comici numquam aeque sunt meditati.* Cornel. Iphicr. 1, 5. *quod aeque corpus tegeret et leve esset curavit.* Conf. quae antea dedimus p. 190. — Sallust. Cat. 11. *nam gloriam, honorem, imperium bonus ignavus aeque sibi exoptant.* alii codices *bonus et ignavus*, quod miror Gerlachium denuo in textum recepisse. — Cic. de Fin. 4, 27, 75. *aeque enim contigit omnibus fidibus, ut incontentae sint: illud non continuo, ut aeque incontentae.* pr. Quint. 28, 86. *procurator aeque utriusque necessarius.* ad Fam. 13, 18. *etsi utrique nostrum prope aeque gratae erant* (litterae) etc. Virgil. Georg. 3, 118. Ovid. Trist. 3, 8, 33. Fast. 1, 226. Plaut. Asin. 3, 3, 51. *non omnia eadem aeque omnibus, here, suavia esse scito.* Terent. Hec. 2, 1, 2. *utn' omnes mulieres eadem aeque studeant?* Cic. de Off. 2, 8, 31.

vd. Gernhard ad 1, 16, 50. Caes. B. Civ. 2, 10. *duae primum trabes in solo aeque longae — collocantur.* Plaut. Bacch. 5, 2, 28. *atque ambo aeque amicas habent.* Sueton. Aug. 101. *cum tribus signatis aeque voluminibus.*

Plaut. Mil. 3, 1, 189. Pe. *ingenuamne an libertinam?* Pa. *aeque istuc facio.* Alio sensu dictum est Mil. 5, 22. *sed mihi id aeque factum arbitror.* si integra est scriptura. In Sulpicii Epist. ad Cic. 4, 5, 19. alii coniunxerunt *aeque ferre*, ego vero refero *aeque* ad ea, quae antecedunt: *vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam —: fac aliquando intelligamus, adversam quoque te aeque ferre posse, neque id maius, quam debeat, tibi onus videri.*

Sallustius in Fragm. quod legitur apud Servium ad Virg. Aen. 3, 265. *aequius* dixisse traditur pro *aequiore animo, libentius: sin vis obsistat, ferro quam fame aequius perituros:* sed potest esse *mitiori poena*, vel etiam *melius*, *potius*, ut loquitur Plaut. Rud. 2, 2, 16. E Senec. Med. 200. quod afferunt *aeque* pro *iuste* positum, falsum est: ibi enim omnes libri exhibent *aequum.* Vnus igitur praeter Plauti locum antea allatum restat Sidonius, qui Epist. 5, 11. *iocaris ut qui facetissime, iudicas ut qui aequissime.*

5. Ex his, quae attulimus, exemplis facile colligitur, in plurimis negationis esse locum, atque verba *non aeque*, *nihil aeque* formularum usum habere, maxime ubi sequitur *quam.* Raro enim dicitur *non pariter*, numquam *nihil pariter quam.* Conf. quae in ADAEQVE observavimus. Cuius rei caussam in eo conspicio, quod *aeque* ipsam rerum conditionem designat, *pariter* autem collocationem rerum praesentium.

6. Per verba Plauti Men. 3, 2, 27. *fecisti funus me absenti prandio. Cur ausu's facere, quoi ego aeque ac heres eram.* demonstratum iverunt grammatici, *aeque ac* pro *instar* vel *idem* poni, veluti nos dicimus *so gut als ein Erbe.* At ipsum illud *ac* ante *h* litteram positum corruptelam, quae omnibus libris communis est, prodit. Codices Camerarii *quo* vel *quoi ego ea quae heris heram: cui ea quae heris heram.* antiqua editio Veneta anni 1499. *cui ego quae eras hera.* codex Beroaldi, cuius lectiones notatas habeo, *cui ego quies eram.* Scribendum esse videtur: *cur ausu's facere, quoi ego aeque heres eram.* i. e. cui ego quoque heres eram.

7. Non magis vera erat opinio, qua vocabulo AE-

QVE tribuerent significationem verbi *tamen*, imprimis in loco Sallustii, quem accuratius tractemus. Iug. 101, 3. *ita Iugurtham spes frustrata, qui copias in quatuor partis distribuerat, ratus ex omnibus aeque aliquos ab tergo hostibus venturos.* Cortius coniunxit verba *aeque ab tergo*, eaque vertit *gerade von hinten zu*, h. e. ut ait, aequaliter, iuste et directo ab tergo: quod prorsus absonum. Müllerus in voce *aeque* vim graecae particulae ἴσως quaesivit, Gerlachius explicuit ὅμως, *tamen*: uterque rationem reddere eamque exemplis confirmare omisit. Wassius etiam alienum tribuit particulae significatum *facile* vel *fere, prope.* Omnia haec mirabili audacia conficta sunt. Iugurtham sua spes fefellerat, dum Marius in quadrati agminis statione persistit: ipse enim copias in quatuor partes ita distribuerat, ut, ubicumque Marius processisset, ex omnibus his copiis aequo modo paratum esset aliquibus, ut hostibus ab tergo venirent. Cohaerent igitur verba *ex omnibus aeque:* quod, si rem ad hostium impetum retuleris, idem valet, ac si dixisset, in quocumque hostium incessu. Si quis tamen ad confirmandam sententiam, ex qua *aeque* pro *tamen* positum esse dicunt, locum adhibuerit Ovidii Trist. 2, 145. *ipse licet sperare vetes, sperabimus aeque.* meliores libri, etiam Erfurtensis, cuius lectiones apud me sunt, exhibent *sperabimus: atque hoc unum fieri te prohibente potest.* Vlpian. in Digest. 1, 16, 9, 5. de proconsule: *sed si quis per potentiam adversarii non invenire se advocatum dicat, aeque oportebit ei advocatum dare.* in his *aeque* non est *tamen*, sed respondet iis, quae antecedunt, de feminis et pupulis advocatos petentibus.

8. Alii sunt quidam loci, in quibus lexicorum auctores verbis NON AEQVE novam impingere conati sunt significationem, qua esset *non facile, mediocriter, nicht eben, nicht sonderlich:* veluti Cic. de Orat. 3, 13, 50. *easdem res autem simulac Fufius aut vester aequalis Pomponius agere coepit, non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo: ita confusa est oratio.* Et in Pison. 39, 94. *ecquid vides, ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? non aeque legetur, quisquis voluerit: nec, quisquis noluerit. non legetur.* In primo isto loco respicere oportet ad ea, quae proxime antecedunt: *isti enim, qui ad nos caussas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut*

non desideres planius dici. Igitur *non aeque* est *non item.* In altero loco Ernestius iam desideravit non modo elegantiam, sed ipsam latinitatem, ideoque correxit *non, neque:* quod Ciceroni quidem non placuisset. Intelligimus vero, non aeque hac in Pompeii lege iudiciaria iudices legi atque antea.

9. Abundare AEQVE videbatur Thomasio in illo Plaut. Capt. 3, 5, 42. *nec est quisquam mihi, aeque melius cui velim.* Taubmannus comparativum pro positivo accipiebat: Ernestius *aeque* ad verbum *velim* referri posse arbitrabatur. At plena haec esset oratio: cui aeque melius ac ceteris omnibus velim: neque improbari potest, si quis *melius velle* cum formula *melius est* comparaverit, in qua utraque comparativi vis minuatur. Certe non potest cum his componi usus vocabulorum *tam, adeo* comparativo additorum. In Terent. Heaut. 4, 3, 7. *cui aeque audisti commodius quidquam evenisse.* boni codices praebent *commode quidquam.*

Contraria criticorum sententia, qua in quibusdam locis, ubi *atque* et *quam* leguntur, omissum esse adverbium *aeque* existimaverunt, quum ad haec vocabula pervenerimus, nobis erit memoranda atque reiicienda.

10. Componuntur verba PROPE AEQVE. Vid. Cic. in locis ad Fam. 13, 18. et 4, 6. supra p. 196. allatis. In eumdem modum correxit Beierus Cic. de Off. 2, 8, 30. *haec est enim una res prorsus, ut non multum differat inter summos et mediocris viros, eaque utrisque aeque propemodum comparanda:* ubi vulgo legitur *utrisque est propemodum c.* Sed qui hic postulatur sensus, in his ipsis verbis inest: nam quod non multum, tamen aliquid differt inter summos et mediocres viros, id utrisque propemodum comparandum dicitur.

AFFATIM.

Magna est inter veteres et recentiores grammaticos dissensio de origine vocabuli AFFATIM. Festus, *adfatim,* ait, *dictum a copia fandi.* Etiam Priscianus 8. p. 826. (14, 73.) et 15. p. 1013. (4, 19.) a *fateor* et *affatu* derivat, sed in syllabae mediae modulo offensus, addit: *vel magis a graeco ἀφάτως, id est abunde, et corripitur fa.* Hinc Vossius, in Etymologico s. v. *fatim,* graecum existimabat esse etymon, nisi quis ad remotiorem utrius-

que et graeci et latini verbi originem in vocabulo φάω reconditam descendere vellet. Alii *fatis* ponunt esse vocabulum, quod satietatem significet, et dici *ad fatim* pro ad satietatem. Quam sententiam non constanter tenens, Schellerus in *fatis* aliam formam verbi *satis* cognovisse sibi visus est, nec tamen expedit ipsius rei caussam. Sed haec omnia iterum ii turbant, qui *fatisco* a *fatim* et *hisco* deducunt, Servium ad Virgil. Aen. 1, 127. sequuti. Vid. Broukhus. ad Tibull. 1, 6, 31. Minime vero omnium comparari debebat graecum ἄδην, quod nec cognatione, nec sensu cum v. *affatim* cohaeret. Res universa ita se habere videtur. Antiquum erat vocabulum *fato*, quod idem fere atque *hisco* significabat, nostroque *klaffen* respondebat. Id referebatur ad res vel lassitudine vel abundantia hiscentes. Ex *fato*, *fatus* autem factum est *fatim*, sicuti ex *status statim*, ex *raptus raptim*, et addita terminatione verbali *fatisco*, uti in *hio*, *hisco*, et mutata vocali *fetisco*, unde *fessus*, quod proprie significat laxum, non adstrictum. vid. not. ad Stat. Silv. 1, 2, 59. *Fatim* igitur est, distentum, abundanter, plus quam satis. Atque hoc vocabulum olim in usu fuisse, testis est Servius, neque ulla apparet necessitas, ut inauditum substantivum fingamus *fatis*, quasi proprie dictum fuisset *ad fatim*. Nam quod affertur ex Plaut. Poen. 3, 1, 31. *ubi bibas, edas de alieno, quantum velis, usque adfatim*, ut scribamus *ad fatim*, nihil efficit ad stabiliendam sententiam, quam accentus ratio infringit. Veteres enim primam acuisse Annianus narrat apud Gellium 7, 7. Hic vero pergit: *caussamque esse huic accentui dicebat, quod adfatim non essent duae partes orationis, sed utraque pars in unam vocem coaluisset. — Addebat etiam quod ad proverbium tum ferme acueretur, quum significaret* ἐπίτασιν *quam intentionem nos dicimus, sicuti adfabre et admodum et adprobe dicuntur.* cf. Carolus ad h. l. p. 364. Atque hoc verum est: nam *ad* in *affatim* eam habet vim intensivam, de qua in voc. ADMODVM loquuti sumus. Accessione, quam *ad* proprie significat, notatur intensio et aucta rei conditio. Neque aliter Servius accepisse videtur ad Virgil. Aen. 1, 123. *fatim enim abundanter dicimus: unde et adfatim.* Et si veteres intellexissent *ad fatim*, quo modo adiungere potuissent genitivum, non video. *Fatigo* esse *fatim ago* docuerunt Vossius et alii. Ex eo autem, quod

Annianus animadvertit, suo tempore, non antiquo, media acuta pronuntiatum esse *affátim*, facile colligi potest, quod iam Doederlinus in Synon. Lat. 1. p. 110. fecisse videtur, recentiori demum aetate vocabulum distractum esse ab iis, qui *ad* pro integra praepositione acciperent. Alia vero opinio, qua idem Doederlinus omni tempore diversas verbi formas media et prima acuta, *ad fátim* et *áffatim*, ob sensum diversum distinctas esse suspicatur, illo, quem attulimus, Plauti loco reiicitur. Accius in Prometheo apud Cic. Tusc. 2, 10, 24. secundam syllabam corripuit: *tum iecore opimo farta et satiata affatim:* Arator in Hist. Apostol. 2. c. 30, 20. produxit: *suppetit affatim exemplorum copia nosque.*

1. Significatio vocabuli certa est et una. Intelligitur enim abundantia, aut copia, quae naturalem ac consuetum, vel certum modum excedit, et in rebus distentis atque in lassitudine apparet. Hoc autem est aliquanto plus quam satis, et distentum dicitur plenum. Nos id exprimere solemus per *überschwänglich*, *mehr als zuviel.* Atque bene observat Doederlinus, non tantum minore gradu differre *satis*, sed etiam ratione ad aliam rem vel consilium vel finem relata: nam *affatim* non de eo dicitur, quod ad aliquam rem sufficit, sed quod nimium in se abundat. Quare coniungere potuit Cic. ad Att. 2, 16. *puto enim me Dicaearcho affatim satisfecisse*, uti in Topic. 26, 99. *cumulate satisfacturum.* et Att. 16, 1. *sat abunde.* Columella de Re r. 11, 3, 99. *affatim* aeque dixit ac paullo ante *quantum velint:* nimirum non certo modulo coercendum.

Cic. ad Att. 16, 1. *De CCX optime Ciceronis rationes explicentur. Ovius enim recens: et multa, quae vellem: in his ne hoc quidem malum, (in mandatis sat abunde) H-S LXXII satis esse, affatim prorsus, sed Xenonem perexigue et γλίσχρως praebere.* Ita restituendus esse videtur locus difficillimus, in quo quae Ovius narravit, opponuntur mandatis, quae non prospere successerant. Critici eiicienda censuerunt verba, quae unde venerint, nemo demonstravit.

Lassitudinis notionem Festus observavit in aliquo Terentii loco: *Terentius adfatim dixit pro eo, quod est ad lassitudinem.* In Comoediis nusquam hoc vocabulum apparet. Sed Plautus eodem fere modo loquutus est in eo, quem antea attulimus, loco: ex reli-

quis haec notanda sunt: Bacch. 3, 3, 94. *affatim est, Mnesiloche: cura et concastiga hominem probe, qui dedecorat te, me, amicos atque alios flagitiis suis.* ubi nos diceremus: *ich habe es ganz satt.* Cicero, praeter duo allata loca, usurpavit hoc verbum in Tusc. 2, 10, 24. et de Nat. deor. 2, 51, 127. *iisdemque seminibus et homines affatim vescuntur, et terrae eiusdem generis stirpium renovatione complentur.* ubi sensus est, semina, quibus terrae complentur, generatione suppeditare etiam hominum vescendi nimis largam copiam. Pomp. Mela 3, 7, 5. *timidique populi et marinis opibus affatim dites.* Recentiores scriptores simpliciter pro *copiose* ponebant. Ita etiam Sallustius aliique antiquiores.

Sallust. Iug. 54, 6 *frumentum et alia, quae usui forent, affatim praebita.* c. 43, 3. Naevius apud Fulgent. de prisco serm. 43. p 805. Godofr. *myropola affatim mihi unguentum largitus est, quo me venustarem.* quod fortasse aliquis explicabit *satis:* de quo diximus modo. Plin. Hist. n. 17, 24, 37. *quoniam de palmis ac cytiso in peregrinis arboribus affatim diximus.* Apulei. de Deo Socr. p. 49, 28. *cuius generis mihi exempla affatim suppetunt.* Metam. 1. p. 113, 25. *abnuebam, quippe qui iam coenae affatim piscatus prospexeramus.* 9. p. 221, 31. *protinusque frumento etiam coempto affatim onustum — ad pistrinum, quod exercebat, perducit.*

Mira atque pene hiulca est oratio Taciti Ann. 4, 69. *interea Latiaris repertum in publico Sabinum, velut recens cognita narraturus, domum et in cubiculum trahit: praeteritaque et instantia, quorum affatim copia ac novos terrores cumulat.*

2. Cum genitivo coniunxerunt Plautus et alii, frequentissime autem Livius. vid. Ruddimann. 2. p. 317. Ramshorn. 115, 1.

Plaut. Men. 3, 1, 10. *affatim est hominum, in dies qui singulas escas edunt.* Mil. 4, 1, 33. Liv. 34, 26, 10. *nec iam auxilia, quorum affatim erat.* 32, 16, 10. *agri affatim materiae praebebant ad nova molienda opera.* Drakenborch. ad utrumque locum reliqua exempla collegit.

3. Novum, neque aliis exemplis comprobatum usum conspicio in Spartiani Alex. Sever. 37. *ipse cibo plurimo reficiebatur: vino neque parce, neque copiose, affatim tamen.* quod est nec nimium, nec parum, sed satis; nisi intelligamus, qui iustum modum aliquanto

excesserit. Nos: *nicht übermäſsig, doch reichlich viel.*

AGE.

De vocabulo AGE, quale sit, et an adverbiis annumerari debeat, ambigitur. Gerardus Vossius, quum apud Priscianum legisset p. 1021. (15, 6, 35.) *hortativa, eia, age. Et notandum, quod videtur hoc adverbium etiam pluralem habere, ut agite.* de Analog. 4. p. 241. negavit esse *age* adverbium, sed induere adverbii naturam, ubi plurali verbo sociaretur. Priscianus graecum usum comparat p. 1170. (18, 21, 172.) δεῦρο, ἄγε, φέρε, ἄγετε, εἶα, *apud illos loco adverbii ponuntur, quomodo apud nos age et agite.* Dixit igitur *loco adverbii.* Servius ad Virg. Aen. 2, 707. *age autem non est modo verbum imperantis, sed hortantis adverbium, adeo ut plerumque age facite dicamus, et singularem numerum copulemus plurali.* Prudenter etiam Charisius, hoc vocabulo inter adverbia hortandi apposito, addit p. 161. *quamvis age et agite vim obtinent activi imperativi modi.* Neque vero tantum per translationis in vernaculas linguas occasionem fit, ut huic vocabulo nomen adverbii tribuamus, sed ex antiquo usu (dicebant enim *age ite, age experiamur*), et per volubilem, quae formas mutat, naturam sermonis humani. Quare nullus erit ellipseos locus, cuius auxilio Boeclerus in Chrestomathia Terent. verba *age igitur, ubi nunc est ipsus* explicat: age hoc negotium, ut respondeas mihi, ubi sit ipse. Ille etiam narrat verbum „degenerasse in adverbium“: sed quae addit reliqua, ex parte quidem egregie probari possunt. Equidem, ubi *age* cum verbis construitur, non adverbium nominaverim, sed coniunctionem, quippe quae cum imperativo non alio modo copuletur, quam quo *utinam* additur optativo.

Qui igitur imperativus est, AGE suam naturam primitivam tenet, ubicumque per se constat integra agendi notio, aut nomina agendae rei apponuntur. Bene hoc distinxit Donatus ad Terent. Andr. 3, 4, 19. quamquam non apto loco, ideoque reprehensus a Boeclero.

Terent. Phorm. 3, 3, 6. *age ergo: solus servare hunc potes.* Phorm. 2, 3, 88. *hoc age.* Virgil. Aen. 5, 58. *ergo agi-*

te, et cuncti celebremus honorem. Terent. Andr. 5, 2, 25. *age nunc iam.* quae non, ut videbantur Bentleio (ad Adelph. 5, 4, 23), cohaerent cum verbo *ostendam*, sed Chremes, quum Dromo, quae faceret, iussisset, addit: *age nunc iam.* i. e. *nun mache.* Sic in formulis *age, si quid agis.* Plaut. Trin. 4, 2, 139. Stich. 5, 4, 35. *age, ut lubet.* Terent. Andr. 2, 1, 10. *age, ut vis.* Plaut. Cas. 2, 6, 53. et similia alia. Mil. 4, 2, 33. Pers. 4, 4, 58. Cas. 2, 8, 52. *age modo: fabricamini.* quod est *fac modo: immerhin thue es.* Terent. Eun. 2, 2, 51. *age modo: nunc tibi patent hae fores.*

Sed ubi simplicem excitandi vel adhortandi vel concedendi et corripiendi significationem exhibet, *age* coniunctionis loco ponitur, ideoque additur et imperativo et coniunctivo, aliisque inservit constructionibus. Atque hunc usum nunc describamus, cuius triplex est genus. Boeclerus in omnibus exemplis nihil videt nisi orationis complementum, quod ipso usu decus et vim habere coeperit, asseverando sententiam, cui subserviat. Atque re vera saepe non augetur addita hac vocula numerus notionum, sed exprimitur sensus et animi affectus, vel in sermonis decursu, vel per rei praesentiam commotus.

I. 1. Vsurpatur igitur AGE in quacumque evocatione et adhortatione vehementius et instanter pronuntiata. Coniungitur cum imperativo et coniunctivo secundae et tertiae personae, et cum infinitivo imperativi loco, ut Graeci solent, posito. Saepe adhaeret *nunc* et *iam*, quod critici cum verbis, quae sequuntur, cohaerere interpunctione notant. Sed aut ista vocabula significantiae caussa addita sunt verbo *age*, aut orationis partes ita coeunt, ut omnino nulla opus sit interpunctione. Errant vero, qui in hoc vocabulo vim quaerunt consequutivam: ea enim istis verbis continetur, quae saepe adduntur, *ergo*, *iam*, *igitur*.

Conf. Servius ad Virgil. Aen. 3, 362. Donatus ad Terent. Phorm. 1, 4, 53.

Plaut. Mil. gl. 2, 3, 64. *age face.* Poen. 3, 5, 39. *age omitte actutum, furcifer, marsupium.* Asin. 4, 1, 5. *age, quaeso, mi, hercle translege.* Terent. Heaut. 2, 3, 91. *age, age cedo istuc tuum consilium.* Plaut. Cas. 2, 2, 38. *appropera age, amabo.* Cic. p. Rosc. Am. 16, 48. *age nunc refer animum, sis, ad veritatem.* Terent. Phorm. 5, 3, 28. *age fiat.* Heaut. 5, 1, 75. *age iam, uxorem ut accersat, paret.*

ita plurimi libri, non *ac iam*. Liv. 7, 9, 8. *quem nunc Roma virum fortissimum habet, procedat agedum ad pugnam.* de quo loco vid. Boeclerum. Virgil. Aen. 2, 707. *ergo age, care pater, cervici imponere nostrae.*

Verbum omitti potest in colloquio, quo ante dicta excipiuntur, veluti Terent. Ad. 5, 8, 20. *age prolixe, Micio.* ubi semper dubitabant, utrum *agere prolixe* esset benigne agere, an commate interposito intelligeretur aliquid omissum. At ex superioribus facile intelligitur verbum annuendi.

Cum plurali verbo coniungitur ita, ut non duplex exsistat exhortatio, sed simplici ad vim augendam praemittatur coniunctio. E comicis nullum exemplum annotatum habeo: sed frequens usus est poetis recentioribus. Rem vero ipsam primus perspexit Laur. Valla: ante eum erant, qui negarent. Graeci eodem modo ἄγε usurpant. Vid. Raphel. Observ. ad Nov. Test. ex Xenoph. p. 332.

Propert. 1, 1, 21. *en agedum dominae mentem convertite nostrae.* Stat. Theb. 10, 33. *ite age, et obsessis vigiles circumdate flammas.* Valer. Flacc. 3, 311. *vos age funereas ad litora volvite silvas.* Sil. Ital. 11, 169. Vid. Weitz et Burmann. ad h. l. Barth. ad Stat. Theb. 4, 775. 5, 137. Broukhus. et Burm. ad Propert. 1, 1, 21. Drakenborch. ad Liv. 38, 47, 11. Garaton. ad Cic. pr. Mil. 21. Ruddimann. 2. p. 321. Ciceronis locos infra dabimus.

Sed etiam prima verbi persona et singularis et pluralis apponitur, ubi, qui dicit, ipsum se excitat.

Terent. Adelph. 5, 4, 23. *age nunc iam experiamur porro contra.* Plaut. Asin. 5, 1, 7. *age ergo hoc agitemus convivium vino et sermone suavi.* Lactant. Inst. 3, 3, 9. *age opinemur de statu et qualitate urbis illius.*

Plurali numero dicitur in eumdem modum *agite.*

Plaut. Curc. 1, 1, 88. *agite bibite, festivae fores.* Stich. 1, 3, 68. *logos ridiculos vendo: agite licemini.* Virgil. Aen 1, 627. *quare agite o tectis, iuvenes, succedite nostris.* Stat. Theb. 11, 478. *agite ite, obsistite, clamat.*

2. Hac significatione quum ponitur, non raro annexam videmus particulam *dum*, *agedum*, *agitedum.* quae cur in nonnullis locis suspecta viderentur criticis, nulla erat caussa. De voce DVM suo loco dicemus.

Plaut. Rud. 3, 5, 6. *agedum ergo accede huc modo.* Terent.

Eun. 4, 4, 27. *agedum hoc mihi expedi primum.* ubi Donatus: *dum παρέλκον est, et adiuvat ex animo loquentem.* Heaut. 2, 3, 69. *agedum vicissim, Syre, dic, quae illa'st altera.* Cic. p. Sulla 26, 72. *Agedum conferte nunc cum illis vitam P. Sullae.* Liv. 7, 9, 8. *quem nunc, inquit, Roma virum fortissimum habet, procedat agedum ad pugnam.* 7, 34, 11. *agitedum ite mecum.* coll. 44, 38, 4. 5, 52, 9. *recordamini agitedum, quoties sacra instaurentur.* Drakenborch. ad Liv. 3, 62, 4. multa exempla collegit. Catull. 63, 78. *agedum, inquit, age ferox, i.* Claudian. Cons. Prob. et Ol. 129. *dic agedum, quae caussa viae?* ubi Burmann. *dic, age dic* coniecit. Stat. Theb. 7, 126. *agedum inferias et busta colamus.*

3. Augetur vis orationis duplicatione, ut in illis Terentii *age, age cedo istuc tuum consilium.* Plaut. Asin. 1, 1, 27. *age, age usque exscrea.* Terent. Heaut. 4, 3, 44. Cic. de Fin. 5, 3, 8.

II. 1. Oratores hac voce utuntur, ubi transeunt ad aliam rem, atque, iis, quae praecedunt, absolutis, hanc ipsam tamquam maiorem et graviorem ut magis attendant, auditores evocant. Neque igitur abest adhortationis vis, quamquam saepe non magis valet ac *iam.*

Cic. p. Sulla 26, 72. expositis Catilinae et Antonii moribus pergit: *agedum conferte nunc cum illis vitam P. Sullae.* p. Lege Man. 14, 39. *age vero ceteris in rebus qualis sit temperantia considerate.* p. Mil. 21, 55. *Age nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate.* ubi nonnulli codices *agite.* sed vid. Garaton. et p. Fontei. 15, 33. de Divin. 1, 23, 45. *age nunc ad externa redeamus.*

2. Animi attentionem ut excitent, *age* praemittunt etiam tum, quum aliquid demonstraturos se esse significant.

Cic. p. Rosc. Am. 37, 108. *age nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus.* Lactant. Instit. 4, 24, 1. Quo modo etiam Virgil. Geor. 4, 149. *nunc age, naturas apibus quas Iuppiter ipse addidit, expediam.* Aen. 6, 756.

III. Tertium genus ea complectitur exempla, in quibus per praepositum AGE aut is, ad quem se convertit sermo, instantius compellitur, aut ipsa oratio promovetur et convertitur: quod quidem ob multiplicem caussam fieri potest.

1. Atque ista prior ratio haec est, qua interrogatio per *age* ita intenditur, ut eius vim reddere possimus

vocabulo *dic*. Et reddidit Donatus ad Terent. Andr. 3, 4, 19.

Terent. l. c. *age igitur, ubi nunc est ipsus?* quod Boeclerus male explicat φέρε δή. Plaut. Cas. 2, 6, 52. *age ecquid fit?* Asin. 2, 4, 69. Petron. 102. *age numquid et labra possumus tumore teterrimo implere?* Quemadmodum accipi potest Terent. Adelph. 2, 2, 7. *age scis quid loquar?* ubi tamen Donatus: *modo age corripientis est adverbium:* quo comprobato, pertinet hoc ad exempla proxima. Eadem res est in Eun. 4, 4, 37. Py. *Iam satis certum est virginem vitiatam esse.* Ph. *Age nunc, bellua, credis huic quod dicit?* Plaut. Asin. 2, 4, 69. *age, impudice, sceleste, non audes mihi scelesto subvenire?*

2. Vtitur hac particula in colloquio is, qui alicuius sententiam reiiciens hanc ipsam vult missam, et ad aliam rem, vel ad rei, de qua agitur, vim ac veritatem considerandam evocat. Cuius generis oratio quum non uno modo conformari possit, nos in vertendo diversas usurpamus formas vernaculae linguae. Afferam locos nondum satis explicatos. In iis vero conspicua est imperativi natura primitiva, qua is, quocum alter colloquitur, promoveatur, et ad alia comprehendenda excitetur.

Terent. Eun. 1, 2, 18. Pa. *Credo, ut fit, misera prae amore exclusti hunc foras.* Th *Siccine ais, Parmeno? age. sed huc qua gratia te arcessi iussi, ausculta.* i. e. quid ais? mitte hoc: quod proprie est, *perge ad alia: wie kannst du so sprechen? lafs dies.* Non intellexerant sententiam, qui ex aliquibus libris recipiebant *siccine agis.* Donatus haec: *corripientis est modo age, non hortantis adverbium.* Adelph. 2, 2, 15. ubi Sannio dicit, a se abhorrere consilium Syri, ille Syrus ait: *age, novi tuum animum: quasi iam usquam tibi sint viginti minae, dum huic obsequare.* i. e. mitte hoc: alium tibi animum esse bene scio: non viginti minae tibi tanti sunt, ut huic non obsequare. Donatus non omnem vim verbi percepit, quum dicit: *age nunc verbum est significans dic, quia iam prope est ut consentiat persuadenti.* Nam Sannio longe aberat ut consentiret. Nos id non uno modo exprimere possumus: *geh ich kenne dich,* vel *ach ich kenne dich besser: als wenn dir zwanzig Minen was wären.* Eun. 2, 3, 19. ubi Chaeron, quid sibi Parmeno olim pollicitus esset, memoravit, hic respondet, quibus rem missam faciat, *age, inepte.* Nos *ach Possen.* Et in blanda loqutione Adelph. 2, 4, 7. *age, inepte, quasi nunc non norimus nos inter nos.* Totam sententiam expressit Cicero de Senect. 7, 24. *age, ut ista divina studia*

omittamus, possum nominare ex agro sabino rusticos romanos. ubi neque *ut* abiiciendum est, neque *age* explicandum per *porro*, ut fecit Gernhardus. Neque assenserim Goerenzio, qui de Fin. 2, 28, 90. sententiam concedentis intelligens, reprehendit eos, qui ita recte interpunxerunt, *age, inquies: ista parva sunt.* Cic. ad Att. 7, 1. *age hoc malum mihi commune est cum omnibus* Elegantiam huius sermonis parum perspexit Ernestius, quum mutat *atque hoc malum.* Dicit enim Cicero: sed mitte hoc. Nos utimur in tali oratione exclamationis particulis *ach*, *o*. Fortasse ad idem genus etiam pertinet Terent. Phorm. 2, 1, 1. *itane tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo? nec meum imperium, age mitto imperium.* Haec enim ante oculos habebat scholiastes: in aliis libris, sicuti in eo, quo Cicero usus est, legebatur *ac mitto.* Eamdem scripturae diversitatem libri exhibent in Adel. 4, 4, 16. *dicam fratris esse hanc? quod minime'st opus usquam efferri. age mitto. fieri potis est, ut ne qua exeat.* alii *ac mitto.* Praesens eo modo dicitur, quo alibi futurum. vid. Bentlei. ad 5, 4, 23.

3. Tum *age* et *age igitur* et *age ergo* is dicit, qui acquiescit in aliqua re vel in alicuius dicto, ita concedens, ut cum adhortatione quadam ad alia pergat. Graeci dicunt εἶεν, Galli *eh bien.* Vbi simul aegritudo admixta est, bis ponitur *age age.* Saepe etiam additur *iam.*

Terent. Andr. 3, 4, 19. DA. *quiescas.* S. *age igitur: ubi nunc est ipsus?* D. *mirum, ni domi est.* nos: *nun meinetwegen: mag es seyn.* Adelph 2, 1, 47. *suum ius postulat. age, iam cupio, modo si argentum reddat.* nos: *nun ich bin's zufrieden.* Phorm. 3, 3, 24. G. *quantum est opus argenti? eloquere.* P. *solae triginta minae.* G. *triginta? hui percara'st, Phaedria.* P. *istaec vero vilis est.* G. *age, age inventas reddam.* 4, 3, 57. *age, age iam ducat: dabo.* i. e. *gut, gut, er mag sie heirathen.* vid. Donat. ad Heaut. 4, 3, 44. Petron. 82. *quum constantissime et centurionem et legionem essem ementitus: age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phaecasiati milites ambulant?*

Cic. p. Cluent 30, 82. *age, quoniam corrumpendi iudicii caussas ille multas et graves habuit, hic nullam, profectio ipsius pecuniae requiratur.* i. e. *eh bien.* Totam sententiam explanat Cicero p. Mil. 19, 49. *age sit ita factum. quae caussa cur Romam properaret?* De Nat. d. 1, 30, 84. *age: et his vocabulis deos facimus, quibus a nobis nominantur: at*

primum, quot hominum linguae, tot nomina deorum. Quod in nonnullis libris exstat, *ut*, a librariis non intelligentibus profectum est, nec debebat Heindorfius id recipere. Sed *faciamus*, quod unus codex praebet, probari poterat, et probatum est a Valckenario: nam interponi *et*, quod non significat *etiam*, supra notavimus.

4. Huius generis ea quoque exempla esse videntur, in quibus, qui loquitur, aliqua ex parte concedit, vel unam rem tamquam concessam reponit, atque in alia re haerens, aliisque argumentis usurus, ad haec attendere iubet. Saepius adiungitur *iam*.

Cic. de Leg. 2, 13, 32. *age iam ista video fateorque esse magna. Sed est in collegio vestro inter Marcellum et Appium — magna dissensio.* id nos: *nun gut, ich sehe* etc. Recentiores editores temere inculcarunt post *age* comma. Tuscul. 7, 14. *age iam concedo, non esse miseros, qui mortui sunt.* Etiam hoc loco male se habet comma post *age* positum.

Cic. ad Att. 8, 3. m. *quod ab initio vidi, nihil quaeri praeter fugam. Eam si nunc sequor, quonam? cum illo non: ad quem quum essem profectus, cognovi in iis locis esse Caesarem, ut tuto Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu hieme maxima navigandum est. Age iam cum fratre, an sine? cum filio, aut quomodo? in utraque enim re summa difficultas erit, summus animi dolor. — Age iam has compedes, fasces, inquam, hos laureatos efferre ex Italia, quam molestum est?*

5. Deinde ita loquitur is, qui, quum consentire nolit, nec negare possit, reliquam altercationem reprimit, aut etiam aegre consentire videtur.

Terent. Andr. 4, 2, 29. Ch. *huc face ad me venias, si quid poteris.* Da. *quid veniam? nil habeo.* C. *et tamen si quid.* D. *age, veniam,* i. e. *schon gut, ich will kommen.* ubi scholiastes: *vix concedentis, vix consentientis est.* 5, 3, 24. *at tandem dicat sine.* S. *age dicat: sino.* i. e. *immerhin mag er's sagen.* 2, 1, 10. *age, age, ut lubet.* ubi Donatus: *adversus haec non habet quid loqueretur: et est permissio reprobantis ea, quae consentit.* Hoc in loco tamen *age* notionem in se habet absolutam, de qua diximus p. 206. Cic. ad Att. 15, 10. *nec audent, nec iam possunt. age quiescant auctoribus nobis.* vertimus: *nun immerhin, mögen sie auf meine Veranlassung unthätig seyn.* de Fin. 5, 3, 8. *et ille ridens, age, age, inquit, — exponamus adolescenti, si quae forte possumus.* nos *gut, gut.*

6. Denique non tantum ibi usurpatur *age*, ubi aliquam rem missam, vel concessam esse volumus, sed etiam ubi rem aliquam esse ita ponimus, ut particula vim habeat verbi *fac*, i. e. *gesetzt*. Quod si critici considerassent, certe abstinuissent a temeraria mutatione. Interdum hoc *age* componitur cum *si*.

Caecin. in Epist. Cic. 6, 7. *quem putas animum esse, ubi secum loquitur? hoc probabit: „hoc verbum suspiciosum est: quid, si hoc muto? at vereor, ne peius sit.“ Age vero laudo aliquem. num offendo? quum porro offendam, quid si non vult?* Haec servanda sunt antiqua verba, quae non omnia ex animo Caesaris dicta sunt. Sensus est: fac me laudare aliquem? num eo offendo?

Cic. Phil. 5, 10, 28. *age si paruerit, hoc cive uti aut volumus, aut possumus?* Gernhardus ad Cat. 7. pro *porro* positum esse male opinabatur. Et si quis interrogationis intentionem inesse dixerit, respiciat ad reliqua, quibuscum haec cohaerent. p. Cluent. 23, 62. *age si nocentes, cuius malefi-cii?* Plin. Paneg. 55, 4. *age si quando pietas nostra silentium rupit, et verecundiam tuam vicit, quae qualiaque aut decernimus nos, aut tu non recusas, ut appareat, non superbia et fastidio te amplissimos honores repudiare, qui minores non dedigneris?* Haec est codicum scriptura, sed critici, quum vim vocabuli *age* non intellexissent, nec scirent praesens verbum *recusas* poni pro aoristo, mutationibus corrumpebant locum. Sensum equidem ita constituo: si quando tamen silentium tenere non possumus, et pietas nostra maior adeo exsistit tua verecundia, qualia sunt ea, quae aut nos decernimus, aut tu non recusas, ut appareat, te non superbia repudiare maiores honores, quum minores non dedigneris? Ea sunt minora, non adulatione aucta. Horat. Sat. 2, 3, 117.

IV. 1. Restat, ut formulas afferamus, in quibus *age* cum aliis vocabulis coniungi solet. Ac primum in illo, quem p. 203. illustravimus, imperativi usu adiicitur *modo* cum quadam sollicitudinis et festinationis significatione.

Terent. Eun. 2, 2, 51. *age modo: nunc tibi patent fores hae.* i. q. *mache nur.*

2. Tum *ergo* additur, ut cum evocatione et interrogatione coniungatur affirmatio e consequentia desumpta.

Exempla vid. p. 203. et p. 204. Plaut. Asin. 2, 4, 81. *age ambula ergo.* Stat. Silv. 1, 2, 182. *ergo age iunge toros.*

3. Fortiter affirmat in aliena oratione acquiescens, qui respondet *age sane*. Nos dicimus *recht wohl, wohl denn*. Ellipticam esse dictionem nemo non videt.

Plaut. Pseud. 5, 2, 26. B. *erit ubi te ulciscar, si vivo*. Ps. *quid minitare? habeo tergum*. B. *Age sane*. Menaech. 1, 2, 43. M. *clam uxorem ubi sepulcrum habeamus et hunc comburamus diem*. Pe. *Age sane igitur, quando aequom oras, quam mox incendo rogum*. Cic. de Fin. 2, 35, 119. *recte, inquit, intelligis. Age sane, inquam: sed erat aequius* etc. vid. Gronov. ad Liv. 1, 57, 8. *incaluerant vino. age sane omnes. citatis equis avolant.* in quibus vix agnosces lacteam Livii ubertatem. Bene Boeclerus: „et brevitas et ellipsis, facta consiliis celerrime iuncta esse, non tam verbis loquitur quam arte ostendit."

4. *Age vero* dicitur et in ea evocatione, quae ad alia eaque graviora consideranda perducit, et in interrogatione, per quam, missa vel concessa, quae antea dicta erat, re, ad aliud transitur ex adverso positum. Nusquam legitur *age autem*, uti primus animadvertit Laur. Valla, atque repugnat ipsa natura huius alterius particulae. Alia etiam est ratio verborum *verum age*, quae non cohaerent.

Cic. p. Fontei. 15, 33. *age vero nunc inserite oculos in curiam*. p. Lege Man. 14, 39. vid. p. 206. De Orat. 2, 12, 51. *age vero, inquit Antonius, qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere?* De Invent. 1, 2, 3. *age vero, urbibus constitutis, ut fidem colere et iustitiam retinere discerent, — qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quae ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent?*

Virgil. Aen. 12, 832. *verum age, et inceptum frustra submitte furorem*. 11, 587. *verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis, labere, nympha, polo*.

5. Oratores utuntur verbis *age porro* in transitu ad aliud argumentum, interrogatione plerumque exprimendum. Bangius in Observat. p. 693. appellat formulam instantis.

Cic. in Verr. 5, 22, 56. *age porro, tu, — cur Tauromenitanis frumentum, cur Netinis imperasti?* De Invent. 2, 45, 133. *deinde — postea — age porro* se excipiunt. Et errarunt, qui cum Ernestio locum correxerunt. Restituatur modo haec interpunctio: *Age porro quid si ipsi velint iudices ad-*

scribere? passurusne sit populus? Verto: *und nun ferner, wie wenn die Richter es wollen?* Nam cohaerent verba *age si* eo modo, quem supra p. 210. exposuimus. Sic Terent. Adelph. 5, 8, 18. *age quid si quid te maius oret?* Phaedrus 3, 15, 10. *unde illa scivit, niger an albus nascerer? age porro scisset: quum crearer masculus, beneficium magnum sane natali dedit, ut exspectarem lanium in horas singulas.* quod est: age si scivisset, fac scivisse matrem.

6. Adiunguntur etiam gravitatis caussa aliae interiectiones *en*, *eia*.

Virgil. Georg. 3, 42. *en age segnes rumpe moras.* Propert. 1, 1, 21. *en agedum dominae mentem convertite nostrae.*

Plaut. Epid. 2, 2, 77. *eia vero age dic.* Virgil. Aen. 4, 569. *eia age rumpe moras.* Stat. Ach. 2, 198. *eia rumpe moras: sine perfida palleat Ide.* Et e codd. restituendum 1, 508. *eia age rumpe deos.*

7. *Sis* aut in unam vocem cum *age* copulatur *agesis*, aut seorsum additur, aliis verbis interpositis.

Plaut. Asin. 3, 3, 89. *agesis tu in partem nunc iam hunc delude, atque amplexare hanc.* 1, 1, 80. Cic. Orat. part. 12, 44. *agesis ergo — expone nunc de reprehendendo.* Tuscul. 2, 18, 42. Plaut. Epid. 3, 4, 39. *age accipe hanc sis.* Cic. p. Rosc. Am. 16, 48. *age nunc refer animum sis ad veritatem.*

„Nusquam pluralem inveni *agite sultis.*" Beier. Verbum rectum posuit Plautus Asin. Prol. 1. *hoc agite sultis, spectatores, nunc iam.* Quare non dubito, quin etiam in usu isto auxiliari ita dici possit.

AH.

Grammatici quum docuissent litteram H mutam esse adspirationem, ideoque praeponi vocalibus, non subiungi, sicuti Diomedes fecit p. 419., ipsi omiserant interiectiones *ah*, *vah*, *proh*, quibus ex vulgari scriptura adhaerere solebat H. Quo demum cognito, nova iis exstitit dubitatio, quam ut aliquo modo expediret, Priscianus praecepit AH ex AHA factum esse, abiecta altera vocali. Ille enim 1, 5, 25. p. 548. *quaeritur, cur in vah, ah post vocales ponitur aspiratio, et dicimus, quod apocopa facta est extremae vocalis, cui praeponebatur aspiratio. Nam perfecta vaha, aha sunt.*

Ideo autem abscisione facta extremae vocalis, tamen aspiratio mansit ex superiore pendens vocali, quia suum est interiectionis voce abscondita proferri. Itaque pars absconditae extremitatis videtur congrue interiectionis naturali prolatione remansisse: nec mirum, quum in Syrorum Aegyptiorumque dictionibus soleant etiam in fine aspirari vocales. Et 2, 2, 9. p. 570. *in H, quae est nota aspirationis, non potest terminari syllaba: invenio tamen in vah et ah interiectionibus terminalem videri syllabae H. Sed magis puto, ut superius dictum est, per apocopen hoc solere fieri, quum perfecta vah et aha sint.* Haec ratio non potest probari (vid. Barth. ad Stat. Theb. 4, 403.), nec probavit eam ipse Priscianus. Nam 15, 7, 40. posuit locos Virgilii Ecl. 1, 15. *a silice* etc. et 10, 49. *a tibi* etc. additque paullo post: *A quoque et praepositio est et interiectio et nomen: — interiectio, ut praemonstravimus in Bucolicis esse positum.* Conf. Diomed. p. 422. Factum saepe est, ut veteres in hac voce omitterent H litteram: cuius usus vestigia exstant etiamnunc in codicibus. Ciofanus enim ad Ovid. Met. 2, 491. narrat, in Virgilii codice vaticano ubique scriptum esse A, in aliis HA: quod ipse distinctionis caussa probaverat: tum vero ad auctoritatem libri vaticani rediit. Cf. Augustin. de Grammat. p. 1017. Putsch. Pierius ad Virgil. Ecl. 1, 5. et 2, 69. Scaliger ad Catull. 57, 46. Achill. Statii Observ. 22, T. 2. Gruter. thes. p. 890. Cortius ad Sallust. Cat. 20. Burmannus quum in nullo codice voces *a*, *ah* et *ha* non confusas vidisset, in tenuibus his observationibus haerere, vix operae pretium esse censuit. Gebhardo in Crepund. 2, 2. ubique restituendum videbatur *ha:* sed reprehendit eum Heinsius ad Virgil. Ecl. 1, 15. Melius rem perspexit Scaliger de Caussis lat. ling. p. 412. „Adspiratio explicat suspiria et difficultatis nota est. Veteres tamen negant, ullam vocem in fine adspirari: quare fuit, aiunt, *aha*. Nostra nihil interest, quid senserint agrestes Opici: nam meliora saecula ita pronuntiarunt *vah*, *ah:* quare etiam plus afficit *proh* quam *pro*, et *oh* quam *o*.“ Natura scilicet haec docuit, non ars. Nec tamen quidquam ab arte obstare existimavit Velius Longus p. 2218. „*accedit huic, quodsi accedens litterae esset, quum ipsa littera enuntiaretur. Nunc vero et ante vocalem et post vocalem sonat sic, quomodo alia est syllaba c a, alia a c, et alia b a, alia a b, sic*

alia ha, alia ah." De quo loco vid. Barth. ad Stat. l. l. Conf. Cellar. Orthogr. p. 102. Harl.

Quamquam varii sunt animi affectus, quibus significandis haec interiectio inserviat, possunt tamen exempla ad certa quaedam genera referri eorumque ratio constitui. Vtuntur autem hac voce maxime sermocinantes in colloquiis et poetae.

1. Atque exprimitur aegritudinis et doloris affectus sive una hac voce posita, sive cum aliis verbis coniuncta. Quamobrem Servius ad Virgil. Ecl. 1, 15. appellat dolentis interiectionem.

Terent. Phorm. 3, 1, 10. An. *ecquid spei porro est?* Ge. *nescio.* An. *ah.* Hec. 5, 1, 17. Tibull. 3, 4, 82. *ah ego ne possim tanta videre mala:* quod 2, 4, 7. dixit: *o ego ne possem tales sentire dolores.* Ita etiam Terent. Andr. 1, 5, 17. *numquid ego dicam de patre? ah. tantam rem tam negligenter agere.*

Formula est miserorum hominum et desperantium, *ah perii.* Plaut. Rud. 4, 4, 99.

Cum accusativo coniungitur, ut alia huius generis vocabula. Terent. Ad. 3, 2, 11. *ah me miserum.* cf. v. 31. Scaliger ad Catull. 18. Castig. p. 17. etiam dictum esse *ah me me* contendit, sicuti apud Graecos *ὤ μοί μοι.* Quod abhorret ab usu latino.

2. Loquitur ita, qui de aliorum vel de suo errore aut imprudentia luget.

Propert. 2, 30, 1. *quo fugis, ah, demens?* Martial. 7, 65, 3. *ah miser et demens.* Ovid. Her. 21, 72. *mentior ah demens.* Douza et Heinsius in Ovid. Am. 3, 6, 101. coniecerunt: *huic egon' ah demens narrabam fluminum amores.* plurimi libri *vae* recte: sed cur his verbis editores interrogationis signum adderent, nulla erat ratio.

3. Tum vero AH indignationem declarat, imprimis eam leviorem, quae aliquid aegre fert aut patientiam relinquit.

Terent. Ad. 1, 2, 32. ubi Demea quum fratrem obiurgatione fatigasset, Micio patientiam abrumpens ait: *ah, ausculta, ne me obtundas de hac re saepius.* Phorm. 3, 3, 8. Ge. *scio: sed quid tum?* An. *ah, dictum sapienti sat est.*

Aliquanto gravius hoc est Martial. 4, 66, 7. *ah, pudet ingratae, pudet ah male divitis arcae.*

4. Vtitur hac interiectione et is, qui aliquem re-

prehendit, aut reiicit et avertit, et is, qui se ipsum corrigit, in errore deprehensus, et is, qui contradicendo se avertit.

Terent. Heaut. 1, 1, 89. *ah, non aequum facis.* Andr. 3, 3, 11. *ah, ne me obsecra.* Adelph. 2, 4, 10. Ct. *pudebat.* Ae. *ah, stultitia est istaec, non pudor.* Eun. 4, 7, 27. *ah, quid agis? tace.* Plaut. Aul. 4, 4, 24. St. *quid reddam?* Ev. *ah nugas agis. certe habes.* Ita etiam intelligo Bacch. 4, 4, 56. *ah, placide volo unumquidque agamus.* i. e. ah, minime. Plaut. Cas. 2, 6, 14. Cl. *tibi daretur illa?* St. *mihi enim? ah, non id volui dicere.* Trin. 3, 2, 23. *ah, non ita est.* Terent. Heaut. 1, 1, 42. *ah, quid dixi.* Cic. de orat. 2, 70, 285. *eiero, inquit, iniquus est. Quum esset admurmuratum, ah, inquit, P. C. non ego mihi illum iniquum eiero, verum omnibus.*

Terent. Hec. 5, 1, 17. L. *meum receptas filium ad te Pamphilum.* B. *ah.* L. *sine dicam.*

5. Quare interdum eamdem vim habet, quam vocabulo *age* exprimi demonstravimus in mittenda aliqua re.

Hecyr. 4, 4, 99. La. *At te oro porro in hac re adiutor sis mihi.* Ph. *ah, iamdudum dixi, itidemque nunc dico, Lache.* i. e. mitte hoc. Eun. 5, 2, 50. Th. *Tamen si pater quid.* Ch. *ah, volet, certo scio.*

6. Vtitur hac voce, cui aliquid mirum videtur.

Eun. 2, 1, 2. Ph. *satisne hoc mandatum est tibi?* Pa. *ah, rogitare, quasi difficile sit.* Sed Andr. 5, 1, 9. codices praebent *at rogitas?* ut Hec. 4, 1, 11. Terent. Andr. 4, 1, 4. secum loquitur Charinus: *ah, itane est verum?* Plaut. Aul. 5, 20. Lv. *Redde, inquam, ut huic reddatur.* St. *ah, unde?*

7. Indignatio inest, ubi nos ipsos falli potuisse miramur.

Ita intelligo Terent. Andr. 3, 1, 10. *quid hoc? adeone est demens? ex peregrina? iam scio: ah vix tandem sensi stolidus.* miratur enim ipse suum stuporem.

8. Deprecantis est et dehortantis aeque ac precantis.

Plaut. Merc. 2, 2, 51. *egone te? ah, ne di siverint.* Terent. Andr. 5, 6, 8. *ah, desine.* Plaut. Rud. 3, 3, 19. Terent. Andr. 5, 2, 27. *ah, ne saevi tantopere.*

Plaut. Mostell. 3, 1, 50. *ah, gere morem mihi.* 3, 2, 123. Truc. 1, 2, 92. *ah, obsecro, tace.* ubi aliae edit. *ha.*

9. Exsecrationis certas quasdam formulas conficiunt per *ah. Ah, pereat, ah, valeat.*

Propert. 1, 6, 12. *ah, pereat, si quis lentus amare potest.* 2, 33, 27. Ovid. Her. 19, 105. *ah, potius peream, quam crimine vulnerer isto.* Art. am. 2, 272. *ah, pereant, per quos munera crimen habent.* 3, 494. ubi alii codd. *di, pereant.* Tibullus semper dixit *o pereat* praeter unum locum 3, 4, 62. *ah pereat, didicit fallere si qua fidem.* quod miror non animadvertisse eos, qui haec carmina Tibulli esse negant. Propert. 3, 1, 7. *ah, valeat, Phoebum quicumque moratur in armis.* Sed ipsa orationis continuatio suadet, ut poetam suspicemur scripsisse *at valeat.*

10. In interrogatione ponitur cum aliqua miratione aut dubitatione coniuncta.

Terent. Phorm. 3, 2, 18. Antipho accedit ad Phaedriam, qui de suo malo loquutus erat: *ah quid istuc autem est?* Westerhovius tribuendam putabat interiectionem Antiphoni, quod non satis convenit. Phorm. 1, 4, 17. *ah, sanusne es?*

11. Exclamatione augetur magnitudo rei designandae.

Martial. 11, 70, 5. *ah facinus.* conf. 11, 91, 3. Terent. Eun. 5, 6, 8. *ah, non possum satis narrare, quos praebueris ludos intus.* Plaut. Truc. 2, 4, 20. *ah, hoc est mel melli dulci dulcius.* Terent. Andr. 2, 1, 6. *ah, quanto satius est te id dare operam, qui istum amorem ex animo amoveas tuo.* Et ita scripsit Plautus Asin. 3, 2, 2. *ah, quanto amplius valerem, si hic maneres.* In Propert. 2, 21, (17,) 1. temere mutarunt antiqua verba: *Ah, quantum de me Panthi tibi pagina finxit.* Ovid. Her. 5, 49. *ah, quoties, quum te vento quererere teneri, riserunt comites.* ubi alii libri *ha.* 9, 79. *ah quoties — praevalidae fusos comminuere manus.* ubi Schroderus non intellexit usum, quum corrigeret *at quoties.* Art. am. 1, 313. Exempla huius dictionis collegit Heins. ad Her. 16, 185.

Hinc saepe componitur cum vocabulo *nimis.* Plaut. Bacch. 1, 1, 31. *ah, nimium ferus es.* Terent. Heaut. 3, 1, 30. *Atque* recte correxit Hermannus in Plaut. Trin. 4, 3, (4,) 50. *ah, nimium, Stasime, saeviter.* Vulgo *ha.* Propert. 2, 21, 15. *ah, nimium faciles aurem praebere puellae.*

Ita fit formula *ah, nescis quantum.* Terent. Andr. 4, 1, 25. *ah, nescis quantis in malis verser miser.* Heaut. 5, 1, 61. *ah, nescis quam doleam.* Similiter Adel. 4, 7, 5. *ah, nescis, qui vir sit.* ut praebent codices.

12. Vim addit negationi.

Terent. Andr. 2, 1, 25. *numquidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine.* Ch. *ah, Pamphile, nil.* Phorm. 2, 2, 11. *ah, non ita est.* Adel. 3, 2, 44. *ah, minime gentium.* 4, 3, 6.

13. Quod autem dicunt etiam gaudium ita exprimi, non certis exemplis confirmatur. Neque veteres in his vocibus addendis tam negligentes fuere, quam nostri homines. Nam in Plaut. Curc. 1, 2, 39. quod anus illa bibens clamat *ah*, nihil est quam vehemens suspiratio, sicuti Pseud. 5, 1, 8. Simili exclamatione utuntur ii, quibus in amplexu anima deficit. Vid. Plaut. Trucul. 2, 4, 15. et 20. et Pers. 1, 1, 49. Poen. 1, 2, 122. Propertius ne id quidem sibi concessit, ut, ubi non admixto doloris affectu dicendum esset, *ah quoties*, poneret: sed dixit *o quoties*. Vid. Huschkius ad Tibull. T. 1. p. 319. Vbi in aliis poetis legitur *ah quoties*, eo fit modo, quo antea demonstravimus, quamquam etiam inesse potest doloris expressio. Bentleius in Terent. Andr. 2, 2, 33. ubi in magna laetitia iocatur Davus, reiecit ineptam coniecturam, *ah nullus quidem.*

Neque vero id satis curarunt critici. Nam praeter comicos poetae exclamatione non frequenter utuntur, neque eam usquam admittunt, nisi iusta caussa est, quae animum moveat. Aliter nostri versificatores, qui in sua cogitationis penuria ubique in promptu habent suspiria. Scilicet antiqui homines poeticam vim non quaerere solebant in lamentatione inani. Quare in multis locis restituenda erit antiqua ac melior scriptura, quae veterum moribus magis conveniat. Propert. 1, 9, 30. *assiduas aufuge blanditias.* vulgo *ah fuge.* Nam Petronius 81. *aufugi iudicium.* quod cur falsum putemus, non video: nisi quis maluerit *o fuge.* nam *au* et *o* parum differebant sono. Scaliger emendavit Propert. 1, 11, 5. *nostri cura subit memores ah ducere noctes?* atque omnes editores id magna laude extulerunt, nemo tamen reputavit, quam inanis illa vocula *ah* esset, et quo pacto puella diceretur, dum aequora et amoenam regionem miraretur, *noctes duxisse cura deserti amantis.* Quare meliora desiderantur. Falsa etiam erat Heusingeri coniectura in Ovid. Her. 1, 2. *nil mihi rescribas: ah, tamen ipse veni.* Nec probari potest, quod Heinsio placuit in Her. 3, 149. *ah, potius serves nostram, tua munera, vitam.* Vid. Lennep. ad h. l. In Propert. 2,

16, 35. codicum auctoritate restituendum est *at pudeat certe, pudeat.*

Bentleius ad Terent. Ad. 4, 7, 6. dici posse existimabat: *ah, o stulte, tu de psaltria me somnias agere.* Quod nullo exemplo demonstratur.

Saepe in scriptis libris pro *ah* exhibetur *ha:* quod non exprimit dolorem aut questum. De hac re bene disputavit Barthius ad Stat. Theb. 2, 350. et 4, 403. et Santenius ad Balbi Carm. in Indic. litterar. a. 1801. p. 1822. haec: „*ha* numquam dolentis est interiectio. *Ah miser* exclamatio est pathetica. vid. Broukh. ad Tibull. 1, 10, 5. ubi in uno meo scribitur etiam *ha:* in cuiusmodi codices procul dubio incidit Balbus, quorum scriptores prava utebantur pronuntiatione.“

AHA.

Aha, quod in paucis Plauti locis legitur, proprium id habere videtur, ut ab eo usurpetur, qui renuat, aut aliquid a se removeat.

Plaut. Rud. 2, 4, 6. Ampelisca recedens a Sceparnione ait: *aha, nimium familiariter me attrectas.* Bacch. 1, 1, 54. *aha, minime.*

Quod Truc. 4, 4, 36. legitur *aha tace*, veteres editiones exhibent *ha tace.* In Bacch. 4, 7, 11. *aha, Bellerophontem iam tuus me fecit filius: egomet tabellas detuli, ut vincirer? sine.* si recte legitur, Chrysalus ita loquitur, dum a servo, qui ad eum vinciendum accessit, refugit: quod etiam verbo *sine* exprimitur. Tamen scribendum videtur *ah.* In Horatii Epod. 5, 71. Bentleius non exposita caussa scripsit *aha! solutus ambulat veneficae scientioris carmine.* Atque ita in aliis codicibus exstat, in aliis tamen *ha, ha*, vel *ah, ah.* Fea huic loco aptum putans ironiae cachinnum et derisum, defendit *ha ha:* sed fallitur. Nam excandescentiae, qua furit Canidia, maxime convenit exsecrandi vox *ah, ah.* Plaut. Cas. 3, 6, 7. pro *aha* codices recte exhibent *vah.* Quod Terent. Eun. 4, 7, 27. cod. Bemb. praebet *aha quid agis?* uni Faerno placuit.

AHAHE. AHV.

Ex Terent. Eun. 5, 2, 60. lexicorum auctores afferunt *ahahe, tace, obsecro*, vel *ahu.* Sed antiqui libri et Donati testimonium confirmant, scriptum fuisse *au, tace.*

ALIA.

Donatus ad Terent. Hec. 1, 2, 5. *inter alias et alia hoc interest: quod alias alio tempore significat, alia aliter, aut per alia.* Vt supplerent id, quod in hoc ablativo omissum esset, intelligebant *via.* Dicitur enim *alia* eo modo, quo *ea*, i. e. ea via, Liv. 43, 19, 3. Atque ita antiqui scriptores usurpabant, neque ullum eorum exstat exemplum, in quo *aliter* vel *per alia* intelligas.

In Plauti Rud. prol. 10. bene est restitutum antiquum verbum *aliuta.* In Lucret. 6, 986. *nam penetrare alia sonitus, aliaque saporem cernimus e succis, alia nidoris, odores:* Giphanius codices sequutus edidit *alio — alio:* sed vid. Lambinum ad h. l. In Liv. 44, 43, 2. *equites sine duce relicti alii alia in civitates suas dilapsi sunt:* ellipsis est, ex antecedentibus verbis, in quibus de via agitur, supplenda. Etiam Florus 2, 12, 7. *per alias Macedonia deprensa est, summa quidem arte et industria ducis, quum alia minatus alia irrepsisset.* ubi vid. interp. Apud Liv. 21, 56, 2. plurimi libri exhibent: *quum alii evadere nequissent.* Gronovius dederat *alia.* Istam igitur observationem Donatus fecisse videtur de sui temporis consuetudine.

ALIAS.

Priscianus 15. p. 1014. (4, 22.) *in as denominativa invenio, as extrema circumflexa: alias.* Scioppius in Paradox. litt. p. 5. et Perizonius ad Sanct. Min. 1, 17., ut naturam huius vocabuli explicarent, omissum esse existimarunt *horas* vel *res*, quemadmodum Plautus Epid. 4, 1, 39. dixisset: *alias res est impense improbus:* de qua re disputat Boeclerus in Chrestom. Terent. s. v. *alius:* illud *alias res* non tantum res loci et temporis significare, sed etiam conditionem rei, sive qualis res sit. Alii intelligebant *alias vices.* Est quidem, sicuti in *foras*, accusativi forma, qua extensionem, vel relationem ad aliquam rem indicamus: tamen certum quoddam substantivum vix substitui potest. Beierus haec in litteris ad me: „*alias* dici videtur pro *alies*, *andere Mahl*, nisi placuerit supplere *vices*, ut sit accusa-

tivus." Nonnulli veteres scriptores hac voce aut numquam, aut raro usi sunt: atque in Plauto et Sallustio nusquam, quod sciam, ea legitur: Terentius bis posuit.

1. Transfertur ALIAS primum ad tempus ita, ut praesenti tempori praeteritum vel futurum opponatur, ipsumque significet *alio tempore*, *alia vice*. Fl. Caper de Orthogr. p. 2242. *alias temporis adverbium, quod Graeci* ἄλλοτε.

Terent. Hec. 1, 2, 4. *si non quaeret, nullus dixeris: alias ut uti possim caussa hac integra.* Cic. Acad. 2, 3, 9. *quibus de rebus et alias saepe nobis multa quaesita et disputata sunt.* de quo loco iterum dicendum erit. ad Fam. 7, 6. *sed plura scribemus alias.* Acad. 2, 44, 135. *recte secusne, alias viderimus.* ad Fam. 7, 13, *sed alias iocabimur.* Horat. Epist. 2, 1, 17. *nil oriturum alias, nil ortum tale fatentes.*

2. Quare componitur cum vocabulis *aliquando*, *umquam*, *numquam*.

Sueton. Aug. 75. *saturnalibus et si quando alias libuisset, modo munera dividebat* etc. Liv. 1, 28, 4. *si umquam ante alias ullo in bello fuit.* 32, 5, 8. *bellum, si quando umquam ante alias, tum magna cura apparavit.* 2, 9, 5. *non umquam alias ante tantus terror senatum invasit.* 2, 22, 7. *numquam ante alias publice privatimque latinum nomen romano imperio coniunctius fuit.* 9, 39, 5. Horat. C. 3, 5, 45. *consilio numquam alias dato.* Cic. ad Att. 4, 2. *et si umquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si umquam alias fuimus, tum profecto dolor et magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit.* Ita vulgo legitur, etiam in utraque Schützii editione: sed altero in loco scribendum esse *numquam alias* vidit Marklandus de Cic. orat. Praef. p. 69. Wolf. Solemnem illam formulam restituendam esse puto etiam in Sueton. Cal. 43. *contracto et omnis generis commeatu, quanto numquam ante alias, iter ingressus est.* neque tamen ad Caligulae priores expeditiones, quae nullae erant, sed aliorum refero. In codd. scriptum erat *numquam anteals iter*, unde fecerunt *ante alter.*

3. Hac ratione vocabula *nunc*, *in praesenti*, *tum* ex adverso apponuntur. Ita dicitur praesertim in formulis, quibus aliquid agendum missum faciamus.

Cic. de Div. 2, 2, 7. *sed alias pluribus: nunc ad institutam disputationem revertamur.* Tusc. 3, 11, 25. *sed ceteras alias: nunc aegritudinem, si possumus, depellamus.* 3, 5, 10. 4, 14, 33. Liv. 44, 36, 13. *rationes alias reposcito: nunc auctoritate veteris imperatoris contentus eris.*

Lib. ad Heren. 3, 16, 28. *placet enim nobis esse artificium memoriae: quare placeat, alias ostendemus: in praesentia, cuiusmodi ea sit, aperiemus.*

Curt. 4, 3, 18. *gubernatores alias imperare soliti, tum metu mortis iussa exsequebantur.* Gellius 15, 1, 1. *declamaverat Antonius Iulianus rhetor praeterquam semper alias, tum vero nimium quantum delectabiliter.* al. *quam d.*

4. Haec tempus habent certa oppositione definitum. Sed potest etiam intelligi aliud tempus quodcumque, ut fere idem significetur, quod verbis *aliquando, umquam.* Quum vero hoc plerumque in re ante acta cernatur, recentiores scriptores *alias* dixerunt pro *antea*, quocum verbo interdum ipsum coniungi iam notavimus. Sic nos quoque *sonst* dicimus pro *vorher, ehemals.*

Suet. Tit. 8. *item pestilentia quanta non temere alias.* i. e. *wie nicht leicht zu andrer Zeit.* Plin. Pan. 48. *itaque non, ut alias, attoniti.* Curt. 10, 2, 12. *regem ferocius quam alias adorti.*

Suet. Aug. 94. *ac die proximo obvium sibi Augustum, quum incognitum alias haberet, non sine admiratione contuitus, simillimum dixit puero, de quo somniasset.*

5. Eamdem ob caussam fit, ut tempora et res tempore comprehensae per *alias* distinguantur, et ipsum hoc verbum explicari possit, *aliquando, interdum, modo.* Atque hoc sensu *alias* bis, terve, quaterve ponitur, et in altera parte subiicitur *plerumque* vel simile vocabulum. Graeci ἄλλοτε, ἄλλοτε.

Cic. de Fin. 2, 27, 87. *nec potest quisquam alias beatus esse, alias miser.* de Orat. 3, 55, 212. Caesar B. G. 5, 54. Cic. in Verr. 1, 46, 120. *alias revocabat eos, inter quos iam decreverat, decretumque mutabat, alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat.* Caes. B. G. 5, 57. *Induciomarus sub castris eius vagabatur alias ut situm castrorum cognosceret, alias colloquendi aut territandi caussa.*

Cic. de Inv. 1, 52, 99. *atque hic, item ut in nostra persona, licebit alias singillatim transire omnes argumentationes, alias ad partitiones singula genera referre, alias ab auditore, quid desideret, quaerere, alias haec facere per comparationem suarum et contrariarum argumentationum.* Varro de Re r. 2, 1, 15. de L. L. 7, 39. (8, 39, 122.)

Cic. de Sen. 15, 51. *nec umquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum foenore.*

6. Alterum *alias* omitti potest, quemadmodum *alii* dicitur pro *alii — alii*. Vid. Oudendorp. ad Caes. B. G. 3, 21, 3.

Caes. B. G. 3, 21. *illi eruptione tentata, alias cuniculis ad aggerem vineasque actis — ubi diligentia nostrorum nihil his rebus profici posse intellexerunt* etc. Ita codices: vulgo *alias eruptione tentata, alias.* Plin. Hist. n. 26, 3, 7. *quinque res maxime communium auxiliorum professus: abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes.* Mureto verba *alias vini* suspecta videbantur, Var. Lect. 15, 16. quo nomine, equidem non perspicio.

7. Hac significatione opposita sibi habet vocabula *aliquando, interdum, saepe, plerumque.*

Plin. Hist. n. 7, 15, 13. *movetur sistitque menses, et ut partus alias letalis, alias una senescens, aliquando alvo citatiore excidens.* Cic. de Orat. 3, 54, 206. *nam et geminatio verborum habet interdum vim, leporem alias, et paullum immutatum verbum.* Suet. Caes. 81. Plin. Hist. n. 16, 32, 58. *hoc alias fastidio, alias contumacia, saepius imbecillitate eorum, quae transferantur, evenit.* Cic. de Senect. 15, 51. *habent enim rationem cum terra, quae numquam recusat imperium, nec umquam sine usura reddit, quod accepit, sed alias minore, plerumque maiore cum foenore.* conf. n. 5. Curt. 6, 7, 11. *alias deinde effeminatum et muliebriter timidum, alias proditorem amatoris appellans, nunc ingentia promittens, interdumque regnum quoque versabat animum tanto facinore procul abhorrentem.*

8. Et contrahitur oratio in formula *alias aliter, alias aliud.*

Cic. de Inv. 2, 13, 45. *et alias aliter haec in utramque partem caussae solent convenire.* de Orat. 2, 7, 30. *itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt et iudicant, et nos contrarias saepe caussas dicimus.* Orat. 59, 200. *quorum descriptus ordo alias alia terminatione concluditur.* de Div. 2, 54, 111. Orat. 71, 237. ad Att. 16, 11. *alii enim sunt alias.*

9. Vbi aliquid dicitur quum aliis saepe temporibus, tum maxime certo quodam tempore factum esse, ponuntur verba *saepe alias*, quibus certi temporis vocabula *nuper, quondam, nunc* aliaque respondent. Neque mutato verborum ordine *alias saepe* mutatur sensus, sed plerumque nectuntur partes orationis per ver-

ba *et saepe alias, et —*. Dicitur etiam *quum saepe alias, tum.*

Cic. Brut. 39, 144. *idque quum saepe alias, tum apud centumviros in M' Curii caussa cognitum est.* de Off. 3, 22, 86. et restitutum idem est 3, 11, 47. ubi vid. Gernhard. et Beierus. de Orat. 1, 9, 38. *quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias et maxime censor saluti reipublicae fuit.*

Cic. Tusc. 4, 4, 7. *quod quum saepe alias, tum nuper in Tusculano studiose egimus.* 5, 4, 11. *fecimus et alias saepe, et nuper in Tusculano.* de Div. 1, 5, 8. Cornel. Nep. Hann. 11, 7. *neque tum solum, sed saepe alias pedestribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.* Cic. Acad. 2, 3, 9. *quibus de rebus et alias saepe nobis multa quaesita et disputata sunt, et quondam in Hortensii villa.* in quo loco Goerenzius codicum auctoritate omisit voc. *nobis*, rationem quaerens in coniunctione verborum *saepe multa:* at arctissime cohaerent *alias saepe.*

In comparatione Symmach. Ep. 1, 90. *nunc tamen libentius, quam saepe alias, scribendi munus insisto.*

10. Eiusdem generis etiam est formula *semper alias:* quae in se habet temporis notionem, ad res ipsas transferendam.

Sueton. Tib. 18. *semper alias sui arbitrii, contentusque se uno tunc praeter consuetudinem cum pluribus de ratione belli communicavit.* Vespas. 22. *et super coenam autem et semper alias communissimus multa ioco transigebat:* ubi Burmannus non debebat ex uno quodam libro recipere *et super aleas.* Optimus quisque scriptor dixisset *super coenam autem et aleas:* sed Suetonius istis verbis exprimere voluit: non modo super coenam, sed semper alias communissimus. Nec probari debebat altera scriptura *comissimus.* Gellius 15, 1. *declamaverat Antonius Iulianus rhetor praeterquam semper alias, tum vero nimium quantum delectabiliter et feliciter.*

11. His contrarium est *raro alias*, quod maxime in comparatione locum habet.

Liv. 45, 20, 3. *ut raro alias quisquam, rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium assensu est auditus.* 3, 69, 1. *raro alias tribuni popularis oratio acceptior plebi, quam tunc severissimi consulis fuit.* ubi codices multi *raro alia.*

12. Cum negatione coniunctum *alias* fere idem significat quod *numquam:* cuius dictionis nullum exem-

plum in Cicerone invenimus. De *numquam alias* vid. p. 220.

Liv. 7, 33, 1. *non alias militi familiarior dux fuit.* 45, 7, 2. *non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit.* Virgil. Ge. 1, 487. *non alias coelo ceciderunt plura sereno fulgura.* Tacit. Ann. 3, 73. *non alias magis sua populique rom. contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod* etc. Sueton. Tit. 8. *pestilentia, quanta non temere alias.* Florus 3, 6, 14. *non alias tam incruenta victoria usi umquam sumus.* ubi alii codd. *alia.* Id recipere non dubitaverunt critici 1, 18, 16. *nec alia magis quam tarentina victoria ostendit populi romani fortitudinem.* Omnes libri praebent *alias*, quod in Flori oratione recte se habet. vid. Duker.

13. A tempore, sicuti fit in his verbis, significatio transfertur ad locum et ad rem designandam: qua de caussa *alias* interpretantur: *alio in loco*, *alibi*, *alia in re.* Cuius usus nullum exemplum certum apud antiquiores scriptores exstare, omnes grammatici tradiderunt, neque aliter nisi de tempore hanc vocem usurpavit Cicero in orationibus: sed ad Att. 16, 11. scripsit: *alii enim sunt alias nostrique familiares fere demortui.* i. e. aliis in locis. Et de Fin. 1, 3, 7. *facete is quidem, ut alias.* vix potest de tempore intelligi. In recentioribus exempla haud rara occurrunt.

Plin. Hist. n. 24, 14, 75. *idaeus rubus appellatus est, quoniam in Ida, non alias nascitur.* Gronovius, adhibito codice Voss., correxit: *quoniam in Ida non alius nascitur:* quod recepit Harduinus: nec perversa esset haec nominis a maiore copia deducendi ratio: tamen vulgaris etiam scriptura probari potest. Iustin. 4, 1, 7. *nec mirum si fabulosa est loci huius antiquitas, in quem res tot coiere mirae. Primum quod nusquam alias tam torrens fretum, nec solum citato impetu, verum etiam saevo.* Quod unus alterve codex praebet *numquam alias*, accipi non licet. Vlpian. in Digest. 23, 2, 43. *si qua, ut assolet, in taberna, caupona, vel alias pudori suo non parcit.* Sed cod. Florent. *in taberna cauponia vel qua alia.* Plin. Hist. n. 25, 2, 5. *Homerus quidem, primus doctrinarum et antiquitatis parens multus alias in admiratione Circes, gloriam herbarum Aegypto tribuit.* i. e. aliis in rebus. Macrob. Sat. 5, 19. *sicut vir alias doctissimus, Cornutus existimat.* Apulei. de Dogm. Plat. p. 9, 16. *nam prudentiam sensusque omnes non alias quam illa parte*

corporis contineri. ubi Colvius et Oudendorp. scripserunt *alia.* Quod Bosscha comparat Vopisci Carum 7. *sed haec alias, in ipsius vita Carini dicenda sunt.* potest aliquo modo ad tempus referri.

14. Scriptores nonnulli recentiores, imprimis Plinius, *alias* dicebant, ubi in una aliqua re aliam conditionem, aliamve rationem, quam quae modo consideraretur, intelligebant, ut idem esset quod *praeterea, alioquin: außerdem, sonst.* Id quum Scioppius vidisset alienum fuisse a veterum scriptorum usu, vehementer reprehendit eos, qui umquam *alias* pro *alioquin* usurpaverint. Iudic. de stilo hist. p. 151. 181. 183. 191. Sed Graevius ad Suet. Tiber. 71. rem exemplis comprobavit. Cf. Perizon. ad Sanctii Min. 1, 17. Tacitus *et alias* dixit, quo modo Plinius *et alioqui.*

Plin. Hist. n. 2, 103, 106. *similiter in Silaro ultra Surrentum non virgulta modo inversa, verum et folia lapidiscunt, alias salubri potu eius aquae.* 25, 2, 6. *alias apud auctores cynorrhodi uni medicina erat.* 18, 7, 6, 4. *L. Tarius Rufus infima natalium humilitate consulatum militari industria meritus antiquae alias parcimoniae.* 19, 8, 48. 8, 25, 37. 12, 3, 7. Ita explico Apulei. Met. 9. p. 219. *dolio, quod erat in angulo semiobrutum, sed alias vacuum, dissimulanter abscondit.* i. e. ceterum. Tacit. Ann. 16, 1. *ceterum — Didonem Fenissam — illas opes abdidisse, ne novus populus nimia pecunia lasciviret, aut reges Numidarum, et alias infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.* i. q. et alioqui. Heinsius temere coniecit *ei alias.* Plin. Hist. n. 8, 39, 59. *et alias vel annua fame durant.*

Peculiari modo Apuleius composuit *partim — alias*, sicuti *partim — alii.* Florid. 2, 14. p. 350, 3. *haec atque hoc genus alia partim quum audiret a Diogene Crates, alias sibimet ipse suggereret* etc. Oudendorp. „*alias* hic idem est, quod partim, alioquin: nec tempus, sed modum notat.“

15. Formulae, ut videtur, e vulgari sermone desumptae *non alias quam, non alias nisi* reperiuntur in Taciti et Curtii libris, et praesertim apud Vlpianum aliosque iurisconsultos.

Tacit. Ann. 3, 73. *non alias magis sua populique romani contumelia indoluisse Caesarem ferunt, quam quod desertor et praedo hostium more ageret.* quod explicant: non alia de caussa. Buhlius, ut defenderet Tacitum ab Hilli reprehensione, de Taciti stilo p. 53., ad tempus retulit: non alio tempore,

non alia occasione: sed frustra. Melius demonstrasset usum hac una formula coercitum. Curt. 8, 1, 24. *debilitatum vulnere, quod in ea consternatione acceperat, iacuisse non alias quam simulatione mortis tutiorem.* 8, 14, 16.

Vlpian. Dig. 23, 3, 29. *opposita doli exceptione, non alias cogetur ei heres legatum solvere, quam si caverit indemnem hoc nomine heredem futurum.* 47, 4, 1, 2. Paullus 23, 3, 37. *non enim alias perit mulieri actio, quam si nuptiae sequutae fuerint.* Marcian. 29, 7, 6, 2. *licet in confirmatione codicillorum paterfamilias adiecerit, ut non alias valere velit, quam sua manu signatos et subscriptos.* Vlpian. 28, 6, 8. *non alias exsistet heres ex substitutione, nisi et ex institutione heres fuerit.* Marcianus 20, 1, 5, 1. Paullus 21, 1, 43, 7.

16. Praeter hanc formulam nemo antiquiorum scriptorum *alias* dixit pro *aliter*. Vid. Oudendorp. ad Sueton. Tib. 71. et Drakenb. ad Liv. 21, 56, 2. Iurisconsulti tamen ab antiqua consuetudine discedere solebant.

Vlpian. Dig. 33, 8, 8, 8. *et Iulianus alias accipiendum legatum peculii ait, si ipsi servo legetur.*

In Terent. Andr. 3, 2, 49. legitur: *quid alias malim quam hodie has fieri nuptias?* Donatus haec: *pro cur alias, alio tempore.* Atque eodem modo Acron ad Horat. Serm. 1, 4, 63. Sed Charisius p. 175. *Fl. Caper de latinitate, non ausim affirmare alias pro aliter dici. nam neque pronomen est, neque adverbium temporis est, sed proximum vero est, ut pro eo, quod est aliter, dictum esse fateamur.* Haec dubitatio removebitur, modo ad id, quod Simio dicere potuerit, accuratius attenderimus. Dicit autem hoc: si Chremes filio meo filiam suam nuptum dederit, quid differam nuptias: nam a filio nullum obstat impedimentum: ipsum, qui pollicitus est, cogere possum. Quod exprimi poterat verbis: cur alias i. e. alio tempore futuro malim quam hodie has fieri nuptias. Per Bentleii correctionem ab Acrone sumptam *quando alias* nihil proficitur: nam *quid malim* dictum est ut Heaut. 3, 2, 18. *quid ego nesciam?* quod non debebat mutare Bentleius, quasi non recte ita quoque diceretur, quod alibi *quidni sciam.* In Sueton. Tib. 71. *quamquam alias promptus.* Graevius acceperat pro *aliter* vel *alioquin:* sed iure eum reprehendit Oudendorpius.

* Confunduntur in codicibus vocabula *alia* et *alias*. vid. Drakenb. ad Liv. 3, 69, 1. et *alioquin*. vd. Oudend. ad Sueton. Tib. 71. et ad Apuleii Flor. Tom. 2. p. 46.

et *aliter* Rhenan. ad Liv. 28, 18, 1. A librariis insertum notat Frotscher ad Quinctil. 10, 1, 44.

ALIBI.

1. Adverbium ALIBI est *aliibi*, quod veteres etiam pronuntiatione notasse videntur reflexa vocali, non simpliciter enuntiata, ut nos hodie solemus: significatque *alio loco*, ἄλλοθι. Eo utuntur maxime recentiores scriptores: Cicero, si bene observavi, non nisi in verbis *nusquam alibi:* Plinius autem nihil frequentius. In Tacito nusquam inveni.

Plaut. Trin. 4, 3, 72. ST. *hiccine nos habitare censes?* CH. *ubinam ego alibi censeam?* Truc. 4, 4, 12. *scio equidem — alibi iam animum tuum.* Apulei. Florid. p. 356, 6. *quin etiam commemoravit et alibi gentium et civitatum honores mihi statuarum et alios decretos.* ubi notandum est vocabulum *gentium*, uti p. 360, 4.

2. In designandis diversis locis bis terve ponitur, et alias similes particulas sibi ex adverso appositas habet: quo patet, ipsum fere eodem modo dici quo *hic — illic.*

Liv. 3, 18, 3. de clamore: *alibi pavorem, alibi gaudium ingens facit.* 8, 32, 12. Tacit. Hist. 3, 83. Seneca Epist. 89. *in his, qui aliquid ex distanti loco ferire conantur, alibi est qui petit, alibi quod petitur.* Plin. Hist. n. 18, 30, 72. Liv. 38, 46, 8. *exercitus, spolia regis Antiochi referens, trifariam dissipatus, alibi primum, alibi postremum agmen, alibi impedimenta, inter vepres in latebris ferarum noctem unam delituit.* Plin. Hist. n. 5, 27.

Virgil. G. 1, 54. *hic segetes, illic veniunt felicius uvae, arborei foetus alibi.* Plin. Hist. n. 10, 50, 72. *nec tamen in hoc mangonio quidquam totum placet: hic clune, alibi pectore tantum laudatis.*

3. Contrahitur oratio, ubi *alibi* coniungitur cum verbis *alius, aliter:* interdum non sine perspicuitatis detrimento.

Liv. 2, 23, 11. *haec se meritos dicere, exprobrantes suam quisque alius alibi militiam:* ubi dura verborum structura non magnopere placet. Intellige militiam alibi factam. 44, 33, 1. 9, 2, 2. Plin. H. n. 16, 5, 6. Liv. 44, 35, 17. *medium spatium torrentis, alibi aliter cavati, paullo plus quam mille passus patebat.* Plin. Hist. n. 2, 47, 46.

4. Componitur cum negatione in formulis *non alibi*, *nusquam alibi*, *nec usquam alibi*. Saepe *quam* sequitur.

Virgil. Ecl. 1, 41. *neque servitio me exire licebat, nec tam praesentes alibi cognoscere divos.*

Cic. Acad. 2, 32, 103. *illud sit disputatum, non inesse in his propriam, quae nusquam alibi esset, veri et certi notam.* Cic. ad Att. 13, 52. *Dolabellae villam quum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi.* Terent. Heaut. 2, 3, 38. paullo post afferendus.

His similis est structura verborum, quae interrogationem exprimunt, negationis instar.

Liv. 5, 52, 6. *in Iovis epulo num alibi quam in Capitolio pulvinar suscipi potest?* ubi codices etiam *non* exhibent.

5. In comparatione locorum ponunt Latini *alibi quam*, ubi nos dicimus *anderswo als*, ea quidem ratione, qua *aliud quam* usurpatur. Quare etiam frequentior est dictio negatione addita.

Plin. Hist. n. 32, 10, 43. *qui et alibi quam in Nilo nascitur.* Tacit. Hist. 1, 4. *evulgato imperii arcano, posse principem alibi quam Romae fieri.* Ann. 15, 20. Adiecto comparativo Apul. Florid. p. 360, 4. *faciliusque laudes vestras alibi gentium quam apud vos praedicarim.*

Liv. 43, 9, 4. *nusquam alibi quam in Macedonia bellum erat.* 10, 20, 16. *coactique vendere praedam, ne alibi quam in armis animum haberent.* Suet. Aug. 23. *graves ignominias cladesque duas omnino, nec alibi quam in Germania accepit.* Tacit. An. 1, 77. *ne egredientes in publicum equites Romani cingerent, aut alibi quam in theatro spectarent.* Colum. de Re r. 8, 11, 8.

6. In duobus Plinii locis legitur *alibi atque alibi*, quod comparari potest cum verbis *aliter atque aliter:* sed dubia est in iis scriptura. In Hist. n. 13, 1, 2. *nec mixtura et compositione tantum hoc accidit, sed iisdem succi varie alibi atque alibi ad quaelibet praevaluere aut degeneravere.* Harduinus eiecit verba *atque alibi*, quae absunt etiam ab editione prima anni 1469. 34, 14, 41. *haec aqua alibi atque alibi utilior nobilitavit loca gloria ferri.* Princeps editio habet *alibi peior, alibi utilior.* Errarunt certe, qui in hac formula, si quae est, *atque* a comparativo pendere existimarent,

tamquam diceretur *alibi utilior atque alibi.* vid. Ruhkopf. ad Senec. Ep. 35, 4.

7. Ponitur *alibi* etiam ita, ut non ad unum aliquem locum certum referamus, sed potius quemcumque alium, aliquem locum intelligamus.

Curt. 7, 4, 26. *Bactrianae terrae multiplex et varia natura est. Alibi multa arbor et vitis largos mitesque fructus alit: solum pingue crebri fontes rigant. — Magnam deinde partem eiusdem terrae steriles arenae tenent.* Est *alibi* id quod aliquibus in locis.

8. Haec omnia, quae de loco dicta sunt, etiam, ut fit in vocabulis locum designantibus, ad ipsas res transferuntur, ut *alibi* significet *in alia re, alio modo.* cf. Schelleri Praecept. stili p. 451.

Plaut. Bacch. 5, 1, 16. *atque ego, si alibi plus perdiderim, minus aegre habeam.* Celsus 6, 6, 8. *videlicet hic quoque, ut alibi, quum secunda vana fuerint, contrariis adiuvantibus.* Terent. Andr. 2, 5, 9. *neque istic, neque alibi tibi erit usquam in me mora.* Liv. 30, 35, 11. *nec spem salutis alibi quam in pace impetranda esse.* 7, 41, 2.

Terent. Heaut. 2, 3, 38. *hinc scire potuit, aut nusquam alibi, Clinia, quo studio vitam suam te absente exegerit.* Quod Faernus praetulit, *hic*, factum est a librariis, qui *hinc* non satis convenire cum voc. *nusquam* putarent.

Quinctil. 11, 1, 47. *et pleraque, quae natura non sunt reprehendenda, atque interim sunt necessaria, alibi, quam mos permiserit, turpia habeantur.* i. e. in aliis rebus. cf. 4, 1, 53.

9. Atque id, quod grammatici tamquam peculiare notant, *alibi* etiam ad personam referri, commune est omnibus adverbiis loci, quae, ubi persona nominanda sit, eam loci nomine designent. vid. Vechneri Hellenol. p. 237.

Terent. Hec. 3, 1, 14. *priusquam hanc uxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum.* intelligitur, apud meretricem. Liv. 29, 25, 1. *quantum militum in Africam transportatum sit, non parvo numero apud auctores discrepat. Alibi decem millia peditum, duo millia et ducentos equites: alibi parte plus dimidia rem auctam, — invenio.*

10. Sicuti *alias* dicitur de re quacumque alia praeter aliquam rem cogitanda, sive pro *alioquin*, ita etiam *alibi* nonnulli scriptores recentiores usurpabant. Nos dicimus *sonst.*

Plin. Hist. n. 31, 6, 32. *quod vulgus alienum arbitratur, idcirco non alibi corporibus magis obnoxiis.* Haec intelligo ita: idcirco, quod non per plurimas horas calidis aquis utuntur, eorum corpora non alias sunt magis obnoxia morbis. Fortasse etiam huc pertinent Curtii 9, 1, 5. *rhinocerotes quoque, rarum alibi animal, in iisdem montibus erant.* 9, 1, 13. *nemus opacum arboribus alibi inusitatis.* Quae quamvis explicari possint: arbores alio in loco inusitatae, non tamen certa est loci notio, sed additur vocabulum illud *alibi* minus grave, ut in nostro: *sonst seltene Bäume.*

Id non consideravit Schopen, quum in Donati verbis ad Terent. Andr. Prol. 22. *liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus adversarios.* eiiciendam censebat vocem *alibi.* Est vero id quod *alias* pro *alia in re*, *alioquin* positum.

ALICVBI. ALIQVOBI.

1. ALICVBI, ex *aliquo ubi* factum, notat *aliquo in loco*, et ad rem delatum, *aliqua in re.* Conf. Priscianus p. 1058. Rarus est usus huius vocabuli, de cuius scribendi norma Caesellius apud Cassiodor. de Orthogr. p. 2314. *et aliquobi aeque: ex aliquo enim et ubi est, hoc est in aliquo loco: sed hae syllabae, quae litteris Q, V, O, constant, non exaudiuntur, perscribi tamen debent.* Igitur scribendum esse censet ALIQVOBI, non ALICVBI. Dicebant autem *aliquobi*, ut *neutrobi*, *utrobi:* alii tamen praetulisse videntur *alicubi* ob mutabilitatem vocalium O et V. Vid. Schneideri Gram. 1. p. 29. qui tamen non debebat conferre exemplum *adhuc.*

Cic. ad Attic. 9, 10. *si salvus sit Pompeius et constiterit alicubi, hanc νεκυίαν relinquas.* Sueton. de grammat. 7. *nam cetera scripta discipulorum eius esse, non ipsius: in quibus et suum alicubi reperiri nomen.*

In Petron. Sat. 45. recte legitur: *tu si alicubi fueris, dices, hic porcos coctos ambulare.* Schefferus et reliqui omnes correxerunt *aliubi.* At sententia haec est: ubicumque fueris, dices in invidiam patriae, ibi porcos coctos ambulare.

2. Pluries ponitur, ut reliqua huius generis vocabula.

Seneca de Tranq. an. 2, 2. *opus est itaque non illis durioribus, quae etiam transcurrimus, ut alicubi obstes tibi, ali-*

cubi irascaris, alicubi instes gravius. Epist. 89, 21. *omnibus licet locis tecta vestra splendeant, alicubi imposita montibus in vastum terrarum marisque prospectum, alicubi ex plano in altitudinem montium educta* etc.

3. Cum *hic* coniunctum eam vim habet, ut aliquem locum vicinum quidem, sed non certum indicet: *hier irgendwo.*

Terent. Adel. 3, 4, 7. *utinam hic prope adesset alicubi, atque audiret haec.* i. e. *wenn er doch hier irgendwo in der Nähe wäre.* Cic. pro Flacc. 29, 71. *in hisce agris tu praedia habere voluisti: omnino mallem hic alicubi in Crustumenio, aut in Capenati paravisses.*

4. In Plinii Hist. n. 8, 38, 57. antiquissimae editiones habent: *leontophonon accipimus vocari parvum, nec alicubi nascens quam ubi leo gignitur:* et 10, 30, 45. *merulae circa Cyllenen Arcadiae, nec usquam alicubi candidae nascuntur.* Sed *alibi* scribendum est, nisi *alicubi* in altero loco pro alio loco accipiatur. Vocabulum *aliquis*, et quae ex eo facta sunt *alicubi, alicunde*, non possunt ipsa coniungi cum negatione, neque Latini usquam dixerunt simpliciter *non aliquis:* id quod plurimos criticos fefellit. Nam in iis locis, in quibus adhaerere videtur negatio, aut ea ad verbum vel ad aliud vocabulum pertinet, veluti in *non esse* Cic. de Orat. 1, 4, 14. et in *qui non* Catull. 22, 19. Statii praef. Silv. libr. 1, 2. aut *neque* est pro *ne quidem* positum, uti Caes. B. G. 3, 28. aut, interposito vocabulo *umquam*, *aliquis* sensum habet verborum *alius quis*, sicuti Cic. ad Fam. 5, 2, 16. de Invent. 1, 54, 104. aut denique *non aliquid* significat *haud parum*, ut Cic. Brut. 14, 54. et *non aliquid* dicitur pro quodam, de certa aliqua re, quae est aut cogitari potest, ut Cic. Orat. 56, 186. p. Sext. 17, 40. Vbi vero *aliquis* est alius nescio quis, de re incerta, addi nullo pacto potest negatio. Ratio in promptu est.

De *necubi* et *sicubi*, quae dicuntur pro *ne alicubi, si alicubi,* infra dabitur disserendi locus.

ALICVNDE.

1. ALICVNDE est *ex aliquo loco, ab aliquo loco:* id quod ex ipso vocabulo cognoscitur. Nos dicimus *irgendwoher*, Graeci dixerunt ἁμόθεν, Attici ἁμόθεν γέ πο-

θεν. De scriptura Caesell. apud Cassiodor. p. 2314. *aliquunde per quun debet scribi: divisio enim illius est aliquo et unde, hoc est, ex aliquo loco, sed certe N, non M erit, quia unde per N scribitur.* Ex his recte colligitur, a quibusdam olim scriptum esse *alicumde* vel *aliquumde.* vid. s. v. CVM, QVVM.

Terent. Andr. 2, 4, 3. *venit meditatus alicunde ex solo loco.* i e. ex aliquo solo loco. Cic. de Fin. 5, 11, 31. *in parvis enim saepe, qui nihil eorum cogitant, si quando his ludentes minamur praecipitaturos alicunde, extimescunt.* Quae verba nullam dubitationem admittunt: est enim anacoluthon, hoc quidem sensu: in parvis saepe fit, ut, qui nihil eorum cogitant, — extimescant. Pro Caec. 16, 46.

2. Ad homines et res saepe refertur, ut sit *ab aliquo homine*, *ab aliqua re* sive *parte.* Hoc imprimis dicitur de pecunia ab aliquo impetranda.

Plaut. Pers. 1, 1, 44. *alicunde exora mutuum.* Cic. in Verr. 2, 20, 48. *non quaesivit procul alicunde, sed proximum, pene alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstulisse.* in quo loco ne quis negationem cum v. *alicunde* coniungat, cautum est ipsa verborum positione. Hinc *alicunde sumere* pro mutuum sumere ab aliquo homine. vid. Terent. Adelph. 2, 2, 34. Phorm. 2, 1, 70. Plaut. Epid. 3, 1, 13. *quippe tu mihi aliquid aliquo modo alicunde ab aliquibus blatis, quod nusquam est.* conf. v. 10. In Sueton. Aug. 49. *qui a loco perferunt litteras.* Graevius coniecit *qui alicunde*, probante Oudendorpio. Est vero *a loco* formula ex disciplina desumpta, ut *in loco* de loco rei gerendae.

Et de rebus: Terent. Hec. 3, 1, 6. *nos omnes, quibus est alicunde aliquis obiectus labor.* i. e. ab aliqua re.

3. Cum vocabulo *quo* coniungitur a Cicerone ad Attic. 10, 1. *quod scribis, non quo alicunde audieris, sed te ipsum putare, me attractum iri, si de pace agatur, mihi omnino non venit in mentem, quae possit actio esse de pace.* Nos: *wo irgendher du es vernommen habest.* Conf. *quo alio.*

De *sicunde*, quod est *si alicunde*, vide suo loco.

ALIO.

Adverbii naturam induit ALIO, quod utrum ablativus sit, an dativus, dubitare licet. Atque Perizonius ad

Sanctii Min. 3, 14. p. 748. dativum esse demonstrat, nec quidquam huic sententiae a forma obstat. vid. Vossius de Anal. 4. p. 202. Neque iis, qui nuperrime proprietatem ablativi negarunt, in hoc vocabulo deerit, quo suam opinionem defendant. Vid. Wüllneri librum: *die Bedeutung der sprachlichen Casus und Modi* p. 74. Nos dativo recte assignabimus directionis notionem, quae aliquantum ab accessionis et ingressionis notione differt: veluti distinguuntur verba *coelo ire* et *ad coelum* sive *in coelum ire.* Quare, quum dicimus unam esse huius verbi significationem de motu et itinere in alium locum, intelligimus directionem tantum, non ingressum. Atque hae notiones, quae motum designant, cognatae sunt iis, quae situm indicant.

1. Dicitur igitur de loco, quo aliquis tendat, vertatur, moveatur: ἄλλοσε, *anderswohin.* Poetae hoc vocabulo varias componunt dictiones ad describendam alienationem et discessum in amore. vd. Burmann. ad Propert. 2, 5, 4. p. 244.

Terent. Eun. 2, 2, 49. *fortasse tu profectus alio fueras.* Liv. 32, 2, 4. *petentibus iisdem — ut ab Norba, ubi parum commode essent, alio traducerentur.* Lucan. 2, 230. *hos alio, Fortuna, vocas: olimque potentes concurrunt.* ubi nihil mutandum. Sensus enim est: Pompeii et Caesaris aliud est consilium aliaque fortuna, et qui iam olim potentes erant, nunc concurrunt, non sua potentia contenti. Horat. Epod. 15, 23. *translatos alio moerebis amores.* Propert. 2, 4, (5,) 4. egregie emendavit Burmannus *et nobis alio, Cynthia, ventus erit.* nisi praestat altera coniectura *aliquo.*

2. Sed refertur etiam ad res ipsas, ut significet *ad alium hominem, ad aliam rem,* vel *ad alium finem, in alium usum.*

Terent. Heaut 2, 4, 10. *illi suum animum alio conferunt.* Eun. 3, 1, 60. *ne quando iratus tu alio conferas.* ubi Donatus: *et hic locum pro persona posuit, ut ne diceret ad aliam.* Sallust. Iug. 19, 2. *nam de Carthagine silere melius puto, quam parum dicere: quoniam alio properare tempus monet.* Cic. de Orat. 1, 29, 133. *sed, si placet, sermonem alio transferamus.* ad Fam. 1, 4. Cic. p. Cluent. 23, 63. *tamen vocat me alio iamdudum tacita vestra exspectatio.* in Verr. 1, 53, 139. *alio responsionem suam derivavit.* Tacit. Ann. 1, 18. *alio vertunt.* i. e. ad aliud consilium.

Cic. de Fin. 2, 9, 27. *appellet haec desideria naturae: cupiditatis nomen servet alio, ut, — quum de maximis vitiis loquetur, eam tamquam capitis accuset.*

3. Vti reliqua huius familiae nomina, etiam *alio* bis ponitur in formula *alio atque alio*, et in disponendis rebus exadversum: *alio — alio.*

Seneca de Brev. v. 11, 2. *nihil ex illa delegatur: nihil alio atque alio spargitur.* i. e. *da und dorthin.*

Cic. de Off. 3, 23, 89. *hic alio res familiaris, alio ducit humanitas.* ubi *hic* i. q. in hac re.

4. Negatione addita, cum vocabulis *quam* et *atque*, et in interrogatione cum *nisi* eodem modo construitur, quo verba *alius*, *aliter.*

Liv. 7, 18, 7. *sed pars altera, in aeterno imperio locata, plebem nusquam alio natam quam ad serviendum putet.* Sueton. Aug. 98. *cautionem exegit a singulis, non alio datam summam, quam in emtionem Alexandrinam mercium absumpturos.* Parum eleganter Liv. 42, 46, 4. *quae serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad Romanos, respectus.* nisi ille scripsit *nullus alius sit.*

Liv. 39, 36, 11. *quo alio, nisi ad nos socios vestros — confugerent?*

5. Componitur cum vocabulis *alius*, *aliunde.*

Cic. de Off. 3, 20, 80. *et ceteri quidem alius alio: Marius a subselliis in rostra recta.* de Divin. 1, 34, 76. Liv. 2, 54, 9. 7, 39, 2. Senec. Nat. q. 3, 11, 1. *saepe motu terrarum itinera turbantur et ruina interscindit aquas, quae retentae novos exitus quaerunt, et aliquo impetu faciunt, aut ipsius quassatione terrae aliunde alio transferuntur.* vid. alia in VOC. ALIVNDE.

6. Dicitur *quo alio* et *alio quo* pro *in alium aliquem locum:* quod quomodo differat ab *aliquo*, in promptu est. Nos *anderswohin.* In interrogatione usurpari *quo alio?*, modo observavimus in Livii exemplo.

Cic. ad Att. 9, 17. *ex illius sermone statuam, Arpinumne mihi eundum sit, an quo alio.* Liv. 38, 30, 7. *si quando Romam aliove quo mitterent legatos.*

ALIOQVI. ALIOQVIN.

Ex *alius quis* factum est ablativo casu ALIOQVI, quod est *alio quo*, sive *alio aliquo.* Et intelligi potest

alio quo modo. Quae saepe adhaeret, littera *N* in ALIOQVIN et in *ceteroquin*, diversa a compositione verbi *quin*, quod est *qui non* seu *quo non*, molliori quidem sono vocem claudit hiatumque temperat ante vocabulum vocali incipiens: sed non omni significatione expers conspirare videtur cum ipsius verbi notione. Quamquam haec dubia res auctoritate scriptorum librorum confirmari non potest: ii enim ubique discrepant. Cortius ad Plin. Ep. 1, 20, 2. narrat se in Plinii et Apuleii codicibus ubique reperisse *alioqvin*, quod quam male observatum sit, monstrat Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 44.: Drakenborchius autem refert, in melioribus Livii exemplaribus legi *alioqui* etiam ante vocalem. vid. ad 8, 9, 1. et ad 37, 46, 5. Burmann. ad Quinctil. Instit. Prooem. 1. Oudendorp. ad Apulei. p. 16. ad Sueton. Tib. 72. Veteres Grammatici nihil praecipiunt praeter unum Caprum, qui de Orthogr. p. 2241. haec: *atqui careat N: similiter alioqui.* Bapt. Pius ad Lucret. 3, 415. sequenti vocali, inquit, imitatione Graecorum dicimus *alioquin:* sequente vero consonante, ut servetur euphonia, *alioqui.* At non tanta erat apud Latinos hiatus fuga, ut illam litteram *N* ea legis necessitate adstricti adhiberent, qua Graeci *ν ἐφελκυστικόν* interponere solebant, et ne de singulis quidem scriptoribus certa consuetudinis regula potest constitui. vid. Schneideri Gramm. 1. p. 165. et 497. Equidem in illa littera N non vim dubitativam agnosco, de qua in verbo AN dicendum erit, sed oppositivam eam, quae apparet in *sin*, i. e. *wenn dagegen.* Si quid igitur differunt *alioqui* et *alioquin*, hoc alterum notionem oppositae rei magis effert: quod ipsum iam significatione vocabuli involvitur. Ita factum esse videtur, ut scriptores huic discrimini parum aut nihil tribuerent, et in eligenda forma vel auribus vel arbitrio obtemperarent. Fuisse, qui alteram formam *alioquin* improbarent, ille Caper grammaticus testatur. Quare in defendenda ea firmiora quidem argumenta tractare non licet. Accedit, quod universus huius vocabuli usus non tantum admodum recens, sed a quocumque scriptore peculiariter determinatus est. Iam Caelius Calcagninus in Epist. Quaest. 3. p. 42. narrabat, se apud Ciceronem nusquam legisse hoc vocabulum. Atque, si integra res est, uno in loco Cicero id vocabulum usurpavit. Nam quod in Orat. 15, 48. legitur, factum est ab editoribus, qui, ut oratio aliquo modo cohaereret,

verbum sibi magis usitatum inserebant. Sed emendandus erat locus, in quo omnes codices *alioqui* omittunt, vel hoc modo: *quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Quodammodo ille in bonis haerebit et habitabit suis: aut molliet dura, aut occultabit, quae dilui non poterunt, atque omnino opprimet, si licebit, aut abducet animos, aut aliud afferet, quod oppositum probabilius sit quam illud, quod obstabit.* Vulgo *quonam modo.* At interrogationi, nisi addatur quid, non aptus erit locus: coniunctionem *igitur* vel *nam* non desiderabimus interposito nomine *ille:* et maxima vis inest in vocabulis *haerere et habitare.* Quod ex Epist. ad Att. falso nomine afferunt, legitur 12, 3. *ceteroquin.* Restat igitur unum exemplum de Leg. 2, 25, 62. *sed credo minimam olim istius rei fuisse cupiditatem: alioquin multa exstarent exempla maiorum.* Attamen hic quoque dubitari decet, tum ob librorum scripturam *vidisse*, quam Manutius non eleganter emendavit *vides sed credo*, antecedentibus iisdem verbis (nimirum scribendum erat *et credo*), tum ob ipsam sententiam, quam potius ab interpolatore nimis sedulo, qui hos libros tractavit, appositam censeamus. Igitur ante Livium, qui hoc vocabulum usurpaverit, praeter Lucretium nullus videtur exstare scriptor; nemo frequentius Plinio Secundo, sed Tacitus etiam cum quadam proprietate. Lucretius semel posuit 3, 415. numquam Plautus et Terentius, numquam Sallustius et Caesar.

Haec iam scripseram, quum Beierus litteris ad me datis, aliam sibi conformatam esse sententiam significavit, *alioqui* dici affirmative pro *alio quo*, i. e. quodam, *respectu* vel *modo*, ut *ceteroqui: alioquin* interrogative pro *alio respectu quo modo non? aliter quine?* h. e. *alio respectu utique*, ut *ceteroquin* pro *cetera, ceteris in rebus cur non?* Quae cur amico carissimo non approbem, aut expositioni a me factae praeferam, ii non mirabuntur, qui mecum obscurae subtilitatis vituperationem effugere cupiant. Sensit idem Lindemannus, qui in Comment. de Adverbio. 4. p. 4. falsam appellavit scripturam *alioquin* propterea, quod negandi vim haberet alienam. Atqui haec negatio etiam in interrogatione inesset. De oppositiva vi syllabae *ne* iterum dicemus in QVIN.

1. Significat ALIOQVI conditionem, quae in aliis vel reliquis partibus est, ideoque semper habet, cui oppo-

natur illud reliquum. Ita componitur cum nominibus adiectivis, quibus aut praeponitur aut adiungitur. Est igitur ἄλλως, *in andrer Hinsicht*, *übrigens*, *sonst: ceterum.* Et dicitur ita imprimis tum, quum de consuetudine in aliqua rei parte servata, aut de conditione, exceptis iis quae discrepent, non mutata agitur.

Liv. 37, 46, 5. *milites tantum, qui sequerentur currum, defuerunt: alioqui magnificus et spectaculo et fama rerum triumphus erat.* 8, 9, 1. *Decio caput iecinoris a familiari parte caesum aruspex dicitur ostendisse: alioqui acceptam diis hostiam esse.* 30, 29, 10. *Hannibal tumulum — tutum commodumque alioquin, nisi quod longinquae aquationis erat, cepit.* Horat. Sat. 1, 6, 65. *atqui si vitiis mediocribus ac mea paucis mendosa est natura, alioqui recta.* — Quinctil. Inst. 1. Prooem. 1. *paullo plus quam biennium, tot alioqui negotiis districtus impendi.* ubi vid. Burmann. Plin. Hist. n. 11, 53, 116. Curtius 7, 4, 8. 8, 2, 2. Tacit. Ann. 4, 37. 13, 20.

2. Aliquo modo differunt ea, in quibus *alioqui* sententiae concessivae inservit, ideoque interdum cum verbis *quamquam* et *quamvis* et *quum* coniungitur. Nos etiam simili ratione per *übrigens* loquimur.

Liv. 7, 19, 2. *triumphatum de Tiburtibus: alioquin mitis victoria fuit.* i. e. triumphatum erat, quamquam mitis fuit victoria.

Lucret. 3, 414. *at si tantula pars oculi media illa peresa est, incolumis quamvis alioqui splendidus orbis, occidit extemplo lumen.* Sueton. Tib. 71. *sermone graeco, quamquam alioquin promptus et facilis, non tamen usquequaque usus est.* ita enim optimi libri, non *alias* praebent. Plin. Ep. 9, 35, 1. *ideo nondum eum legi, quum alioqui validissime cupiam.* Plin. Hist. n. 10, 72, 93.

3. Deinde ponitur ALIOQVI, ubi non una rei pars vel conditio reliquis opponitur, sed ipsa res aliis rebus eodem nomine comprehensis. Quo usu fere idem significat quod *praeterea.* Sed possunt haec etiam ad commune illud nomen et ad universam rem, cui una aliqua pars opponatur, referri: quare dubitabis, utrum reddas per *sonst noch*, an per *überhaupt.*

Quinctil. Inst. 2, 14, 4. *ne pugnemus igitur, quum praesertim plurimis alioquin graecis sit utendum.* i. e. plurimis aliis. 4, 2, 11. *ego autem magnos alioqui sequutus aucto-*

res, duas esse in iudiciis narrationum species existimo. i. e. in aliis etiam rebus: ita intelligenda sunt verba, non quo dixit Spaldingius modo. Curt. 4, 2, 6. *non tenuit iram Alexander, cuius alioquin potens non erat.* etiam in aliis rebus. Reddimus *dessen er auch sonst nicht mächtig war*, aut *dessen er überhaupt n. m. w.* Tacit. Hist. 3, 32. *tempus quoque mercatus ditem alioqui coloniam maiorum opum specie complebat.*

4. Haec vero significatio, qua nostro *überhaupt* respondet, maxime placuit Apuleio. Sed loquitur ita Quinctilianus quoque et Plinius et Tacitus.

Quinctil. 12, 10, 17. *asiana gens, tumidior alioqui atque iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est.* Plin. Ep. 8, 24, 9. *quum sit alioqui, ut saepe audisti, saepe legisti, multo deformius amittere quam non assequi laudem.* Tacit. Ann. 4, 37. *qua occasione Caesar, validus alioqui spernendis honoribus — huiuscemodi orationem coepit.* Sic etiam in interrogatione, quae totam rem complectitur, Quinctil. 4, 5, 3. *alioqui quae tam manifesta et lucida est ratio, quam rectae partitionis?*

Apulei. Met. 2. p. 114, 32. Elm. *anxius alioquin et nimis cupidus cognoscendi, quae rara miraque sunt, reputansque me media Thessaliae loca tenere, quo artis magicae nativa cantamina totius orbis consono ore celebrentur — suspensus alioquin et voto simul et studio, curiose singula considerabam.* ubi prius illud *alioquin* non ausim delere, ut fecit Bertinus. 4. p. 142, 32. *nec me cum asino vel equo meo compascuus coetus attinere potuit. adhuc insolitum alioquin prandere foenum.* 2. p. 118, 2. *tunc illa lepida alioquin et dicacula puella — inquit.* 1. p. 103, 17. Alia vide apud Oudendorp. T. 1. p. 82. et 236. et p. 528. ubi observat, Apuleium solere voci *alioquin* subiungere saepe adiectivum synonymum cum copula, veluti *anxius alioquin et nimis cupidus.*

5. Illud vero, quod redditur per vocabula *praeterea, außerdem*, apud Celsum et Quinctilianum et Tacitum reperitur. Additur etiam *et.* Plinius uterque *et alioqui* dixit: nescio an nemo alius.

Celsus 8, 4. p. 515. *sed haec quidem alioquin memoria magni professoris uti interponeremus effecit.* i. e. praeter utilitatis caussam. Quinctil. 4. Prooem. 6. *cuius mihi religionis non haec sola ratio, quae maxima est: sed alioqui sic*

procedit ipsum opus, ut maiora praeteritis ac magis ardua sint, quae ingredior. 5, 6, 4. Tacit. Ann. 4, 11. *ordo alioqui sceleris, per Apicatam Seiani proditus tormentis Eudemi ac Lygdi patefactus est.* 11, 6. *alioquin et bonarum artium principem sordidis ministeriis foedari.* Hist. 2, 27.

Arrius Menander in Dig. 49, 16, 4, 8. *alioquin et si relinquat litem vel transigat, retinendus est.* ubi Tabor errat, quum *alioquin* pro *quin* positum esse censet. vd. Heinecc. ad Brisson. de Verb. signif. p. 66. Plin. Hist. n. 9, 16, 25. *et alioqui totum mare sentit exortum eius sideris.* Plin. Ep. 2, 9, 1. *afficior cura et quam pro me solicitudinem non adii, quasi pro me altero patior: et alioquin meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur.* 10, 42, 2. Paneg. 45, 4. *et ideo non censuram adhuc, non praefecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potius quam remediis ingenia nostra experiri placet. Et alioquin nescio an plus moribus conferat princeps, qui bonos esse patitur quam qui cogit.* 68, 7. 70, 9. vid. Schwarz. p. 554. qui vidit in Pan. 53, 1. restituendum esse: nisi hic locus ad eum usum, quem in Curtio observavimus, referri debebat.

Locus dubius est Sueton. Vitell. 2. *Ceterum P. Vitellius — quatuor filios amplissimae dignitatis cognomines ac tantum praenominibus distinctos reliquit, Aulum, Quintum, Publium, Lucium. Aulus in consulatu obiit, quem cum Domitio — inierat, praelautus alioqui famosusque coenarum magnificentia.* Oudendorp. explicat: cetera et quod ad quotidianam vitae rationem ac consuetudinem moresque pertinet. Qua ex sententia vertemus *im Uebrigen:* at quod dicitur Aulus et in consulatu mortem obiisse et praeterea praelautum fuisse, id non bene convenit, neque excusari potest, nisi ea negligentia, qua apud nos quoque scriptores non optimi verbum *übrigens* usurpant cum vi adversativa: atque consulatus nomen in honorem dictum est, cui reliqua opponerentur.

6. Hoc modo fit, ut *alioqui* locum habeat in enuntiationibus copulativis, quibus simul aliquam rem praeter alias spectandam esse indicamus. Coniungitur igitur cum vocabulis *et — et, quum — tum.*

Liv. 43, 19, 3. *et alioqui opportune situm, et transitus ea est in Labeates.* 27, 27, 11. *mors Marcelli quum alioqui miserabilis fuit, tum quod nec pro aetate, — neque pro veteris prudentia ducis tam improvide se collegamque et propo totam rempublicam in praeceps dederat.*

Quinctil. 5, 6, 4. *at is qui defert* (iusiurandum), *alioqui*

agere modeste videtur, quum litis adversarium iudicem faciat, et eum, cuius cognitio est, onere liberat. ita legendum esse, vel haec particulae constructio monstrat. 12, 10, 63.

7. Quamquam unius, quod exposuimus, generis sunt, tamen seorsum ea consideremus, in quibus dicitur, quomodo se ipsa res in se contenta habeat, non accedentibus aliis rebus, quae eam augeant, vel mutent. Nos dicimus: *an sich*, *an sich schon.*

Quinctil. 2, 15, 9. *et Phrynen, non Hyperidis actione quamquam admirabili, sed conspectu corporis, quod illa speciosissima alioqui, diducta nudaverat tunica, putant periculo liberatam.* i. e. antequam nudatis papillis maiorem incuteret admirationem: ut recte Spaldingius. 10, 3, 13. *is fuit Iulius Florus in eloquentia Galliarum, quoniam ibi demum exercuit eam, princeps, alioqui inter paucos disertus et dignus illa propinquitate.* Spaldingius etiam hic egregie: „Florus praeterquam quod Galliarum in eloquentia princeps, ubicumque eum iudicares, inter paucos disertus erat.“ 2, 1, 4.

8. Ad totam aliquam sententiam si refertur, *alioqui*, quod est *alio modo*, *anderen Falls*, comprehendit sensum verborum: nisi hoc ita se habet, quod si aliter esset: ubi Graeci usurpant ἄλλως, nos *auſserdem*, *sonst*, ponimus. Hoc usu *alioqui* plerumque ab initio sententiae ponitur, non semper. Saepe autem coniungitur sententia conditionalis.

Plin. Ep. 1, 20, 1. de brevitate: *quam ego custodiendam esse confiteor, si caussa permittat. Alioqui praevaricatio est, transire dicenda.* Tacit. Ann. 2, 38. *dedit tibi, Hortale, D. Augustus pecuniam, sed non compellatus, nec ea lege, ut semper daretur. Languescet alioqui industria, intendetur socordia, si nullus ex se metus aut spes.* Quinctil. 2, 17, 33. *nec, si pugnent inter se, qui idem didicerunt, idcirco ars, quae utrique tradita est, non erit: alioqui nec armorum: quia saepe gladiatores sub eodem magistro eruditi inter se componuntur.* i. e. nisi hoc esset, etiam armorum nulla esset ars in iis, qui sub eodem magistro eruditi sunt. 4, 2, 23. 4, 2, 46. Plin. Ep. 8, 8. *vidistine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum, (et puto nondum: alioqui narrasses mihi) vide.* Alia collegit Schwarzius ad Paneg. p. 554.

In Tacit. Ann. 14, 61. *quod alioquin suum delictum? quam cuiusquam offensionem?* verba non ad antecedentia spectant, in quibus Poppaea de Octavia, non de se ipsa loquitur. Quam-

obrem necesse est referamus ad ea, quae sequuntur, ita quidem corrigenda: *an quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit? mallene populum romanum tibicinis Aegyptii subolem imperatorio fastigio induci?* In codicibus enim *mallet*, vulgo coniunctis verbis superioribus *malle* legitur.

In ipsa verbi notione apparet, quo modo coniungatur vocabulum *frustra*. Peculiaris ei nulla est ratio. Symmach. Ep. 7, 60. *nec contumaciter fieri putes, quod tibi animi mei diligentiam confero. Alioquin frustra a te diligor, nisi affectione saltim nos patiaris comparari.* Eodem modo 2, 13. *alioquin, si maioris partis describitur emendatio, frustra se asperis sanctionibus solus imperator adstrinxit.*

ALIORSVM. ALIORSVS.

1. ALIORSVM et ALIORSVS sunt contracta verba *alioversum*, *alioversus*, quod est versus alium locum. Praeter comicos nullus antiquior scriptor his vocabulis usus est. Proprietatem etiam Festus animadvertit: *aliorsum et illorsum, sicut introrsum dixit Cato.* Sed in recentiorum libris exstant exempla aliquot.

Plaut. Truc. 2, 4, 47. *mater ancillas iubet — aliam aliorsum ire.* ubi *aliam aliorsum* composita, quemadmodum *alii alio.* vid. p. 234.

Gellius 7, 15. *furti damnatum esse, qui iumentum aliorsum duxerat, quam quo utendum acceperat.* Apulei. Met. 8. p. 209. *nam lupi, forsitan confertae iuventutis strepitu, vel certe nimia luce flammarum deterriti, vel etiam aliorsum grassantes, nulli contra nos aditum tulerunt.* In Ammiani 22, 10. quae leguntur, a Galenio adiecta sunt, non ab auctore scripta.

2. Refertur ad ipsam rem, ut sit *ad aliam rem, ad alium hominem.*

Gellius 17, 1. *sed id aliorsum pertinet, atque alio in loco dicetur.* 12, 1. *ubi infantis aliorsum dati facta ex oculis amolitio est.*

3. Terentius dixit *aliorsum accipere* pro in aliam partem, alio modo, Eun. 1, 2, 1. *vereor, ne illud gravius Phaedria tulerit, neve aliorsum, atque ego feci, acceperit.* Conf. Plaut. Aul. 2, 4, 8. Hinc recentior latinitas pro *aliter* dixit. Boethius Consol. 5, pros. 3. *postremo si quid aliquis aliorsum, atque se res habet,*

existimet, id non modo scientia non est, sed est opinio fallax.

ALIOVERSVS. ALIOVORSVM.

Quod *aliorsum* erat, dicebatur etiam, verbis non contractis, sed uno accentu per hyphen coniunctis, ALIOVORSVM, i. e. alio versus. Significatio et usus nihil differunt. Et legitur in duobus locis Plauti et Lactantii.

Plaut. Aul. 2, 4, 8. *atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram.* i. e. alio consilio, alia ratione. Lactant. 1, 17, 1. *ob has rationes alioversus deos interpretantur.* ita codd. et edit. antiq. Vid. Falsteri Supplement. Lat. ling. p. 21.

ALIQVA.

Dicunt Latini ALIQVA, omisso nomine, quo aut via et locus, aut modus et ratio significatur. Quamquam, certum quod nomen substituendum sit, nemo affirmabit, qui reputaverit, in graeca et latina lingua adiectiva feminini generis pro substantivis viam et modum indicantibus poni. Aliter visum est Hermanno de Ellipsi. p. 118. Verborum, quae intelligi debere vulgo in grammatica docent, *aliqua ratione*, apud antiquos scriptores non tam frequens usus erat atque hodie: fortasse nemo ita loquutus est, quamvis optimus quisque dixerit *alia ratione, eadem, omni, nulla ratione.* Plautus dixit Epid. 2, 1, 48. *aliqua reperibitur: aliqua ope exsolvam: extricabor aliqua.*

1. Igitur de loco dicitur ab omnibus scriptoribus, quod notum est.

Plaut. Mil. 2, 2, 66. *ante moeni aliqua aliquos, tum tu circumduce exercitum.* ita fortasse scribendum est: vulgo legitur *antevenito a. a. aut tu c. e.* Liv. 26, 27, 12. *ideo se moenibus inclusos tenere eos: quia, si qui evasissent aliqua, velut feras bestias per agros vagari.* i. e. aliquo loco. Cic. in Verr. 1, 26, 67. *iste, qui sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua evolare, si posset.*

2. Tum de rebus agendis et de modo agendi apud comicos aliosque poetas.

Plaut. Merc. 2, 2, 62. *ne ad illam me animum adiecisse aliqua sentiat.* Lucilius apud Nonium 4, 157. *evadat saltem*

aliquid aliqua, quod conatus sum. Terent. Phorm. 5, 1, 19. *atque id porro aliqua uxor mea rescisceret.* conf. 4, 1, 19. Virgil. Ecl. 3, 15. *et si non aliqua nocuisses, mortuus esses.* Apulei. Apolog. p. 295, 17. *nihil in rebus omnibus tam innoxium dices, quin id possit aliquid aliqua obesse.*

In Plauti Epid. 2, 3, 7. *sed me una turbat res ratioque: Apoecidi quam ostendam fidicinam aliquam conductitiam.* Gruterus correxit *aliqua*, Dousa *qua ostendam.* Hoc probavit Bothius: illud tamen praestat: nam Epidicus bene gnarus erat, qua fidicinam ostenderet, modo eam invenisset.

3. Pareus in Mantissa p. 19. haec: „*aliqua* pro aliqua ex parte, aliquatenus. Livius libro 25. *unus exercitus in propinquo est, duo haud procul absunt, nunc ingredientibus pares aliqua estis.* Ita Iustus Lipsius ex vett. libb.“ Quae omnia falsa sunt. Vulgo legebatur in Liv. 25, 38, 19. *nunc aggredientibus par aliqua opportunitas est:* unus codex omittit voc. *opportunitas.* quare de coniectura Lipsius dedit *nunc aggredientibus pares aliqua estis*, nec tamen aliis exemplis comprobavit istam significationem. Gronovius eleganter restituit *spes aliqua*, quod in cod. Palat. invenerat.

* Confunduntur in libris scriptis *aliqua* et *aliquo.* Vid. Oudendorp. ad Apulei. Apolog. p. 468. Tom. 2.

ALIQVAM. ALIQVAMDIV.

Aliqvam, quod cum verbis *diu* et *multum* coniungitur, Gesnerus in Thesauro contractam formam esse existimabat verbi *aliquantum.* Quod ab omni ratione abhorret. Desumptum est hoc adverbium ex ipso accusativo vocabuli *aliquis*, ut esset aliquam in partem, *einigermaſsen.* De scribendi modo quid veteribus placuerit, utrum uno accentu comprehensa vocabula coniunxerint *aliquamdiu*, an ea discreta, vel interposito hyphen exhibuerint *aliquam diu*, ex antiquis monumentis non satis constat. Nusquam tamen apparet vestigium assimilatae litterae in *aliquandiu*, quod commentum est recentiorum grammaticorum.

1. Componitur *aliquam* cum verbo *diu* ab optimo quoque scriptore, ut significent aliquod per tempus, *eine Weile lang.* Sed potest, id quod fert natura vocabuli *aliquis*, simul exprimi, tempus non brevissimum fuisse, tamen non longum: quod nos appellamus *eine ziemliche Weile.*

Cic. p. Cluent. 9, 25. *cognoscite reliqua, ut non aliquando condemnatum esse Oppianicum, sed aliquam diu incolumem fuisse miremini.* Acad. 1, 3, 12. *nam Aristum Athenis audivit aliquam diu.* Sallust. Iug. 74, 3. *qua in parte rex adfuit, ibi aliquam diu certatum.* Liv. 3, 70, 4. *momento temporis in aversam incursando aciem ancipiti terrore dissipasset hostes, ni suo proprio 'eum proelio equites Volscorum et Aequorum exceptum aliquam diu tenuissent.* in quibus, ut recte vidit Schwartzius, ab Ernestio immerito reprehensus, contraria sunt *momento temporis* et *aliquam diu.* 25, 36, 1. *quum aliquam diu haud multum procederetur.* Cornel. Con. 5, 3. Dion. 3, 1.

2. Haud raro sequuntur verba *deinde*, *postea*, *postremo*, *tandem*, quae quamquam non ad usum vocabuli, de quo loquimur, proprium pertinent, tamen oratio, temporis continuam consequutionem exprimens, quomodo illis verbis compositis struatur, his exemplis declaratur.

Liv. 2, 10, 9. *cunctati aliquam diu sunt, dum alius alium, ut proelium incipiant, circumspectant: pudor deinde commovit aciem.* 1, 16, 2. Caes. B. G. 8, 19, 3. Caesar. B. G. 1, 40, 6. *quod, quos aliquam diu inermos sine caussa timuissent, hos postea armatos ac victores superassent.* Liv. 3, 32, 7. *admiscerenturne plebeii, controversia aliquam diu fuit: postremo concessum patribus.* 25, 15, 14. 45, 6, 6. 29, 2, 15. *ibi aliquam diu atrox pugna stetit: tandem postquam ii, qui circa regem — pugnabant, obruti — telis occubuerunt, tum fuga passim coepta.* 34, 28, 4. et 11. Sueton. Ner. 6. *deprehensis in lecto eius — serpentis exuviis: quas tamen aureae armillae ex voluntate matris inclusas, dextro brachio gestavit aliquam diu: ac taedio tandem maternae memoriae abiecit.*

3. Praemissis verbis ALIQVAM DIV pergit oratio per vocabulum *donec*, quod temporis terminum indicat. Nos *eine ziemliche Weile bis.*

Suet. Caes. 82. *exanimis diffugientibus cunctis aliquam diu iacuit, donec lecticae impositum — tres servuli domum retulerunt.*

4. Pomponius Mela in terrarum descriptione adhibuit haec vocabula, ut regionis vel fluvii alicuius tractum designaret. Nam locorum spatium metiri solemus nominibus temporis, quo flumen decurrit, aut nos re-

gionem praetervehimur, aut res inanimata aliquid agere videtur.

2, 5, 5. *Rhodanus — deinde Lemanno lacu acceptus tenet imperium, seque per medium integer agens, quantus venit, egreditur: et inde — aliquam diu Gallias dirimit.* 3, 9, 8. *Nilum hoc fonte conceptum, actumque aliquam diu per invia.* 3, 5, 6. 3, 1, 7. *frons illa aliquam diu rectam ripam habet.* 1, 13. de specu: *deinde aliquam diu perspicuus, mox, et quo magis subitur, obscurior.*

5. Cum verbo *multum* coniungitur ALIQVAM eodem modo. Sed exempla vetusta desiderantur. Legitur quidem vulgo ex Lambini recensione apud Cic. in Verr. 4, 25, 56. *sunt vestrum, iudices, aliquam multi, qui L. Pisonem cognoverunt.* Editio Venet. 1496. et unus codex Oxon. praebent illud *aliquam multi*, reliqui autem *quam multi* vel *alii quam multi.* vid. Gifan. Obs. p. 17. nec facile credamus, Ciceronem in hoc uno loco adhibuisse vocabulum a recentissimis tantum scriptoribus usurpatum. Scripsit Cicero: *sunt vestrum alii quam multi.* i. e. ex altera parte multi vestrum: quem ad modum in graecis ἄλλοι dicuntur. vid. Eur. Orest. 525. Pors.

Gellius 3, 10, 17. *ex quibus aliquam multos — non comparuisse.* Apulei. Apol. p. 320, 10. *aliquam multis diebus decumbo.* p. 276, 7. *sed haec defensio, ut dixi, aliquam multum a me remota est.* ubi Aldus *aliquo multum*, idemque affert Laurenberg. in Antiquar. p. 20. vid. I. F. Gronov. ad Gellii locum. Met. 1. p. 113, 17. *qui me post aliquam multum temporis amanter agnitum invadit.* ita unus cod. Palat. reliqui libri *aliquantum multum* et *aliquantulum m.* cf. 11. p. 279, 18. et Oudendorp. p. 74. Tom. 1. qui e Pithoei codice restitui iubet Apolog. p. 335, 29. *mulierem aliquam multo natu maiorem, — misero puero obiicit.* vulgo legitur *alioqui.* nescio an recte. In Metam. 5. p. 170, 11. *sed antequam multum viae laboranti vestigio pererrasset, — accedit quamdam civitatem.* I. F. Gronov. coniecit *sed quum aliquam multum viae* etc. idque recepit Oudendorp., quasi *quum* excidisset ob vicinum illud *quam.*

Etiam *aliquam plures* dixit Tertullianus, siquidem ex Pithoei libro restituendum recte censuit Elmenhorstius in indice Apuleii: Apolog. 12. *infrendite, inspumate, iidem estis, qui Senecam aliquam pluribus et*

amarioribus de vestra superstitione perorantem probatis. vulgo *Senecam aliquem.*

ALIQVANDO.

Aliqvando utrum e verbis *alius* et *quando* compositum, an, sicuti ex *quis quando*, ita ex *aliquis* natum sit, ambigitur inter grammaticos. Sed utrumque ad unum principium referatur necesse est: nam ipsum *aliquis* dicitur etiam pro *alius quis.* Atque *aliquando* et aliquo tempore et alio tempore significat pro diversa temporis, quocum coniungitur, ratione. Agroetius de Orthogr. p. 2268. *olim, quondam et aliquando tria tempora tenent, praeteriti, praesentis et futuri: affatim inveniuntur exempla: praesentis demus, quod difficilius videtur. Expergiscimini aliquando et capessite rempublicam.* Quibus res non accurate definitur. Ineptius vero Scheidius ad Sanct. Min. p. 240. *aliquando* compositum esse existimat ex *aliqua endo*, ut sit *aliqua endo hora:* quo artificio reliqui abstinuerunt. Equidem verbi usum per singulas partes persequar.

I. 1. Dicitur igitur *aliquando* pro *aliquo tempore:* quod a *quodam tempore* et ab *umquam* definitione minus adstricta distinguitur. Nam *aliquando* proprie significat *alio nescio quando*, et adhibetur ad nominandam incertam universi temporis partem. Sed *umquam* in dubitationis et interrogationis formulis propriam sibi sedem vindicat: non item *aliquando.* Nos dicimus *jemals*, *irgend jemals*, et de praesente tempore vel aoristo *einmal.*

Cicero haec composuit tamquam aequalia p. Coel. 5, 12. *neque ego umquam fuisse tale monstrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diversisque inter se pugnantibus naturae studiis cupiditatibusque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore iucundior? quis turpioribus coniunctior? quis civis meliorum partium aliquando? quis tetrior hostis huic civitati?* De re futura Cic. p. Mil. 26, 69. *erit illud profecto tempus et illucescet aliquando ille dies* etc. de Off. 1, 11, 35. *sed credo aliquid sequutos, opportunitatem loci maxime, ne posset aliquando ad bellum faciendum locus ipse adhortari.*

Cic. p. Quint. 13, 43. *de rationibus et de controversiis societa-*

tis vult diiudicari. Sero: verum aliquando tamen. i. e. tamen non omnino numquam.

Cic. p. Caec. 5, 14. *magis opportuna opera nonnumquam quam aliquando fideli.* i. e. quam umquam.

Coniungitur cum vocabulo *ullus* ad augendam vim notionis. Cic. Acad. 4, 4, 11. *quaerere — ea num vel e Philone vel ex ullo Academico audivisset aliquando.* Sed etiam cum *aliquid.* p. Planc. 14, 35. *ego quia dico aliquid aliquando non studio adductus, sed contentione dicendi, aut lacessitus, et quia, ut fit, in multis exit aliquando aliquid, si non perfacetum, attamen fortasse non rusticum: quod quisque dixit, me id dixisse dicunt.* ad Fam. 7, 11, 4. *nam aut erit hic aliquid aliquando* etc. de Orat. 1, 21, 95. *non despero fore aliquem aliquando.* de Rep. 1, 9. *ut aliquid aliquando de doctrinae studiis admoneamur.*

2. Formulam efficiunt verba *si forte aliquando*, *si aliquando* et quod saepius dicitur *si quando: wenn jemals.* De qua aphaeresi eiusque vi in mutandum sensum vide in voc. ALIQVID. Illud *si aliquando* aut ad quodcumque tempus, uti in germanico *wenn irgend jemals*, aut ad tempus remotum, uti in *wenn einstmals*, refertur. Quomodo differant *aliquando si*, apparebit in Cic. loco de Orat. 1, 58. de quo infra.

Terent. Heaut. 3, 2, 40. *si quid huius simile forte aliquando evenerit.* Cic. Catil. 4, 10, 20. *quod si aliquando alicuius furore et scelere concitata manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicae dignitas, me tamen meorum factorum atque consiliorum numquam poenitebit.* de Off. 1, 39, 139. *aliter ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo, et maxime, si aliquando, alio domino, solita est frequentari.* i. e. si olim alio tempore. Liv. 3, 53, 10. *si quando metuendos vos praebituri estis.* Sueton. Tib. 67. *si quando autem, inquit, de moribus meis devotoque vobis animo dubitaveritis.* Alia vide in SI.

3. In futuris rebus hoc verbo id peculiariter notatur, quod remotius est: unde exsistit usus verborum *tandem aliquando*, de quo posthac dicam.

Cic. Orat. part. 11, 37. *in temporibus autem praesentia et praeterita et futura cernuntur: in his ipsis vetusta, recentia, instantia, paullo post, aut aliquando futura.*

4. De praeterita et futura re ita dici potest, ut certiore notatione sit *alio tempore*, idemque fere signi-

ficet, quod *quondam*, *olim*. Quo sensu usurpatur in sententia negativa, in qua negatio cum verbo cohaeret. Opponitur *in praesentia*, *nunc*, *adhuc*.

Cic. ad Fam. 6, 6, 10. *veritus sum deesse Pompeii saluti, quum ille aliquando non defuisset meae.* de Off. 1, 39, 139. vide paullo ante. P. Mela 1, 6, 1. *Iol ad mare, aliquando ignobilis, nunc, quia Iubae regia fuit — illustris.* Plin. Hist. n. 4, 12, 19. *Zacynthus, aliquando appellata Hyrie.* Plin. Ep. 6, 10, 1. Sallust. Iug. 14, 17. *aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?*

Cic. de Inv. 2, 58, 174. *nam qua in re fieri poterit, ut quum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum, virtute aliquando et industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda.* Liv. 25, 29, 3. *nec quisquam dicere potest aliquando nobis libertatis tempus fuisse, quod pacis vobiscum non fuerit. Nunc certe — extemplo venimus ad tradenda arma.* Cic. de Orat. 1, 58, 246. *tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram.*

II. 1. Quod aliquando fit aut factum est, quum contrarium sit ei, quod numquam fiat, *aliquando* dicitur pro *nonnumquam, interdum.* Nos *bisweilen, manchmal.* C. Fronto de diff. lat. serm. p. 1335. Gothof. *aliquando et nonnumquam, quod intermittere non patitur.*

Cic. ad Fam. 5, 8, 3. *sed quaedam pestes hominum laude aliena dolentium et te nonnumquam a me alienarunt, et me aliquando immutarunt tibi.* de Orat. 3, 29, 113. *sitne aliquando mentiri boni viri?* de Off. 3, 3, 12. *quodsi is esset Panaetius, qui virtutem propterea colendam diceret, quod ea efficiens utilitatis esset: — liceret ei dicere, utilitatem aliquando cum honestate pugnare.* Quinctil. 5, 13, 31. *aliquando vero praebet eius rei occasionem minus considerata ex adverso dicentis oratio.* Tacit. Agr. 17. *multa proelia et aliquando non cruenta.* Sueton. Aug. 43. *et aliquando nihil praeter venationem edidit.* i. e. interdum: nec placet Wolfii coniectura *sed aliquando.*

2. Ita bis vel pluries positum deprehenditur apud scriptores post Ciceronem, ut significet *modo — modo*, et cum voc. *nonnumquam* eadem ratione componitur.

Quinctil. 5, 13, 58. *confirmatio aliquando totius caussae est, aliquando partium.* 7, 2, 8. Plin. Hist. n. 17, 28, 47. *et aliquando serius poscuntur, aliquando celerius.* Senec. Nat. qu. 2, 36, 2. *expiationes non dubitant prodesse aliquando ad submovenda pericula, aliquando ad levanda, aliquando ad differenda.* 1, 14, 1. *aliquando emicat stella, aliquando ardores sunt, aliquando fixi et haerentes, nonnumquam volubiles.* Sueton. Calig. 52. *saepe depictas gemmatasque indutus paenulas, manuleatus et armillatus in publicum processit: aliquando sericatus et cycladatus: ac modo in crepidis vel cothurnis, modo in speculatoria caliga, nonnumquam socco muliebri.*

3. Haec eadem caussa est, quapropter *aliquando* et *numquam* ex adverso ponantur.

Cic. p. Sull. 5, 17. *Lentuli poena compressus, convertit se aliquando ad timorem, numquam ad sanitatem.* Celsus 2, 8. p. 73. Alm. *quaeque eorum vitia — in senectutem ab adolescentia pervenerunt, ut aliquando leniri possunt, sic numquam ex toto finiuntur.* Cic. Orat. 2, 7. *quaero — quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius, quod in perpetuitate dicendi non saepe, atque haud scio an umquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando.* in Catil. 4, 10, 20.

Tamen ipsum *nonnumquam* aliquo modo opponi posse vidimus in Cic. p. Caec. 5, 14. p. 247.

4. Non ob significationis diversitatem, quae nulla est, sed propter orationis formam notanda sunt ea, in quibus *raro*, *saepe*, *semper* ex adverso apponuntur.

Celsus 3, 18. p. 155. *raro, sed aliquando tamen ex metu delirium nascitur.* 8, 4. p. 516. *raro, sed aliquando tamen evenit, ut os quidem totum integrum maneat* etc. 1. Praef. p. 13. *rarius, sed aliquando morbus quoque ipse novus est.*

Celsus 1. Praef. p. 19. *qui secundis aliquando frustra curatus est, contrariis saepe restituitur.* Plin. Hist. n. 2, 13, 10. *nec tamen quum superne fiunt, ubique cerni, aliquando propter nubila, saepius globo terrae obstante.* Tacit. Ann. 3, 27.

Liv. 45, 23, 8. *nulla enim est civitas, quae non et improbos cives aliquando, et imperitam multitudinem semper habeat.* Vellei. P. 2, 18, 1. *aliquando fortuna, semper animo maximus.*

III. 1. In colloquiis et in sermone familiari Latini particula *aliquando* eo modo adhibent, quo nos ver-

bum *einmal*, ut indicemus esse occasionem, et quod nondum factum esset, accidere vel exspectari.

Plaut. Rud. 4, 6, 1. *aliquando osculando melius est, uxor, pausam fieri.* ubi alii explicant per *tandem.* Cic. de Orat. 1, 29, 133. *sed si placet, sermonem alio transferamus, et nostro more aliquando, non rhetorico loquamur.* Nos *einmal nach unsrer Weise.* ad Fam. 13, 1, 14. *sed ne plura: dicendum enim aliquando est: Pompon. Atticum sic amo, ut alterum fratrem.* i. e. *ich muſs es doch einmal sagen.*

2. Hinc fit, ut *aliquando* locum habeat in adhortatione et in quacumque exspectationis et votorum et precum declaratione.

Cic. in Verr. 1, 28, 72. *audite, quaeso, iudices, et aliquando miseremini sociorum.* ad Fam. 7, 12, 6. *modo scribe aliquando ad nos, quid agas.* ad Att. 12, 28. *et velim aliquando, quum erit tuum commodum, Lentulum puerum visas.* Sallust. Iug. 14, 21. *quod utinam illum — eadem haec simulantem videam, et aliquando aut apud vos aut apud deos immortales rerum humanarum cura oriatur.*

3. Hinc dicitur de eo, quod longum exspectatur, aut sero apparet desideratum. Est igitur aliquando idem quod *tandem aliquando*, quod ipsum maiori cum vi dicitur, ut apud nos *endlich einmal, endlich.*

Cic. p. Cluent. 67, 191. *hinc illae infinitae crudelissimaeque de morte Oppianici quaestiones: quibus finem aliquando non muliebris modus, sed amicorum auctoritas fecit.* Orat. 48, 160. *aliquando idque sero — usum loquendi populo concessi.* i. e. quum antea per longum tempus vetusto more loquutus essem. ad Fam. 7, 17. *te aliquando collaudare possum, quod iam videris certa aliqua in sententia constitisse.* i. e. quum antea saepe a te alienissimus visus esses. p. Cluent. 18, 51. *collegi me aliquando, et ita constitui, fortiter esse agendum.* i. e. postquam semper mágno cum metu dicere solerem. de Har. resp. 22, 46. *sit discordiarum finis aliquando.* Sueton. Aug. 70. *aliquando ut vincat, ludit assidue aleam.* Praecedente vocabulo *diu* Sueton. de Cl. Rhet. 1. *diu exspectaverunt, dum retia extraherentur: aliquando extractis piscis nullus infuit.*

Terent. Hec. 4, 4, 61. *aliquando tandem huc animum ut adducas tuum, quam longum spatium amandi amicam tibi dedi.* Cic. Catil. 2, 1, 1. *tandem aliquando L. Catilinam — ex urbe vel eiecimus* etc. 1, 7, 18. *ut tandem aliquando*

timere desinam. p. Quint. 30, 94. *spes est et hunc miserum atque infelicem aliquando tandem posse consistere.* ad Fam. 16, 9, 4. *servus Cn. Plancii Brundusii tandem aliquando mihi a te exspectatissimas litteras reddidit.*

4. De negatione *non* cum v. *aliquando* coniungenda idem decernendum est, quod de v. *alicubi* diximus p. 231. „*Aliquando non* multum distat a vocabulo *numquam.* Cic. de Div. I, 32, 71. *possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere:* ubi construes *aliquando possunt non fungi.*“ Beiervs. Quinctil. 5. Prooe. 5. *quaecumque alia potest aliquando necessaria caussae non esse.*

5. Cicero uno in loco composuit verba *aliquando iam:* ad Att. 1, 4. *putamus enim utile esse te aliquando iam rem transigere.* quod est, nunc tandem aliquando: neque in familiari sermone habet quod offendat. Corradus tamen correxit *aliquando tandem.*

6. *Aliquis aliquando* proximo loco componuntur saepe a Cicerone, veluti p. Sext. 6, 14. *si qui fecerunt aliquid aliquando.* et p. Planc. 14, 35. *ego quia dico aliquid aliquando.* et sic 13, 32. de Orat. 1, 21, 95. Orat. 42, 144. Müllerus ad Cic. pro Sext. 6, 14. in hoc dicendi usu aliis non item cognito elegantiam quamdam modesti et cauti sermonis observasse sibi visus est. Quod quomodo in locos Orat. 42. p. Mil. 25, 67. quadret, ego non perspicio. Conf. Bakius ad Cic. p. Planc. 8. in Bibl. crit. nova 3. p. 73. Sed iam satis a criticis demonstratum est, Graecos componendis iisdem vel similibus verbis non unam ob caussam delectatos esse. Conf. Elmslei. ad Eur. Heraclid. 919. Atque hunc subtilitatis colorem etiam Latini imitari solebant, ubi verbo *aliquid* vim addere volebant. Est enim tunc idem quod *non nihil.*

ALIQVANTISPER.

Formam verbi ALIQVANTISPER Gerhard. Vossius de Anal. 4, 21. p. 255. constare dicit ex nomine et syllabica adiectione *per*, ut in *parumper* et in graeco ὥσπερ. Idem in Etymolog. s. v. *quantus* haec: „*per* forte fuerit ex *operibus* pro tantis operibus (*tantisper*), quantis operibus (*quantisper*). Sed potius censeo esse παρέλκον, ut ab ὡς ὥσπερ.“ Quod Festus docuerat, uti

Paullus refert, *parumper* dici quasi *perparum*, non tam absonum est, quam alii existimarunt: intellexit ille enim augmentativum *per*, ut explicaret *valde parum*. Nam ipsa haec est primitiva vis particularum πέρ et *per*, ut totum rei ambitum significent, sive praeponantur nominibus, sive subiungantur: veluti ὥσπερ est *wie eben*. Latinus vero usus id habet proprium, ut pauca ea verba, quibus *per* additur in fine, de tempore tantum usurpentur. Dicitur igitur *aliquantisper* pro aliquanto tempore. Exempla inveniuntur in antiquissimis poetis et in scriptoribus saeculi secundi post Chr. n. Et indicatur hoc verbo tempus non longum, non breve, quantum res ipsa admittat: *eine Weile*. vid. ALIQVANTVM. Laurent. Valla Elegant. 2, 48. ad unam temporis brevitatem referebat.

Nonius Marc. 11, 20. *Quadrigarius Annalium lib. VI. Aliquantisper pugnate: nihil promovet Poenus. Caecil. Fallac. Nam si illi, postquam rem paternam amiserant, aegestate aliquantisper iactati forent.* Plaut. Pseud. 1, 5, 158. *concedere aliquantisper hinc mihi intro libet.* Terent. Heaut. 3, 3, 11. Ad. 4, 5, 5. Florus 2, 18, 14. *quum urgeret fames, aliquantisper inde vixere.* Iustin. 42, 4, 8. *sed ille simulato timore, diu continuit se et insultare Parthos aliquantisper passus est.* 1, 8, 3. *itaque Cyrus traiectis copiis, quum aliquantisper in Scythiam processisset, castra metatus est.* quod etiam de tempore dictum.

ALIQVANTO. ALIQVANTVM.

1. ALIQVANTO et ALIQVANTVM duae sunt formae idem significantes: altera ab ablativo desumpta, altera ab accusativo, sicuti Graeci dicebant ποσόν τι. Praeter necessitatem grammatici nonnulli supplebant *ad*, sive *in aliquantum*. vd. Boecleri Chrest. Terent. s. h. v. Discrimen vero, ex quo *aliquanto* proprie coniungi cum comparativo dicunt Ernestius ad Tacit. Germ. 5. aliique, neque usu confirmatur, neque etiam ullo argumento, nisi quis numerare velit exempla. Significatio utriusque verbi indefinitam comprehendit quantitatem, sive auctam sive minutam, ea quidem duplici ratione, ut quae parva aut nihil videri possint, alicuius certe magnitudinis esse, quae magna videantur, non nimia esse dicantur. Quare quodammodo errarunt, qui hanc

vim explicarent per *paullo*, *paullulum*. Respondent enim in multis exemplis haec vocabula nostro *ziemlich*, quod redditur per *non parum*, *multo:* in aliis tamen, quae non nimiam, sed aliquam certe magnitudinem indicant, verti potest *aliquantum* per *etwas*, *einigermaſsen*. Haec primus ex una quidem parte subtiliter demonstravit Ernestius ad Sueton. Caes. 86. et 10, quem sequuti sunt Oudendorp. ad Sueton. Caes. 86. Hottinger ad Cic. de Divin. 2, 1. Bremius ad Cornel. Dion. 3. acquiescentes in una ratione rei admodum magnae seu multo maioris. Sed Wolfius ad Sueton. Caes. 10. incertam verbi potestatem notavit.

Iac. Gronov. et Drakenborch. in Liv. 41, 16, 9. non poterant expedire, quo modo dici potuisset: *agri aliquantum captum*, *qui millibus hominum dividi viritim posset.* Ernestius recte explicuit *satis magnum:* quo facto, reliqua verba bene conveniunt.

Opponuntur verba *paullo* et *aliquanto* apud Cic. p. Quint. 12, 40. *si non statim*, *paullo quidem post: si non paullo*, *at aliquanto.* Sed ex altera illa ratione adversum ponitur *nihil.* vid. Cic. Paradox. 3, 1. in voc. ALIQVANTVLVM et de Fin. 3, 14. mox afferendus.

2. Atque dicitur *aliquantum* vel *aliquanto* de quacumque rerum quantitate: tum vero proprie de tempore. Vtra vero constituenda sit ratio, ad magnitudinem haud parvam relata, an qua aliquam certe magnitudinem esse intelligamus, id ex cuiuscumque loci habitu colligi debet. Componuntur ita et verba et adiectiva nomina.

Cic. ad Fam. 9, 26, 9. *epulamur una non modo non contra legem*, *si ulla nunc lex est*, *sed etiam intra legem*, *et quidem aliquanto.* i. e. haud parum. de Div. 2, 1, 3. *quid ego de Consolatione dicam? quae mihi quidem ipsi sane aliquantum medetur*, *ceteris item multum illam profuturam puto.* ubi Davisius propterea, quod *aliquantum* pro *paullulum* acceperat, corrigendum censuit *ceteris autem:* at esse *haud parum* indicavit Hottingerus. Orat. Catil. 3, 5, 11. *atque ille primo quidem negavit: post autem aliquanto*, *toto iam indicio exposito atque edito*, *surrexit.* quod scilicet non poterat breve tempus esse. ad Fam. 5, 13, 3. Plaut. Bacch. 1, 2, 73. *nam ut in navi vecta es*, *credo timida es.* BA. *aliquantum*, *soror.* i. e. *ziemlich.* Liv. 5, 23, 4. *adventus quoque dictatoris*, *omnibus ordinibus obviam effusis*, *cele-*

bratior quam ullius umquam antea fuit: triumphusque omnem consuetum honorandi diei illius modum aliquantum excessit. 39, 29, 1. *movit aliquantum oratio regis legatos.* i. e. admodum. Cic. de Fin. 3, 14, 48. *item qui processit aliquantum ad virtutis aditum, nihilominus in miseria est, quam ille qui nihil processit.* ubi intelligitur: proxime ad virtutis aditum.

Cic. ad Fam. 4, 6, 1. *quantum enim praesens me adiuvare potueris et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod litteris lectis aliquantum acquievi.* i. e. nonnihil acquievi. Plaut. Asin. 2, 3, 20. *macilentis malis, rufulus, aliquantum ventriosus.* Trin. 2, 4, 116. *huc concede aliquantum.* i. e. *etwas.* Liv. 5, 26, 6. *prima luce aliquanto superioribus locis se ostendit.* Tacit. Germ. 5. *terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen aut silvis horrida, aut paludibus foeda.* quod Ernestius explicat *non parum*, Longolius *non multum.* Est vero aliquot in partibus. Cic. de Fin. 2, 14, 45. *quod quale sit, non tam definitione, qua sum usus, intelligi potest, (quamquam aliquantum potest) quam communi omnium iudicio.* i. e. aliquo modo, *einigermafsen.* Sueton. Tiber. 13. *adiutus aliquantum etiam casu.* quod si esset multum, vix addi posset *etiam.*

De tempore Cic. p. Sulla 20, 56. *est profectus non tum primum, sed quum in iisdem locis aliquanto ante eadem de caussa aliquot annos fuisset.* de Off. 1, 23, 81.

Cic. de Inv. 2, 51, 154. *postea aliquanto.* i. e. post aliquod tempus: *einige Zeit darauf.* p. Caecin. 4, 11.

Plaut. Trin. 3, 2, 24. *huc aliquantum abscessero.* i. e. *eine Weile*, nisi etiam de loco dictum.

Ceterum ex locis appositis facile colligitur nihil differre sensum, sive *aliquanto* et *aliquantum* ante suum verbum, sive post ponatur. Ita etiam Cic. de Leg. 2, 17, 43. *secus aliquanto*, et saepe comparativo praemisso, de quo nunc dicemus.

3. Duplex, quam iam exposui, ratio cernitur in usu, quo ALIQVANTO et ALIQVANTVM additur comparativo, ut vel conditionem multo maiorem intelligamus (*ziemlich mehr*), vel gradationem non nullam, sed re vera aliquam esse affirmemus (*um einiges mehr*). Ac saepe ita exprimitur modestia aliqua, vel ironia: ut bene observavit Spalding. ad Quinctil. 1, 12, 4. Exempla non tam multa sunt in *aliquantum* quam in *aliquanto:* tamen in illis nihil video, quod aut reprehendi possit,

aut ab analogia recedat. vid. Ruddimann. 2. p. 308. Certe ea distinctio, quam Bentleius ad Terent. Heaut. 1, 2, 27. fecit, adhiberi non potest. Drakenborch. ad Liv. 2, 39, 1. non nisi *aliquanto* cum comparativo coniungi posse existimavit. Cicero quidem nusquam posuit *aliquantum*, neque etiam Plautus et Sallustius: nam quod unus cod. basil. in Catil. 8, 2. praebet *aliquantum minores* non poterat probare Schlegelius in Seebodii Bibl. 1819. p. 718.

Cic. Verr. 1, 54, 140. *iste, qui aliquanto plus cogitasset, male accipit verbis Rabonium.* Decisio facta erat us ducentis millibus: qua repudiata Verres accepit DLX millia. Sallust. Iug. 86, 4. *Marius cum maiore aliquanto numero, quam decretum erat, in Africam profectus.* Plaut. Epid. 3, 2, 43. *abeamus intro hinc ad me.* ST. *atque aliquanto lubentius quam abs te sum egressus intus.* Asin. 3, 3, 2. Cic. Brut. 78, 270. *quum melius aliquanto possent quam isti oratores, quos colligo, dicere.* de Orat. 2, 24, 103. Celsus 1, 4. p. 517. Liv. 27, 36, 7. *censa civium capita centum triginta septem millia, centum et octo. minor aliquanto numerus quam qui ante bellum fuerat.* in quibus etiamsi corruptus a librariis sit numerus, is tamen magnum differre potest ab eo, qui prioribus lustris scriptus erat. 5, 29, 5. *victorque Romam ad maius aliquanto certamen redit.* Quinctil. 1, 12, 4. *quum praesertim reficiat animos ac reparet varietas ipsa, contraque sit aliquanto difficilius in labore uno perseverare.* 5, 7, 24. Sueton. Tiber. 62. *quod nisi eum et mors praevenisset — plures aliquanto necaturus, ac ne reliquis quidem nepotibus parsurus creditur.* Caes. 86. ubi alia Ernest.

Plaut. Stich. 3, 1, 15. *sed mea hodie soluta est navis aliquanto prius.* h. e. *um einiges früher.* Pallad. de Re r. 10, 5. *nunc vel maturius aliquanto lupinus seritur in qualicumque terra.*

Terent. Eun. 1, 2, 51. *eius frater aliquantum ad rem est avidior.* Liv. 1, 7, 9. *habitum formamque viri aliquantum ampliorem augustioremque humana intuens.* Pomp. Mel. 3, 2, 5. Terent. Heaut. 1, 2, 27. *fortasse aliquanto iniquior erat praeter eius lubidinem.* Bentleius restituit *aliquantum* hoc quidem argumento: „ratio est: quia in huiusmodi formula comparativus non auget, sed minuit.“ At re vera auget qualitatem, neque *aliquantum* significat *parum:* quae fuisse videtur Bentleii sententia. De formula *aliquanto plus* vid. Drakenb. ad Liv. 24, 40, 14. et Oudendorp. ad Sueton. Domit. 4. p. 905.

ubi nonnulli libri praebent *aliquantum plurium*. Quo modo differant loquutiones *aliquanto pauciores* et *multis partibus pauciores* Wolfius ad Sueton. Caes. 10. notavit, at non exposuit. Sed quod legitur c. 68. *ceteris proeliis innumeras adversariorum copias, multis partibus ipsi pauciores, facile superarunt.* vix comparari poterat: nam *multis partibus* est multis in locis, multis in agminibus. *Aliquanto magis* dixit pro *multo magis* Quinctil. 4, 2, 21. *neque enim narratio in hoc reperta est, ut tantum cognoscat iudex, sed aliquanto magis, ut consentiat.* 3, 8, 39. et Sueton. Tib. 57.

4. Adiectivi *aliquantum* pro substantivo positi et saepe cum genitivo coniuncti exempla vide in lexicis, et confer Drakenb. ad Liv. 21, 28, 11. ubi iure negat, Livium dixisse *trepidationem aliquantum edebant.*

* Confunditur *aliquanto* in libris cum *aliquando* ob scribendi compendium *aliquañ.* vid. Bentlei. ad Terent. Heaut. 1, 2, 27. Drakenb. ad Liv. 2, 19, 5. 5, 26, 6. 5, 29, 5. cum *aliquantulum.* vid. Torrent. ad Val. Max. 3, 1. ext. 1. Gebhard. ad Liv. 1, 7, 9. Drakenb. ad 7, 36, 5. 39, 29, 1.

ALIQVANTVLVM. ALIQVANTVLO.

Vocabulis ALIQVANTVLVM et ALIQVANTVLO omnia communia sunt, quae in *aliquantum* et *aliquanto* notavimus: ea, ne iterum ponamus, ipse vide. Atque deminutiva forma in hac accessione ad magnitudinem designandam parum differt, nisi modestiae magis inserviat, sicuti nos usurpamus verba *ein Weilchen*, *ein ziemlich Weilchen*, *ein Bifschen.* In libris scriptis fere ubique deprendimus utramque simul formam. Vid. Drakenb. ad Liv. 7, 36, 5, 21, 12, 2. Oudendorp. ad Sueton. Ner. 48. interpr. ad Cic. Parad. 3, 1. Id tamen observasse mihi videor, apud Ciceronem et Livium, *aliquantulum* non substantiva forma, quae cum genitivo coniungatur, usurpari: nam in Cic. de Inv. 2, 9, 29. et de Fin. 4, 24, 66. plerique codices et optimi exhibent *aliquantum*, nunc restituendum. Verbi *aliquantulo* non nisi unum exemplum inveni apud Vopiscum.

Cic. Parad. 3, 1. *auri navem evertat gubernator an paleae, in re aliquantulum, in gubernatoris inscitia nihil interest.* cum ironia quadam, sive intelligas multum, sive aliquid. de Div. 1, 33, 73. *quum autem aliquantulum progressus esset, subito exaudivit hinnitum.* Orat. 40, 138. *ut a proposito*

declinet aliquantulum. alii *aliquantum.* Paullo antea §. 137. eadem leguntur, *ut declinet a proposito deflectatque sententiam.* quae Bremius ad libr. de Fato p. 29. excusat negligentiae nomine, sed Meyerus defendit eo, quod *aliquantulum* breviorem degressionem significet: quod vereor, ne ab usu Ciceronis abhorreat. In eo quidem nusquam notat *parum, paullulum*, ut iam diximus. de Am. 12, 40. Plaut. Merc. 4, 1, 55. *pausam aliquantulum.* Terent. Andr. 2, 6, 16. *subtristis visust esse aliquantulum mihi.* ubi quod Bentleius correxit, *aliquantillum* non debebant recipere editores: nam etiam in Plaut. Capt. 1, 2, 34. deest antiqua auctoritas. Codices et vet. edit. exhibent *foris aliquantulum* etc. Quid vero Pareus in Lex. crit. p. 70. voluerit afferens *aliquid*, equidem nescio.

Cum comparativo Gell. 1, 1. *cetera quoque stadia in terra Graecia — pedum quidem esse numero sexcentum, sed tamen aliquantulum breviora.* Vopisci Aurel. 38. *etsi aliquantulo tristior, quod senatores triumphare videbat.*

* In codicibus confunditur *aliquamdiu.* vd. Drakenborch. ad Liv. Epit. 50.

ALIQVATENVS.

1. Vocabulum ALIQVATENVS, cuius origo per se intelligitur, in usum venit post Augusti tempora, antiquioribus, ut videtur, prorsus incognitum. Significat autem, usque ad aliquem terminum, usque ad aliquam partem, quod aut longitudinis mensuram continet, aut ad modum et qualitatem rerum designandam transfertur. Nam adhaeret ista, quam in verbo *aliquantum* illustravimus, magnitudinis mediocris notio. Atque primum dicitur de spatio non exiguo, sed in aliquem ambitum sat magnum extenso.

Pompon. Mel. 1, 2, 1. *inde quum aliquatenus solida processit.* i. e. *eine Strecke hin.* 2, 4, 4. de Pado: *ab imis radicibus Vesuli montis exortus parvis se primum e fontibus colligit, et aliquatenus exilis et macer, mox aliis amnibus adeo augescit* etc. i. e. per aliquod spatium. Sueton. vita Pers. p. 1002. *a quo inductus aliquatenus in philosophiam est:* ubi quod olim legebatur, *in philosophia,* fortasse habebit suos defensores.

2. Tum componitur cum verbis, quibus aliquid dicatur aliquo gradu adscendere vel accrescere, sive

rem promoveri ad aliquem certe terminum: *einigermaſsen.*

Senec. Ep. 116, 4. *aliquatenus, inquis, dolere, aliquatenus timere permitte. Sed illud aliquatenus longe producitur, nec, ubi vis, accipit finem.* Columel. 4, 3, 4. *quum tamen aliquatenus se confirmavit et veluti iuvenile robur accepit, negligentiam sustinet.*

Symmach. Epist. 6, 59. *anteriores litterae tuae — spem mihi aliquatenus reditus tui fecerant.* i. q. aliquantam spem.

3. Denique additur verbis et participiis, ut conditionem, quae dicitur, aliqua ex parte vel aliqua ex ratione constare indicet. An vero ita nusquam cum adiectivis simpliciter componatur, dubito.

Petron. 102. *vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habebo, apertis scilicet aliquatenus labris, quibus et spiritum recipere possitis.* Plin. Hist. n. 27, 12, 80. *caulibus pluribus ab una radice aliquatenus rubentibus.* Quinctil. 11, 1, 28. *defenditur enim aliquatenus aetate, dignitate, auctoritate.* 11, 3, 78. de superciliis: *nam et oculos formant aliquatenus, et fronti imperant.* 3, 9, 5. Gaius in Dig. 44, 7, 5, 6. *et aliquatenus culpae reus est.* Instit. 1, 68. *idem iuris est aliquatenus, si ei, qui de ditiorum numero est, — nupta sit.* Paullus in Dig. 1, 5, 14. *partus autem, qui membrorum humanorum officia ampliavit, aliquatenus videtur effectus.*

Quinctil. 10, 1, 74. *Philistus — imitator Thucydidis, et ut multo inferior, ita aliquatenus lucidior.* Spaldingius egregie coniecit legendum esse *aliquanto.*

ALIQVID.

1. Ex multiplici usu vocabuli *aliquis* unum nobis hic notandum est, accusativum ALIQVID et QVID encliticum ex ea, quae in grammatica ad graecam originem refertur, ratione pro adverbio poni. Sed ubi cum verbo cohaeret, neutralem, quem vocant, sensum in activum esse commutatum, eoque modo accusativum additum putabimus: veluti Cic. p. Deiot. 13, 35. *illud vereor, ne tibi illum succensere aliquid suspicere.* Aliter se res habet in constructione verborum activorum et in adiectivis, quibus adiectum *aliquid* significat *aliquo modo.* Id vero usurpatur etiam in sententiis conditiona-

libus, quae incertam in se habent conditionem. Quare alii docuerunt *quid* poni pro *fortasse*, *forte*, *etwa*. vd. Schuppius in Seebodii Syllog. 1820. p. 997. Sed perperam. Cortius ad Cic. Fam. ep. 4, 1. *quid* superfluum addi dicit.

Caesar B. G. 1, 40. *factum etiam nuper in Italia servili tumultu, quos tamen aliquid usus ac disciplina, quam a nobis accepissent, sublevarent.* Plin. Hist. n. 5, 9, 10. *postea lenis et confractis aquis, domitaque violentia, aliquid et spatio fessus, multis quamvis faucibus in Aegyptium mare se evomit.* Horat. Sat. 2, 1, 78. *nisi quid tu, docte Trebati, dissentis.* Sueton. Calig. 6. *paene revulsae templi fores, ne quid gestientes vota reddere morarentur.* ubi Oudend.

Cic. ad Fam. 2, 15, 7. *ego, nisi quid me Etesiae morabuntur, celeriter, ut spero, vos videbo.* 4, 1, 10. *Trebatioque mandavi, si quid tu eum velles ad me mittere, ne recusaret.* Ovid. Her. 6, 151. *quod si quid ab alto iustus adest votis Iuppiter ipse meis.*

2. Praeterea opportuno hoc loco de iis praeceptis exponamus, quae grammatici de omittendis syllabis *ali* in *aliquid*, *aliquando* et in reliquis huius generis vocabulis constituere conati sunt. Atque erant multi, qui in ipsis exemplis colligendis sibi satisfacerent, alii, qui in significationis discrimen diligentius inquirerent, nemo tamen, quin aut in aliqua parte modum excederet, aut non omnes quaestionis numeros complecteretur. Disseruerunt de hac re Zumptius in Gram. 137. et 710., Frotscher in Append. Observat. crit. in Xenoph. Memor. Lips. 1819. edit. p. 23., Steuberus in Seebodii Bibl. crit. a. 1819. p. 1092., Schuppius in Bibl. crit. a. 1820. p. 989., alius vir doctus ibidem p. 231., Doelekius a. 1821. p. 772., Ramshorn. in Gram. 160., Goerenzius ad nonnullos Cic. locos, Matthiae ad Cic. Catil. 4, 10, 20., Gernhard. ad Cic. Caton. p. 82. et 141., Ellendt. ad Cic. Brut. 41, 151. quorum sententias referre, aut errores, in nimia opinatione commissos, omnes notare longum est. Nos totam rem his observationibus breviter describamus.

Aliqvid factum est ex *aliud* et *quid*. Illud *aliud*, quod proprie ἄλλο, *non hoc*, *sed diversum* significat, minorem habet vim in compositione verborum, quae indicant parum referre, utrum hoc an aliud unius generis ponas. Quare *aliquando* dicitur, ubi res eadem

est, sive hoc quando sive aliud quando intelligas: *aliquid* est quid, sed nescio utrum ex hoc genere hoc an illud aliud, quod est τὶ, *etwas*. Igitur generis notio certa est, non ipsa res. Per *quid* indicatur, totam rem eiusque genus incertum esse. Nam quum dicimus *facere aliquid*, id habemus certum, esse rem, sed incertam: sed quum Cicero ait de Fin. 3, 9, 32. *quod autem in quo sapienter dicimus*. non tantum res incerta indicatur, *in aliqua re*, sed etiam incertum ponitur notionis genus. Generalem nominamus hunc certae notionis defectum, neque amplius disceptamus, utrum magis affirmandum sit, *ali* omissum esse in *quid*, an, id per se valere. Nam *quid* encliticum differt ipsa sua potestate minuta. Hinc prima illa observatio, quam explicatius unus Matthiae prodidit, ubi *aliquis*, *aliquando* maiorem vim habeant, iisque opponi possint *nemo* vel *omnes*, *numquam*, plena vocabula usurpari. Tum enim *aliquid* aut est *non nihil* aut *etsi non omnia* sive *magna*, *tamen nonnulla* sive *aliquantum*. Accedunt his cognata, in quibus *aliquid* comparationi inservit, sive additis particulis comparativis *tamquam*, *quasi*, sive ipsum dicatur pro *tali aliquo*, *eiusmodi aliquo*, et ea, quae *aliquis* simile reddunt verbo *quidam*. In quibus omnibus distincta generis notio semper erit necessaria.

Quoniam autem qui loquitur, rem, de qua loquitur, saltem aliqua ex parte distinctam et generali notione certam in animo habere solet, hac via nobis incedendum est in his grammaticis praeceptis, ut in universum statuamus, *aliquis*, *aliquando* etc. dici de incerta re, tum vero eas conditiones addamus, quibus encliticum *quid* requiratur, et denique ea observemus, in quibus hae conditiones rursus immutari soleant. Ac primum *quid* usurpatur de re omni ex parte incerta, in qua neque magnitudinis neque generis ratio consideratur.

Cic. de Fin. 3, 21, 71. *alienum esse a sapiente non modo iniuriam cui facere, verum etiam nocere.* Et in proxime antecedentibus, quamquam accedit relativi ratio: *fatentur, alienum esse ab iustitia, ad quam nati esse videamur, detrahere quid de aliquo, quod sibi assumat.* Hic *aliquid* est certa aliqua res posita, de qua *quid*, quodcumque sit, detrahatur. Liv. 37, 5, 1. *constantius tamen, quam quis facturos crederet, — urbem eo die defenderunt.*

Tum locum habet encliticum, ubi aliud accedit

nomen, sive sit adiectivum sive genitivus, aliave sententia, qua res ipsa distinctionem adipiscitur. Vnde fere dicitur *tale quid*, *aliud quid*. Quamquam in his nihil impedit, quo minus etiam *aliquid* ponatur, si distinctio etiam ab hac parte necessaria videatur. Sic Cic. p. Coel. 3, 7. *aliquis ex vobis* est unus aliquis ex vobis: sed Liv. 6, 40, 14. *quae a nostrum quo dicentur*. i. e. quae dicentur a nescio quo, quicumque ille sit.

Caes. B. Civ. 3, 32. *qui horum quid acerbissime crudelissimeque fecerat, is et vir et civis optimus habebatur.* In Cic. de Fin. 3, 21. supra apposito loco *quid* nititur in verbis *quod sibi assumat.*

Deinde in sententiis cum aliqua dubitatione proferendis cogitationis incerta ratio etiam rem comprehendit, ideoque enclitica usurpantur. Vid. Beier. ad Cic. de Off. T. II. p. 326.

Cic. de Off. 3, 19, 76. *non igitur faciat, dixerit quis, quod utile sit?* Nescire se fatetur, an quis dicturus sit. In Epist. ad Att. 6, 1. *his de caussis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse.* Frotscher nescio qua auctoritate scripsit *iniquius quid.* Id in tali praesumptione non aptum esset. In Brut. 41, 151. *non enim facile quem dixerim plus studii quam illum — adhibuisse.* Ellendtius bene defendit vulgatam scripturam.

Denique enclitica ponuntur in iis enuntiationibus, in quibus res simul cum cogitationis modo, qui coniunctionibus significatur, ita una notione continetur, ut amplior sententiae vis recedat in ipsam coniunctionem. Eae sunt enuntiationes conditionales per *si*, *nisi*, *quum*, *ubi* expressae, finales, quae habent *ut*, *ne*, *quo*, relativae, interrogationes. In his igitur quando proximo loco coniunctiones cum *quid*, *quando* etc. componuntur, uno accentu coalescunt, sicuti formantur *necubi*, *necunde*, *sicubi*, *sicunde:* ubi vero distrahuntur, aliis intericetis verbis, coniunctiones praevalent aucta vi. Atque id usus ita conformavit, ut, si quae aliter exprimuntur, aliam habeant caussam. Vulgarem formulam efficiunt verba *si quis* pro *quicumque*, *si quid* pro *quodcumque*. Vid. SI.

Exemplis quum vix opus sit multis, insigniora tantum, quae rem illustrent, addam: Liv. 3, 17, 7. *si quis impediat — quisquis ille sit, ubicumque sit.* Cic. in Verr. 5, 58, 149.

si quis rex, si qua civitas exterarum gentium, si qua natio fecisset aliquid in civem romanam eiusmodi, nonne vindicaremus?

Cic. ad Att. 13, 15. *exspectabam aliquem meorum: qui si venisset, et a te quid attulisset, videbam non defuturum, quod scriberem.* de Divin. 2, 52, 107. *potest autem, quum quis divinationem habeat, errare aliquando, nec vera cernere.* p. Rabir. 13, 36. *ubi semel quis peccaverit, ei credi postea — non oportet.* Tusc. 1, 3, 6. *fieri autem potest, ut recte quis sentiat.* Liv. 44, 39, 5. *sine ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos reciperemus?* Cic. ad Fam. 5, 2, 2. *qui — timuissent, ne qua mihi pars abs te voluntatis mutuae tribueretur.* de Div. 2, 1, 1. *ne quando intermitterem consulere reipublicae.* de Fin. 2, 1, 1. *quorum e numero primus est ausus Leontinus Gorgias in conventu poscere quaestionem, id est iubere dicere, qua de re quis vellet audire.* de Off. 2, 9, 34. *quo enim quis versutior et callidior, hoc invisior et suspectior.* de Leg. 3, 4, 11. *quod quis earum rerum migrassit, noxiae poena par esto.* Tacit. Hist. 3, 58. *nam amicorum eius quanto quis clarior, minus fidus.* Cic. Tusc. 5, 5, 13. *possitne quis beatus esse, quamdiu torqueatur?* ad Att. 5, 2. *quum me — num quid vellem, rogasset.* Acad. 2, 25, 80. *num amplius quid desideras, quod respondeas?*

Vtramque rationem coniunctam videmus in formulis *si quis, si quando*, quae dubiam et incertam rem esse significant: quod nos dicimus *wenn etwa.* Qua dictione et modesti animi sensus, et iudicii haesitatio exprimitur: nam quum rem ne a generis aut magnitudinis quidem notione certam esse dicimus, ipsa affirmatio cohibetur aliquantum.

Cic. ad Fam. 2, 15, 7. *nisi quid me Etesiae morabuntur.* vid. p. 259. p. Leg. Man. 1, 2. *si quid auctoritatis in me est, ea apud eos utar, qui eam mihi dederunt, et si quid etiam dicendo consequi possum, iis ostendam potissimum, qui* etc.

Vbi autem gravior ista vis, de qua antea p. 260. loquuti sumus, augetur vel significatione vel additis aliis nominibus, quibus efficitur, ut certum rerum genus intelligamus, non ponitur encliticum, sed plenum vocabulum. Quae eadem est caussa, quando *aliquid* in negativa sententia usurpatur.

Cic. p. Sext. 62, 131. *si est aliqui sensus in morte praeclarorum virorum.* i. e. si re vera certus aliquis sensus. ad

Fam. 14, 1, 12. *cui si aliquid erit, ne egeat.* i. e. certe non nihil: *einiges.* ad Att. 3, 7. *de republica video te colligere omnia, quae putes aliquam spem mihi posse adferre mutandarum rerum* i. e. non nullam. Agr. 2, 31, 85. *etiamsi ad vos esset singulos aliquid ex hoc agro perventurum.* Philipp. 13, 1, 2. *proximo bello si aliquid de summa gravitate Pompeius, multum de cupiditate Caesar remisisset* etc. Caesar B. G. 1, 14. *qui si alicuius iniuriae sibi conscius fuisset.* i. e. etiam minimae. Cic. Acad. 2, 20, 65. *si aut ostentatione aliqua adductus.* i. e. quadam. ad Fam. 7, 1, 1. *si te dolor aliquis corporis aut infirmitas valetudinis tuae tenuit.* i. e. certus aliquis. 1, 7, 10. *sin aliquid esset offensum.* i. e. re vera aliquid. ad Att. 3, 15. *ego, si me aliquando vestri et patriae compotem fortuna fecerit, certe efficiam, ut maxime laetere.* i. e. olim aliquando, certo quodam tempore. Catil. 4, 10, 20. *quodsi aliquando alicuius furore et scelere concitata manus ista plus valuerit, quam vestra ac reipublicae dignitas.* ad Fam. 5, 2, 23. *sin autem aliquid impertivit tibi sui consilii, lenis a te et facilis existimari debeo.* Philipp. 13, 1, 2. *sed hoc primum videndum est — an sit aliquod bellum inexpiabile.*

Cic. ad Fam. 9, 14, 8. *quamquam* (*haec enim iocatus sum*) *libentius omnes meas, si modo sunt aliquae laudes, ad te transfuderim, quam aliquam partem exhauserim ex tuis.* Haec non modeste dicta sunt, ut illa: *si quid est in me ingenii:* sed cum aliqua confidentia, quae ioco tegeretur. conf. de Off. 1, 44, 155. 3, 8, 37.

Luccei. ad Cic. 5, 14, 5. *quod si non possumus aliquid proficere suadendo.*

Atque haec eadem ratio esse videtur, cur in dubitatione, quae per particulas *fortasse*, *forte*, exprimitur, *aliquid* locum habeat saepissime. Illud enim *forte* attrahitur a coniunctione, nec quidquam diminuit vim integrae vocis *aliquid.*

Cic. ad Att. 2, 1. *si inter nos esset aliqua forte dissensio.* Quinctil. 10, 6, 5. *sed si forte aliquis inter dicendum effulserit extemporalis color, non superstitiose cogitatis demum est inhaerendum.* Cic. p. Flacc. 1, 2. *sed si forte aliquando aut beneficii huius obtrectator aut virtutis hostis — exstitisset.* ad Fam. 7, 17, 9.

De *ne quid*, et quomodo differant haec a *ne aliquid* et *ne quidquam*, vide in NE.

Ex his omnibus facile colligimus, quae usus uni-

versus stabilivit, ea non destituta esse ratione, atque vocabulum *aliquis* prope accedere ad *quidam*, et *quis* ad *quisquam*. Tamen cavendum est, ne, ut facile fit, et iam saepius factum est, nimia subtilitate abutamur. Neque enim cum Schuppio negabimus, in *quid* syllabam *ali* omissam esse: quae quidem omitti debebat, ut encliticum redderetur: neque cum Steubero mirabimur, grammaticos quosdam ea, quae uno accentu cohibentur, uno vocabulo *siquis*, *nequis* coniuncta scripsisse, neque etiam discrimen harum formularum quaeremus in diversa quadam conditionalis sententiae natura, nec Frotschero credemus, qui in *si aliquid* dubitationem intelligens negationi proximam, nimium arripit (nam *aliquid* significare potest nonnihil, aliquantum): sed haud temere concedemus iis, qui omnem rationem negare maluerunt, multo frequentiora esse encliticorum exempla. Ab hac vero consuetudine boni scriptores non recesserunt, nisi significationis potestate commoti, aut sicubi numeri caussa accessisset, eam cum sensu verborum conciliantes. Nam multa inveniri, in quibus sententia parum aut nihil mutetur, si quis alterumutrum ex auctoritate meliorum codicum substituere velit, profecto nemo negabit, qui vicissitudines vividi sermonis compertas habuerit. Quamquam etiam sunt, quae attentum lectorem fallere possint. Veluti Plinius Ep. 1, 10, 1. *si quando urbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret:* ubi ex aliorum praeceptis scribendum erit *aliquando*, quod sit alio aliquo tempore: atque etiam nos voce intendemus vocabulum *jemals*. Attamen *si quando* hoc loco significat *quotiescumque*, ut *si quis*, εἴ τις pro *quisquis*, ὅστις ponuntur. Cic. p. Sext. dixit 62, 131. *si est aliqui sensus in morte praeclarorum virorum.* et contra Philip. 9, 6, 13. *si quis est sensus in morte.* Illud enim est, si re vera certus aliquis sensus. Neque enim interposita verba, quae Doelekii erat sententia, efficiunt, ut plenae verborum formae praestent, sed ob alium sensum graviorem pronomen removeri potest a coniunctione, remotumque sua vi constat. Cic. de Leg. 3, 9, 21. *nisi mucronem aliquem tribunicium exacuisset in nos.* ad Fam. 16, 12, 1. *in eum locum res deducta est, ut nisi qui deus vel casus aliquis subvenerit, salvi esse nequeamus.* Etiam gravior voculatio, quam Doelekius inter indicia commemorat, regitur ab ipsa verborum significatione.

ALIQVO.

1. In ALIQVO, quemadmodum in *quo* et *alio*, intelligitur dativus, quo directio indicatur. vid. p. 233. Atque usurpatur hoc vocabulum et de motu in aliquem locum et, ut videtur, de fine atque usu. Comici plerumque addunt aliud nomen, quo locus certius designetur, aut negotium ibi peragendum. Rariora et constructione insignia exempla haec sunt, quibus alia adiungam enclitici *quo*.

Cic. ad Q. fr. 3, 3. *si nobiscum eum rus aliquo eduxerimus.* Plaut. Epid. 2, 2, 94. *ubi erit empta, ut aliquo ex urbe amoveas.* Rud. 2, 6, 51. *quid, si aliquo ad ludos me pro manduco locem?* Men. 5, 1, 3. *immersit aliquo sese credo in ganeum.* Terent. Ad. 5, 2, 10. *interea in angulum aliquo abeam.* Brutus in Epist. Cic. 11, 1, 5. *dandus est locus fortunae, cedendum ex Italia, migrandum Rhodum aut aliquo terrarum arbitror.* In hoc loco videmus accusativum eamdem habere vim: quod commemoro, ne forte quis verbo *aliquo* tribuat significatum loci, ubi aliquid situm sit. Sueton. Calig. 4. *quoties aliquo adveniret vel sicunde disceret.* ut dicunt *in aliquem locum advenire.* Terent. Eun. 4, 3, 25. *nam illum aliquo conclusissem.* ut Ad. 4, 2, 13. *in cellam concludere.* Plaut. Men. 1, 2, 15. *ad coenam aliquo condicam foras.* uti alibi *alicui condicere.*

Cic. ad Q. fr. 3, 1, 3. *quum aliquo exibimus, eat nobiscum.* ad Att. 8, 2. de litteris ad Caesarem missis: *eas si quo ille misit, in publico proponat velim.* 8, 3. extr. *ipse, ne quo inciderem, reverti Formias.* Caes. B. Gall. 1, 47. *si quo erat longius prodeundum.*

Aliquo terrarum Brutus dixit l. l. *aliquo loci* Vlpianus in Dig. 18, 7, 1.

Id, quod de locorum spatio dicitur, transferri potest ad finem et consilium rei in aliquid agendae: sicut nos *wozu.* Liv. 27, 28, 6. *parati milites essent, qui in praesidio erant, si quo opera eorum opus esset.* Ita coniecit Rhenanus, auctoritate codicum confirmavit Drakenborch. At elegantia praestat vulgatum *si qua opera.*

2. Interdum *aliquo*, eo loco, in quo quis moratur, opposito, eam vim accipit, ut sit in alium aliquem locum, *anders wohin.* Atque dicitur ipsum hoc *alio quo.*

Terent. Andr. 2, 1, 28. *saltem aliquot dies profer, dum*

proficiscor aliquo, ne videam. Heaut. 3, 3, 11. *at certe ut hinc concedas aliquo ab ore eorum aliquantisper.* Cic. in Catil. 1, 7, 17. *si te parentes timerent atque odissent tui, — ab eorum oculis aliquo concederes.* Quae adhiberi possunt ad comprobandam Burmanni emendationem in Propert. 2, 4, (5,) 4. *et nobis aliquo, Cynthia, ventus erit.*

Liv. 38, 30, 7. *si quando Romam aliove quo mitterent legatos.*

3. In Liv. 3, 64, 10. *si qui vos minus hodie decem tribunos plebei feceritis.* Gronovius explicuit *si qua ratione, si quo numero.* Sed potest esse nominativus *si qui vos.* Tamen Plaut. Truc. 5, 30. *quamquam ego tibi videor stultus, gaudere aliqui me volo. Nam quamquam es bella, malo tuo es, nisi tuo ego aliqui gaudeo.* Formam *aliquo* hoc quidem sensu inveni nusquam. Florus 2, 8, 9. *collatis undique, quamvis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur.* Falsum esse vocabulum *genere* omnes suspicati sunt, quo omisso Tollius scripsit *aliqua.* Aliis decernendum relinquo, an eiecto glossemate *genere,* per se stare possit *aliquo.* i. e. aliquo modo.

4. In Apulei Apol. p. 276. 1. Aldus edidit *sed haec defensio, ut dixi, aliquo multum a me remota est.* Emendaverunt Gronovius et alii *aliquam multum.* Certe Pomponius in Dig. 1, 2, 1, 26. *tunc, ut aliquo pluris patres haberent, placuit duos ex numero patrum constitui.*

ALIQVOTFARIAM.

Varro de Re r. 1, 2, 7. *in eo agro aliquotfariam in singula iugera dena cullea vini fiunt.* Vide in voc. MVLTIFARIAM. Est aliquot in locis.

ALIQVOTIENS. ALIQVOTIES.

Ab *aliquot* dictum ALIQVOTIES ambiguum habet sensum, ut res plus semel facta, *einigemal,* intelligatur: quod esse possunt pauca et non pauca. Sed fere fit, ut cum voculationis ictu pronuntietur, ideoque primum inter reliqua verba obtineat locum.

Pomp. Mela 3, 5, 7. *saevum ferarum genus et usque eo pernix, ut illis longe quoque progressum equitem consequi,*

nec tantum semel, sed aliquotiens etiam cursu, unde coeperit, subinde repetito solitum et facile sit. Cic. de Leg. 2, 4, 9. *aliquoties iam iste locus a te tactus est.* p. Quint. 1, 3. p. Font. 11, 23. Pro *aliquot* in Verr. 2, 70, 171. *aliquoties ad socios litteras de istius iniuriis miserat.* Sueton. Calig. 11. *quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties praedicaret exitio suo omniumque Caium vivere.* Liv. 7, 18, 9.

Formam *aliquotiens*, de qua in *quotiens* plura dicemus, Priscianus 15, 4, 24. p. 1015. affert e Sallust. Histor. lib. 1. *neque detrusus aliquotiens terretur.* alii codices *deterretur.* quod cur Gerlachius praetulerit, non video. Ceterum *aliquotiens* positum est post *detrusus*, quod sua vi praevalet.

ALIQVOVORSVM.

Aliqvovorsvm, quod in uno loco Plauti legitur Cas. 2, 4, 18. *ego pol istam iam aliquovorsum tragulam decidero.* uno ictu comprehendit duo vocabula, quae sensu etiam conveniunt ita, ut sit: in aliquem locum versus. Conf. aliorsvm. Forma *aliquorsum* nusquam exstat.

ALITER.

Aliter factum est ex antiquo vocabulo *alis*, (vid. Voss. de Analog. 4. p. 252.) significatque *alio modo.* Comparatione igitur opponitur alia, a qua illud, quod dicitur, differat, res. Haec vero differentia aut in eo cernitur, quo res vel tota vel aliqua eius pars ab aliis discriminatur, aut in contraria re et quacumque oppositione. Nos dicimus *anders:* Graeci ἄλλως. Plerumque hoc adverbium cum verbis ita coniungitur, ut pro *aliud* accipi possit.

I. 1. Atque primum comparatio exprimitur additis particulis, quae aequationi et comparationi inserviunt, *ac*, *quam*, sive sit sententia affirmativa, sive negativa. Nos *anders als.*

Terent. Heaut. 2, 3, 23. *aliter tuum amorem, atque est, accipis.* Cic. ad Att. 16, 13. *ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio.* ad Fam. 2, 3, 4. *sed aliter, atque ostenderam, facio.* de Fin. 4, 22, 60. *nihil est enim, de quo aliter tu sentias, atque ego:* ubi si *tu* a manu Ciceronis profectum est,

ante *aliter* ponendum erit, ut iubent codices: *aliter sentire* unam exhibet notionem compositam. ad Att. 6, 3. *quo maiorem spem habeo nihil fore aliter, ac deceat.* p. Mil. 9, 23. *neque de caussa quidquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est.* Terent. Ad. 4, 3, 6. *numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.* Multa exempla collecta vide apud Hadr. Cardinal. de modis lat. loq. p. 7. et apud Stewech. p. 13.

Plaut. Stich. 1, 1, 42. *et si illi improbi sint, atque aliter nos faciant, quam aequum est.* Cic. p. Rab. Post. 11, 29. *si aliter quippiam coacti faciant, quam libere.* de Inv. 2, 22, 66. *veritatem, per quam damus operam, ne quid aliter, quam confirmaverimus, fiat.* in Verr. 1, 9, 24. Virgil. G. 1, 201. *non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum remigiis subigit* etc. Quinctil. 4, 5, 5. *nam est nonnumquam dura propositio, quam iudex, si providet, non aliter praeformidat, quam qui ferrum medici prius; quam curetur, adspexit.* Et delectatur hac comparandi formula maximopere Quinctilianus. vd. Spalding. ad 4, 5, 5. Alia exempla multa collegit Stewech. p. 14.

2. Ita etiam simplex copula *et* comparationem efficere videtur in ALITER ET. At contracta est oratio, quasi dicatur *aliter — et aliter.* Id demonstrari potest loco Ciceronis de Fin. 5, 30. ubi Goerenzius, Ernestium sequutus, *et* pro *ac* poni putat.

Cic. de Fin. 5, 30, 89. *quid ergo aliter homines, aliter philosophos loqui putes oportere, quanti quidque sit? aliter doctos et indoctos?* ad Att. 10, 11. *quod de puero aliter ad te scripsit et ad matrem de filio, non reprehendo.*

Non huc pertinet Ep. ad Att. 10, 12. *minus enim auderent, si aliter esset, et scirent:* quod est: si aliter esset, et si aliter esse scirent. In Varr. de L. L. 8, (9,) 38. e codd. nunc restitutum legitur: *itaque quaedam aliter olim ac nunc:* ubi olim *et nunc.*

Facciolatus in Epistola Meieri ad Schwartzium haec: „doces *aliter* coniungi cum *et*, sed non nimis usitatum esse. Atqui si exempla, quae affers ex Cicerone et Varrone, id efficerent, quod tibi persuades, perperam diceretur non nimis usitatum, quod tantis istis latinitatis magistris usitatum visum est. Verum in Varronis exemplo et in duobus Tullianis particula *et* non ponitur pro *quam*, quemadmodum tibi videris persuadere, sed idem est ac si repeteretur *aliter:* qua ratione nihil est non valde usitatum. Nam hoc modo etiam nomen *alius* adhi-

beri solet valde eleganter. Negotium facessere videtur Ciceronis exemplum ad Att. 11, 23. *illud quidem mutari, si aliter est, et oportet, non video posse.* Sed hic alii aliter legunt, nec quidquam certi affirmari potest.“ Manutius correxit *ut oportet*, Lambinus *atque oportet.* Schützius pervertit sensum verborum, quasi legeretur *etiamsi aliter sit.* Edit. Rom. omittit *est.* Quare scripsisse videtur Cicero in hac meditata obscuritate: *nisi illud quidem mutari: Si aliter est, oportet. Non video posse.* i. e. ut nunc mihi cognita est res, non video eam mutari posse.

3. Apud Cic. Tusc. 3, 30, 73. legitur: *et qui suos casus aliter ferunt, atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores.* Davisius et Ernestius eiecerunt *ut*, restituit Wolfius: et recte quidem. vide alia in ATQVE, et Wopkens. Lect. Tull. p. 86. Ii vero, qui ita dici posse negarunt, attendere debebant ad notionis constrictae dissolutionem in verbis *atque ut:* nam simplex *atque* pro *atque ut* dicitur.

4. Sed quaeritur, num illud, quod Manutius in Ciceronis loco ante allato restitui voluit, *aliter ut* pro *aliter atque ut*, in veterum scriptorum libris usquam occurrat. Equidem dubitaveram semper. Iam vero Beierus me provocat ad Ciceronem, qui de Rep. 1, 4. scripserit: *sed si aliter, ut dixi, accidisset, qui possem queri, quum mihi nihil improviso nec gravius, quam exspectavissem, pro tantis meis factis evenisset?* Maius ad haec verba: „periit id dictum in lacuna.“ Sed Beierus refert haec ad proxima: *quamquam nostri casus plus honoris habuerunt quam laboris, neque tantum molestiae quantum gloriae, maioremque laetitiam ex desiderio bonorum percepimus quam ex laetitia improborum dolorem.* in ista lacuna enim desiderari, quibus Cicero de gloria potius quam de molestia mentionem iniecisset. At illis praemissis exspectamus orationem hanc: *quod si aliter accidisset:* certe non additum illud vacuum *ut dixi.* Quare amplius dubitabo, et Maio credam, qui sensum recte perceperat ita: sed si aliter, quemadmodum antea dixi, accidisset. Diversa est ratio in Plauti Captiv. 4, 1, 86. *vale atque salve: etsi aliter, ut dicam, meres.* ibi dicitur pro *aliter quam ut dicam.*

5. *Non aliter* usurpatur, ut iam vidimus, pro affirmativo nomine *perinde, item.* Hinc fiunt formulae *non aliter quam quum, non aliter ac si, haud aliter*

sive *non aliter quam si.* Nescio tamen, an praeter iuris auctores nemo dixerit *aliter ac si.* Verbis *non aliter quam si* Livius, Suetonius, Iustinus frequenter utuntur: quare historicam formulam auctores particularum appellaverunt. Sed hoc temere. Animadvertere debebant, ante Livium neminem praeter poetas ita loquutum esse.

Ovid. Fast. 2, 209. *destrictis ensibus ipsi tyrrhenum validо marte per agmen eunt: non aliter, quam quum libyca de rupe leones invadunt sparsos lata per arva greges.*

Sueton. Oth. 6. *obvio quoque non aliter, ac si conscius et particeps foret, adhaerente.* Columell. de Re r. 2, 14, (15,) 8. *aestivis deinde mensibus non aliter, ac si repastines, totum sterquilinium rastris permisceri oportet.* Cic. ad Att. 13, 51. *nec mehercule scripsi aliter ac si πρὸς ἴσον ὅμοιονque scriberem.*

Gaius in Dig. 9, 2, 32, 1. *duo enim sunt delicta: aliter atque si quis uno impetu, pluribus vulneribus aliquem occiderit.* Vlpian. 47, 10, 17, 9. *aliter atque si servus communis esset.* Paullus 21, 1, 43, 5. Pomponius 45, 3, 38.

Liv. 23, 4, 4. *iam vero nihil in senatu actum aliter, quam si plebis ibi esset concilium.* 21, 63, 9. *profectum clam, furtim, haud aliter quam si exsilii caussa solum vertisset.* Sueton. Aug. 40. *non aliter se daturum, quam si praesens sibi persuasisset, quam iustas petendi caussas haberet.* Iustin. 12, 7, 7. Quinctil. Inst. Prooem. 5. *nec aliter quam si mihi tradatur educandus orator.* Liv. 3, 51, 12. *illi negabant, se aliter ituros, quam si decemviri deponerent insignia magistratus eius.* Virgil. A. 4, 669. Ovid. Trist. 1, 3, 73. Alia vide apud Stewech. p. 14.

Omissa coniunctione *si* Frontin. Strat. 1, 1, 10. *neque aliter principes eorum redire posse, quam ipse remissus foret.* In Flor. 2, 3, 3. omnes fere codices habent: *nec aliter utraque gente, quam si cote quadam populus romanus ferrum suae acuebat virtutis.* vulgo additur *quam quasi cote*, quod Dukerus necessarium putat ob deficiens verbum, quod requirat coniunctio *si.* Alii libri praebent *quasi cote*, quod verum puto. Plaut. Trin. 4, 1, 16. *ita iam quasi canes haud secus circumstabant navem turbines venti.*

6. *Non aliter nisi* dicunt quidam scriptores pro *non alia conditione nisi.* Cicero non frequenter solet addere vocabulum *aliter*, duobus, nisi fallor, locis ita loquutus. Reliqui non mutato sensu vel proximo loco

componunt *non aliter*, vel *non* cum verbo copulant: *aliter non potest fieri.*

Cic. ad Fam. 1, 9, 63. *nec mihi aliter potuisse videor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum praesidiis iis, quae semper habui, nunc etiam potentium benevolentiam coniunxissem.* de Fato 20, 48. *qui aliter obsistere fato fatetur se non potuisse, nisi ad has commenticias declinationes confugisset.*

Coel. ad Cic. 8, 14, 2. *quod Cn. Pompeius constituit, non pati C. Caesarem consulem aliter fieri, nisi exercitum et provincias tradiderit.* Lentul. ad Cic. 12, 14, 18. *quod aliter non potest fieri, nisi spatium habuero.* Liv. 35, 39, 4. *non aliter, nisi pars aliqua inclinaret ad respectum pristinae societatis, rem adgressurus.* 45, 11, 11. 45, 31, 8. Iustin. 12, 14, 7. Sueton. Ner. 36. Marcianus in Dig. 48, 18, 9. *si aliter veritas inveniri non possit, nisi per tormenta.* Vlpian. in Dig. 37, 9, 6. Caesar nescio an B. G. 6, 16. non scripserit: *quod, pro vita hominis nisi hominis vita reddatur, non posse aliter deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Nam sunt codices non pauci, qui carent voce *aliter:* neque alterum exstat in Caesare huius dictionis exemplum.

7. Eadem est ratio in formula *non aliter quam ut*, ubi conditio ponitur cum consequutione quadam, vel cum consilio ac voluntate aliqua coniuncta. Caesar uno in loco dixit *non aliter sentire quin* pro *non dubitare quin:* quod ipsum in quibusdam libris additum est.

Columel. de Arb. 7, 5. *neque aliter potuerit palos, ad quos perducitur, pertingere, quam ut diffluat.* Sueton. Tib. 15. *ne hereditatem quidem aut legata percepit ulla aliter, quam ut peculio referret accepta.* 24. *tandem quasi coactus recepit imperium: nec tamen aliter, quam ut depositurum se quandoque spem faceret.* In Galb. 8. restituit Oudendorp. *ne ad gestandum quidem umquam aliter iter ingressus, quam ut secum vehiculo proximo decies sestertium in auro efferret.* Et necessaria erat correctio. Curt. 9, 5, 23.

Caes. B. G. 7, 44. *huic loco vehementer illos timere, nec iam aliter sentire, uno colle ab Romanis occupato, si alterum amisissent, quin paene circumvallati — viderentur.*

8. Vno, quod sciam, Pomponii Melae loco 1, 9, 6. legitur *aliter ab aliquo*, quod cum iis exemplis comparaverunt, in quibus *alius* cum ablativo construitur. vid. interpr. ad Cic. Ep. 11, 2, 5. Verba sunt: *culto-*

res regionum multo aliter a ceteris agunt. Ciacconius emendavit *ac ceteri.*

II. 1. Vocabulo *aliter* quamquam semper inhaeret comparationis notio, saepissime haec non verbis exprimitur, sed illud per se constat. Tum significat vel *alio modo*, vel ad res relatum *aliis rebus*, vel *alia parte.* Saepe poetae usurpant in comparandis rebus *haud aliter, non aliter.*

Cic. ad Fam. 3, 7, 16. *tu si aliter existimes, nihil errabis.* Plin. Pan. 72, 7. *habent sua verba miseri, sua verba felices: utque maxime eadem ab utrisque dicantur, aliter dicuntur.* Cic. ad Att. 6, 9. *non fuit faciendum aliter.* Sallust. Cat. 44, 1. *ab Lentulo, Cethego, Statilio, item Cassio postulant iusiurandum, quod signatum ad civis perferant: aliter haud facile eos ad tantum negotium impelli posse.* Columell. de Re r. 1, 3, 6. *nisi aliter existimamus diversum orbem gentes universas petiisse relicto patrio solo — quam quia malos vicinos ferre non potuerant.* Quamquam verba *aliter existimamus* cohaerent, pergit tamen oratio, tamquam antecesserit *aliam ob caussam.* Priapei. 30. *vade per has vites, quarum si carpseris uvas, quas aliter sumas, hospes habebis aquas.* Explicant *aliam ob caussam:* male quidem. Sententia enim sic se habet: vade per has vites, sed si uvas carpseris, alia tibi erit aqua: irrumando te irrigabo. cf. carm. 43. Est igitur *aliter* alio modo. In Plin. Epist. 9, 23, 3. *exprimere non possum, quam sit iucundum mihi — quod uterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter ignotus est.* Cortius temere coniecit *alter:* est *alio nomine, in aliis rebus.* conf. Schaefer. ad h. l. Curt. 8, 10, 27. *quia nec cavernas nisi aggere poterat implere, nec tormenta aliter muris admovere.* i. e. nisi impletis cavernis.

Virgil. Aen. 9, 65. praemissa comparatione lupi: *haud aliter Rutilo, muros et castra tuenti, ignescunt irae.* 9, 554. et sic saepe.

Palladius de Re r. absolutum ponit vocabulum in afferendis aliis remediis. vid. 1, 41, 2. 4, 10, 7. 12, 22, 2.

De dictione *aliter se res habet*, et de barbarismo in verbis *aliter se res habet cum aliquo* vid. Vorst. de latin. mer. susp. p. 37.

Ceterum optimus quisque scriptor dixit *fieri non potuit aliter*, non *fieri non aliter potuit.* Cic. ad Att. 6, 6. de Amic. 20, 74. Terent. Ad. 5, 8, 13.

2. Haec significatio eo potest adstringi, ut contrariam partem vel contrariam rem indicet. Quare Donatus ad Terent. Andr. Prol. 4. *aliter autem contra significat. Virgilius* [Aen. 2, 428.] *dis aliter visum.*

Plaut. Epid. 4, 2, 29. *quid si servo aliter visum est?* i. e. quid, si servus falsum dixit? Sallust. Iug. 10, 7. *ne aliter quid eveniat, providere decet.* Vid. Oudendorp. ad Hirtii B. Afr. 52. Varro de Re r. 1, 20, 1. *amplis cornibus et nigris potius quam aliter.*

Martial. Spect. 3, 9. *crinibus in nodum tortis venere Sicambri, atque aliter tortis crinibus Aethiopes.* qui 6, 39, 6. *retorto crine incedere* dicuntur. Ovid. Met. 2, 83. *adverti — saevaque circuitu curvantem brachia longo scorpion atque aliter curvantem brachia cancrum.* i. e. in adversam partem. Lucan. 8, 197. *aequora senserunt motus aliterque secante iam pelagus rostro nec idem spectante carina, mutavere sonum.* i. e. contrario cursu.

Solemnes formulas *qui aliter fecerit*, quae leguntur apud Sallust. Cat. 52, 43. Iustin. 6, 6, 1. et *si aliter factum erit.* i. e. si ita factum non erit, illustrat Brisson. de Form. p. 200. et de Verb. sign. p. 66.

3. Peculiarem usum habent verba *aliter esse*, quae ponuntur pro *aliter se habere*, etiam comparatione verbis expressa. Rarissimum usum vocat Schwartzius.

Terent. Ad. 3, 4, 46. *sin aliter animus vester est, ego summa vi defendam has.* Cic. p. Rosc. Am. 47. *verum longe aliter est.* Terent. Hec. 4, 4, 15. Phorm. 3, 2, 44. *ego hunc esse aliter credidi: iste me fefellit: ego isti nihilo sum aliter ac fui.* Adel. 4, 3, 6. Plaut. Truc. 1, 2, 70. *sed longe aliter est amicus atque amator.* Acidalius emendavit *alter:* praeter necessitatem, ut ipse sensit.

Eodem modo Terent. Ad. 4, 3, 12. *sed si aliter putas, egomet narrabo, quae mihi dixti.*

4. De dictione *sin aliter* vide in SI. Contrariae rei significatio conspicitur imprimis in sententiis sibi ita oppositis, ut *aliter* reddi debeat per *ex altera* s. *e contraria parte: von der andern Seite.*

Cic. de Off. 1, 39, 139. *in domo clari hominis — adhibenda cura est laxitatis. Aliter ampla domus dedecori saepe domino fit, si est in ea solitudo.* Heusinger. explicat: alioqui, si ea laxitatis adhibendae caussa non est, quam dixi.

5. Ponitur ALITER pro *alioquin*, quod est, nisi

hoc est, vel esse conceditur, alia sub conditione, ceterum: *andern Falls*, *abgesehen hiervon*, ἄλλως. Vid. Cortius ad Sallust. Cat. 29, 3. Heusinger. ad Cic. de Off. 1, 39.

Charisius 2. p. 175. *aliter pro alias. Sallustius Hist.* 1. *sanctus aliter et ingenio validus. Item in eadem: insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum.* Cic. Lael. 20, 74. *aliter amicitiae stabiles permanere non possunt.* antecedunt: *omnino amicitiae corroboratis iam confirmatisque et ingeniis et aetatibus iudicandae sunt.* de Off. 2, 12, 42. *ius enim semper est quaesitum aequabile: neque enim aliter esset ius.* Et paullo post: *omni igitur ratione colenda et retinenda iustitia est, tum ipsa per sese (nam aliter iustitia non esset) tum propter amplificationem honoris et gloriam.*

Sallust. Cat. 29, 3. *ea potestas per senatum more romano magistratui maxuma permittitur, exercitum parare —: aliter sine populi iussu nulli earum rerum consuli ius est.* Virgil. A. 6, 147. *aliter non viribus ullis vincere nec duro poteris convellere ferro.*

III. 1. Accedunt verba, quae discriminis vel magni vel parvi modum et mensuram denotant, *multo, longe, nihilo, quanto*, quo fit *multo aliter*, et in hunc modum cetera. Interdum haec vocabula mutant locum suum, nec tantum apud poetas.

Varro de Re r. 3, 15, 2. *quae figuli faciunt multo aliter atque alia.* 2, 3, 6. *nec multo aliter tuendum hoc pecus in pastu atque ovillum.* Cornel. Ham. 2. *at ille, ubi Carthaginem venit, multo aliter, ac sperabat, rempublicam se habentem cognovit.* Terent. Andr. Prol. 4. *verum aliter evenire multo intelligit.*

Cic. Acad. 2, 31, 101. *Stoici, qui multa falsa esse dicunt, longeque aliter se habere ac sensibus videantur.* p. Dom. 16, 41. Sallust. Iug. 7, 3. Cic. p. Rosc. Am. 47, 138. *verum longe aliter est.* Liv. 39, 28, 5. *id ego aliter longe iudico esse.* alii codices *longe aliter*, alii omittunt *aliter*. Plaut. Epid. 4, 2, 9. *aliter catuli longe olent, aliter sues.* vid. LONGE.

Terent. Phorm. 3, 2, 45. *ego isti nihilo sum aliter ac fui*

Senec. Ep. 94, 69. *hoc ut esse verum scias, adspice, quanto aliter unusquisque populo vivat, aliter sibi.*

2. Bis terve et pluries ponitur ALITER soluta oratione, ubi plures res aliter se habentes nominantur.

Cic. 3, 17, 68. *sed aliter leges, aliter philosophi tollunt*

astutias. Lael. 24, 89. ad Fam. 15, 21, 6. de Off. 1, 12, 38. *ut enim quum civiliter contendimus, aliter, si est inimicus, aliter, si competitor* etc. recentiores editores Anemocii auctoritate correxerunt *cum civi aliter contendimus, si est i.* quod nescio an non praestet. Ellipsis ista non dura videri potest proximo verbo repetito: atque *civiliter* bene dicitur de rebus civilibus.

Cic. Acad. 2, 47, 143. *aliter Diodoro, aliter Philoni, Chrysippo aliter placet.* Quinctil. 3, 8, 49. Celsus praef. p. 15. Alm. *et aliter acutis morbis medendum, aliter vetustis: aliter increscentibus, aliter subsistentibus, aliter ad sanitatem inclinantibus.*

3. Scriptores post Augustum de variis rebus ac modis dicentes usurpabant formulas *aliter aliterque, aliter atque aliter.*

Celsus 3, 3. p. 117. *quum aliter aliterque in eodem morbo febres accedunt.* ut paullo post *alias aliasque.* 7, 7. p. 421. de oculorum vitiis: *et ipsa diversa sunt, et aliter — aliterque curantur.*

Senec. Ep. 27, 8. *hoc saepe dicit Epicurus aliter atque aliter.* 89, 4. *philosophiam quoque fuerunt qui aliter atque aliter definirent.* Plin. Hist. n. 2, 93, 95. *diffusae per omne naturae subinde aliter atque aliter numen erumpens.* 9, 2, 1. *perplexis et in semet aliter atque aliter nunc flatu, nunc fluctu convolutis seminibus atque principiis.* Sueton. de cl. rhet. 1. Celsus 7, 17.

4. Coniunguntur, ut in verbo ALIAS vidimus, contracta oratione similia vocabula *aliter alibi, aliter alius.* Conf. p. 222.

Plin. Hist. n. 25, 4, 10. *haec quoque difficultas est, quod eadem aliter alibi nuncupantur.* 18, 5, 6. *hoc ex locorum occasione aliter alibi decernitur.*

Cic. Orat. Part. 14, 51. *saepe enim ea, quae dicta sunt, si aut ambigue, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam aliter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.* i. e. diverso modo. ad Att. 7, 8. de Orat. 2, 19, 79. Liv. 2, 21, 4. *aliter apud alios ordinatis magistratibus.* i. e. apud alios scriptores. 39, 53, 1. Plin. Hist. n. 15, 15, 16. *reliquorum nomina aliter in aliis atque aliis locis appellantur.*

5. Plinius in naturalis historiae libris propriam sibi dictionem conformavit, vel ex communi vitae usu rece-

pit, qua NON ALITER cum comparativo copulabat ita, ut ob ipsam comparationem verbo expressam *aliter* abundaret.

Hist. n. 22, 22, 36. *est vero caussa, quapropter venena monstremus inter gramineas coronas: nisi libidinis caussa expetenda alicui videtur, quam non aliter magis accendi putant quam potu.* de quo loco iterum dicemus in v. NISI. 37, 2, 10. *invenio medicos, quae sunt urenda corporum, non aliter utilius id fieri putare, quam crystallina pila adversis posita solis radiis.* 27, 4, 15. *idque, quod totis voluminibus his docere et mandare conati sumus, de discordia rerum concordiaque, — non aliter clarius intelligi potest.* 28, 9, 41. 24, 11, 50. *arundinis genera XXIX demonstravimus non aliter evidentiore illa natura quam continuis his voluminibus tractamus.* quibus Plinius dicit, se de arundinis generibus in libro XVI disputasse, sed non evidentiora quam hic, ubi de usu arundinis agit.

* Confunditur in scriptis libris *aliter* cum *alio:* Virgil. Aen. 5, 592. cum *alter:* vd. Drakenb. ad Liv. 28, 18, 1. cum *alias:* vd. Rhenan. ad h. l.

ALIVBI.

ALIVBI quamquam ab *alibi* ipsa sua origine, et quodammodo etiam significatione differt, nihil tamen discrepat usu. Atque haud scio, an in ipso hoc scriptorum usu certam regulam constituere nemini liceat. Nam librarii plurimos locos ex sua opinione vel consuetudine conformarunt. Ita ille, qui Plinii Historiam naturalem a libro decimo tertio scripsit, ubique suo, ut videtur, arbitrio posuit *aliubi:* in prioribus libris ubi legitur, id saepe postea factum est ab editoribus. Illud autem fortiter affirmari potest, neque in Ciceronis et Caesaris, neque in Taciti, neque in Suetonii operibus reperiri ullum exemplum. Ex antiquioribus unus est locus Varronis de Re r. 1, 44, 1. in quo, nulla lectionis diversitate notata, ediderunt *aliubi:* attamen dubitari decet de integritate scripturae. Persaepe vero hoc vocabulum in Plinii libris occurrit, aliquoties etiam in Seneca. Sed in Pliniano opere critici tanta temeritate versati sunt, et pleraque imprudenter mutarunt, ut ex vulgaribus editionibus, nisi principe et ceteris antiquis collatis, documenta excitari non possint. Equidem igi-

tur hanc quaestionem institui, atque intellexi, Plinium interdum videri certo aliquo iudicio et delectu usum esse, in plurimis autem negligenter miscuisse formas. Numquam enim dixit *non aliubi*, *nec aliubi*, *nec usquam aliubi*, sed *non alibi*, *nec alibi*, *nec usquam alibi*. Nam ex antiquis libris restituenda haec sunt: 37, 2, 9. *nec alibi certe reperitur*, *quam ubi maxime hibernae nives rigent*. 36, 7, 12. *nec usquam alibi nasci putavere nostri*. 14, 1, 3. ubi secundum vestigia antiquissimae editionis scribendum esse videtur: *quae ob id magnitudinem infantium puerorum in interiore Africae parte exsuperant*, *non alibi gratiore callo*, *ut inde possit invenisse nomen durus acinus*. nisi magis placeat *graviore callo*. Superest igitur inter tam multos locos unus libri 13, 14, 46. *quoniam non aliubi vivit*. In duobus aliis locis codices et editiones antiquae praebent *alicubi*. 10, 30, 45. *merulae circa Cyllenen Arcadiae*, *nec usquam alicubi candidae nascuntur*. 8, 38, 57. *leontophonon accipimus vocari parvum*, *nec alicubi nascens*, *quam ubi leo gignitur*. Num vero *alicubi* cum negatione recte coniungatur, suo loco monstravimus p. 231. Quare in his quoque locis *alibi* scribendum erit, nisi in altero loco *nec usquam alicubi* dicitur, ut in Cic. de Inv. 1, 54, 104. *nec alicui umquam usu evenerit*.

1. ALIVBI significat alio in loco, *anderswo*. Quae in *alibi* demonstrativa notio est, *aliubi* relativam habet: quamquam non crediderim, hanc ob caussam a Plinio non potuisse dici *non aliubi*, *quam ubi*: nam dicit ille eodem modo *aliunde — quam ex Hispania*. Lindemannus de Adverb. 2. p. 6. „*alibi*, inquit, est alio quocumque in loco, tamquam *alibiubi*.“ Quae quid sibi velint, non assequor.

Plin. Hist. n. 14, 1, 3. *vetant hoc aliubi venti*, *ut in Africa*. 17, 2, 2. *idem quod modus aliubi efficit*. 12, 14, 32. 13, 4, 7. 17, 31, 29. 17, 21, 35, 2. Variant libri in 12, 22, 48. *damnatur alibi*. et in 2, 47, 46. Terentius Clemens in Digest. 35, 1, 64. *nam si ea esset*, *quae aliubi nuptias non facile possit invenire*.

2. Bis pluriesve positum, ut alia huius generis vocabula, Plinius et Seneca usurpant, et, si vera est scriptura, Varro quoque.

Varro de Re r. 1, 44, 1. *ut ex eodem semine aliubi cum*

decimo redeat, aliubi cum quintodecimo. Plin. Hist. n. 12, 14, 32. *aliubi pro aqua, aliubi pro pabulo aut pro mansionibus — pendunt.* 22, 18, 21. 34, 14, 41. Sed 11, 14, 14. editio princeps habet *alicubi — alicubi — alicubi:* quod iam in veneta a. 1514 correctum legitur: itemque in 11, 37, 88. ubi princeps editio *alibi — alibi — alicubi.* Seneca de Benef. 1, 5, 5. *hoc quoque in aliis rebus evenit, ut aliubi sit species rei, aliubi ipsa res.*

3. *Aliubi atque aliubi* dicitur eo modo, quo *alibi atque alibi.*

Senec. Ep. 35. *mutatio voluntatis indicat animum natare, aliubi atque aliubi apparere, prout tulit ventus.* quod Lindemannus correctum vult *alibi atque alibi:* sed Seneca etiam de Benef. 3, 6, 2. *aliubi atque aliubi diversa poena est.* In Plinii 9, 54, 79. prima editio exhibet: *quando eadem aquatilium genera alibi atque alibi meliora.*

ALIVNDE.

1. ALIVNDE est ex alio loco, ab alio loco, ἄλλοθεν, *anderswoher*, et ad res ipsas relatum, ex alia parte, de quocumque motu et exitu, atque de origine et caussa.

Cic. de Orat. 2, 10, 39. *idque si quis in alia arte faciat, eum assumpto aliunde uti bono, non proprio, nec suo.* ad Fam. 5, 13, 2. *quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere.* i. e. ex aliis rebus pendere. Orat. 24, 80. *in alienis aut translatum et factum aliunde ut mutuo, aut factum ab ipso et novum, aut priscum et inusitatum.* Ita enim utique scribendum est: quod nunc video etiam Meyero placuisse. Illud *mutuo* refertur etiam ad *translatum.* Et ad Att. 11, 13. *aliunde mutuati sumus.* Catull. 61, 151. *quae tuus vir petet, cave ne neges: ne petitum aliunde eat.* cf. Cic. de Orat. 2, 9, 38.

Plin. Hist. n. 13, 16, 30. *radice nihil crispius, nec aliunde pretiosiore opera.* non ex alia parte.

2. Vt Latini dicunt *ab aliqua parte, ab aliquo stare*, de quo vide in voc. A, ita etiam *aliunde stare.*

Liv. 24, 45, 3. *qui aliunde stet semper, aliunde sentiat.*

3. Etiam in aliis dictionibus refertur ad res et personas, ut significet ex alio homine, ex alia re.

Cic. ad Att. 11, 13. *et a tuo villico sumpsimus, et aliun-*

de mutuati sumus. pr. Ligar. 1, 1. *quum tu id neque per te scires, neque audire aliunde potuisses.*

Plinius dixit pro *per aliam rem* 13, 18, 32. *nec aliunde magis quam purgamentis eius sues crassescunt.* 30, 1, 2. *maxime tamen mirum est in bello troiano tantum de arte ea silentium fuisse Homero, tantumque operis ex eadem in Vlyssis erroribus, adeo ut totum opus non aliunde constet.* i. e. *so dafs das ganze Werk aus weiter nichts besteht.*

4. In modum reliquorum huius generis verborum bis terve ponitur ad designanda diversa loca diversasque res.

Liv. 24, 45, 3. vid. n. 2. Plin. Hist. n. 37, 12, 75. *sardonyches e cerauniis glutinantur gemmis ita, ut deprehendi ars non possit: aliunde nigro, aliunde candido, aliunde minio.* Ita enim restituendum est ex antiquis libris. 13, 16, 30.

5. Alivnde componitur cum verbis *alius, alio, aliter,* et quae sunt huius generis.

Terent. Phorm. 2, 2, 19. *aliis aliunde est periculum, unde aliquid abradi potest.* Liv. 44, 12, 3. *qui alii aliunde coibant.* Seneca de Brev. vitae 16, 2. *aliunde enim alio transfugiunt et consistere in una cupiditate non possunt.* quae Beierus in litteris ad me datis explicat: ex alio in alium locum, ego vero: ex alia re ad aliam. Cons. ad Helv. 6, 6. *perpetua eius agitatio et aliunde alio commigratio est.* Epist. 64, 1. *varius nobis sermo fuit, ut in convivio, nullam rem usque ad exitum adducens, sed aliunde alio transiliens.* i. e. ex aliis rebus ad alias. vid. p. 234.

6. Post se habet *quam,* quemadmodum *alibi* et reliqua cognata vocabula, comparationis, quae in aliis omnibus locis subest, ratione.

Plin. Hist. n. 2, 97, 99. *sidere — assidue aliunde quam pridie exorientes.* 33, 8, 40. *sed neutro ex loco invehitur ad nos, nec fere aliunde quam ex Hispania.* 9, 34, 53. Cic. de Nat. d. 3, 25, 64. *itaque aliunde mihi quaerendum est, ut et esse deos, et quales sint dii, discere possim, quam quales tu eos esse vis.* mutata est oratio, pro *aliunde quam a te.*

ALIVTA.

Alivta antiquum fuisse vocabulum narrat Festus his: *aliuta antiqui dicebant ex graeco ἄλλη et ἄλλως*

transferentes. Hinc est illud in legibus Numae Pompilii: si quis aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto. Originem in vocabulo *alius* omnes quaerebant: nonnulli pro *alie* dictum putabant, vid. Vossii Aristarch. 4. p. 196. 253. quidam intelligebant *alio uti.* i. e. alio quodam modo: nemo tamen formae naturam explicuit. Mihi videtur esse neutrum adiectivi plurale ita formati, quemadmodum terminantur *astutus*, *cinctutus*, *canutus* i. e. canus, *actutum.* Est igitur *alia.* Gulielmus Verisim. 2, 25. in Plauti Rud. Prol. 9. correctionem fecit omnibus probatam: *qui est imperator divum atque hominum, Iuppiter, is nos per gentis alium aliuta disparat.* vulgo *alium alia.* Codex Beroaldi *alium alio.*

ALTERNATIM. ALTERNE. ALTERNIS.

1. Significatio horum verborum in lexicis satis exposita est: nam ALTERNATIM et ALTERNE dicitur, quum duae res per vices se excipiunt et succedunt. Opponitur a Varrone et a Plinio vocabulum *pariter.* Cicero et qui eius aequales erant, adverbia haec non cognita habebant: obsoleta ea restauravit posterior aetas.

Claudius Quadrig. in Annal. lib. 3. apud Nonium 2, 64. *item gaudium atque aegritudinem alternatim sequi.* Ammian. 29, 2. *visus adulescens in balneis admovere marmori manus utriusque digitos alternatim et pectori.*

Plin. Hist. n. 11, 37, 51. *supercilia homini et pariter et alterne mobilia.* Senec. Nat. qu. 7, 12, 4. *quemadmodum arcus alterne nec nisi sole pingitur.* Haec est emendatio Gronovii parum probabilis. In antiquis libris legi narratur *arcus alterne nisi sole vincitur*, vel *aliter nisi*, vel *visitur.* Sed scriptum erat *alt'nissole*, quod est *arcus alternis sole pingitur.* quod cum iis convenit, quae 1, 3, 2. docentur: de quo loco paullo post. Illud *nisi sole* alienam sententiam immiscet.

2. ALTERNIS pro adverbio ponitur intellecto aliquo nomine non certo. Substituere solent *vicibus:* quod non ubique aptum. Dicitur autem vel de iis, qui mutant in agendo locum et officium, vel de iis, quae interiecto intervallo fiunt, non continua serie. Nos uno vocabulo *abwechselnd* utrumque nominamus.

Varro de Re r. 3, 16, 9. *omnes ut in exercitu vivunt, at-*

que alternis dormiunt, et opus faciunt pariter. i. e. omnes una. Liv. 2, 2, 9. *postquam Sp. Lucretius — agere varie rogando alternis suadendoque coepit, ut vinci se consensu civitatis pateretur.* i. e. modo rogando, modo suadendo. 4, 53, 11. *itaque, quum ex senatusconsulto urbem ovans introiret, alternis inconditi versus militari licentia iactati.* ubi Drakenborch. „indicat non omnes milites simul, sed vicissim, per vices, modo hos modo illos versus iactasse.“ Vir doctissimus immemor erat loci Plin. Hist. n. 19, 8, 41. *alternis quippe versibus exprobravere lapsana se vixisse apud Dyrrachium, praemiorum parsimoniam cavillantes.* Erant igitur alterni versus in modum fescenninorum, de quibus Horat. Ep. 2, 1, 146. Liv. 22, 13, 3. *dubium Hannibalem alternisque fidentem ac diffidentem, tamen ut Campanos ex Samnio peteret, moverunt.* Virgil. Geor. 1, 79. Ecl. 3, 49. Sueton. Aug. 82. Columell. 12, 55, 4. *alternis sal ingeritur.* i. e. inter offulas interpositum.

In Liv. 22, 41, 3. *cuius eo die (nam alternis imperitabant) imperium erat.* codex aliquis addit *vicibus.* Intelligitur vero *diebus.* Scribon. Compos. med. 81. *hoc medicamentum solvitur tertio quartove die, si non suppuraverint strumae: sed si apertae fuerunt hieme alternis, aestate quotidie.* Sic 4, 46, 3. *ut alternis diebus summum imperium haberent.*

3. Hoc *alternis* interdum etiam ponitur de rebus ex utraque parte ita agentibus, ut vicissitudo appareat in adversa directione, *invicem:* quod nos dicimus *wechselseitig.* Neque aliter poetae dicunt *alternos* pro utroque. Stat. Silv. 1, 3, 25. *alternas servant praetoria ripas.*

Senec. Nat. qu. 1, 3, 2. *haec inaequalitas alternis lucem umbramque permiscet, et exprimit illam mirabilem arcus varietatem.* i. e. ab illa parte sol lumen, ab hac parte umbram nubes permiscent. Stat. Theb. 1, 410. *paullum alternis in verba minasque cunctantur.* ubi vid. Schol. Ita adiectivum quoque Cic. in Vatin. 11, 27. *alterna consilia reiicere:* de quo vid. Ernest. Clav. p. 42. Stat. Theb. 8, 70. *fratres in alterna vulnera laeto marte ruunt.*

4. Apuleius etiam accusativum pro adverbio ponit eodem sensu. Met. 10. p. 247, 8. *ut — ciliis alterna connivens bibere flagitarem.*

* Confunditur cum *alterius.* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 53, 11. et 22, 41, 3.

ALTERVTRIMQVE.

Verba sunt Plinii Hist. n. 20, 7, 26. in quo antiqui libri exhibent: *nec ulla res in cibis aviditatem incitat inhibetque eadem: in caussa alterutrimque modus est.* quae ob insolentiam verbi *alterutrimque* suspecta critici mutarunt. *In caussa esse* iterum dixit Plinius 9, 30, 49. ut significaretur: ad rem maxime pertinere. Et recte dici poterat *alterutrimque* pro *utrimque*, in utraque re. Nimirum in formatione nihil falsum cernitur. Nam quum *utrimque* proprie sit per copulam nexum *utrim utrim que*, sicuti *ubique* est *ubi ubi que*, et reliqua, coniungi etiam poterant *alterim utrim que.* Etiam in aliis locis videntur et adverbium hoc et adiectivum mutata aut oblitterata esse. Ex multis unum afferam Columel. de Re r. 12. Praef. 2. *tum etiam, quum victus et cultus humanus non uti feris in propatulo ac silvestribus locis, sed domi sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, intus, qui tectis reconderet atque custodiret.* Critici aut *alterutrum* pro *utroque* dictum esse autumant, aut reliqua verba corrigunt, nemo tamen tam temeraria audacia, quam Schneiderus, qui scripturis undique ex singulis codicibus conquisitis, *alterutrum* videtur accepisse pro *aliquo:* ut Germani dicunt *einer oder der andere.* Codices omittunt *intus.* Quare restituenda puto haec: *necessarium fuit alterutrumque, foris et sub dio esse, qui labore et industria compararet, et qui tectis reconderet atque custodiret.* quod est: duo necessaria genera erant laborantium foris et recondentium in tectis.

ALTRINSECVS.

Factum est ALTRINSECVS non, ut aliis videbatur, ex *alteri* et *secus* interposita littera N, de qua disputat Schneiderus in Grammat. 1. p. 456., sed ab antiquo *alterim*, ut *cautim*, *iuxtim*, *partim*, *extrim*, *intrim*, unde *intrinsecus.* Neque significat, quod dicunt, proprie *ex altera parte*, sed *secundum* vel *ad alteram partem*, ἑτέρωθεν. Vid. SECVS. Tum fere idem est quod *in altera parte*, *adversus.* Sed potest etiam coniungi cum verbis, quae exitum vel modum indicant, sicuti

nos *auf der andern Seite hin* vel *her*. Media aetate id vocabulum obsolevit: recentiores scriptores imitati sunt veterrimos.

Beroaldus ad Apulei. Met. fol. 26. (p. 48. Oudend.). „*altrinsecus*, in altiore parte, vel ex altera parte, vel potius ex utraque parte: hoc enim significat *altrinsecus* apud auctores.“ Primum illud abhorret ab omni analogia, hoc extremum ex infimae latinitatis auctoribus desumptum est.

Plaut. Mil. 2, 5, 36. *quin retines altrinsecus.* i. e. *auf der andern Seite.* Pseud. 3, 2, 73. Rud. 4, 4, 114. *post altrinsecus est securicula ancipes.* loquitur ita Palestria, dum crepundia in cistella recondita monstrat.

Plaut. Merc. 5, 4, 16. *perge, ego adsistam hinc altrinsecus.* Pseud. 1, 3, 123. Prudent. Peristeph. 5, 53. *respondit ille altrinsecus.*

Apulei. Met. 2. p. 122, 39. *nec tamen incomitatus ibo: nam gladiolo solito cinctus altrinsecus, ipse salutis meae praesidia gestabo.* i. e. in altero latere. 1. p. 111, 41. *videsne, inquit, extremas fenestras, quae foris urbem prospiciunt, et altrinsecus fores proximum respicientes angiportum?* ubi *foris* Floridus bene exponit *forinsecus*, quod pro *extrinsecus* positum. Opponuntur *foris*, *nach aufsen*, et *altrinsecus*, quae est altera pars interior, in qua fores erant angiportum respicientes.

Cum genitivo coniunxit Apulei. Met. 3. p. 137, 2. *tectum scandulare conscendit, quod altrinsecus aedium patore perflatili nudatum — maxime his artibus suis commodum secreto colit.*

Quamquam *alter* opponitur *utrique*, ut apud Ciceronem Acad. 2, 43, 132, Lactantius aliique istius saeculi scriptores, id quod Livineius quoque acute observavit, *altrinsecus* pro *utrimque* vel *in* sive *ab utraque parte* posuerunt. De ratione dictionis nil constat, nisi abusus licentia.

Lactant. de Opific. dei 8, 6. *quarum* (aurium) *duplicitas incredibile est, quantam pulchritudinem praeferat, quod tum pars utraque similitudine ornata est, tum et venientes altrinsecus voces facilius colligantur.* Pacat. Paneg. Theodos. 2. *mihi vero ii omnes, quibus altrinsecus iactor, aestus diu ante meditati longeque prospecti sunt.* c. 33, 3. *maxime si rerum temporumque facies altrinsecus conferamus.* Ammian. Marcel. 25, 7. *quo ignobili decreto firmato, ne quid committeretur per inducias contrarium pactis, obsidatus specie viri*

celebres altrinsecus dantur, Nevita et Victor ex parte nostrorum, — ex parte vero diversa Bineses. Trebell. Poll. Gallien. p. 309. *processerunt etiam altrinsecus centeni albi boves, cornibus auro iugatis et dorsualibus sericis discoloribus praefulgentes.* Fulgentius, qui dicitur auctor fragmenti de prisco sermone 6. p. 802. Godofr. *Baebius Macer, qui fastos dies scripsit, ait Iunoni eas, quae geminas parerent oves, sacrificare cum duobus agnis altrinsecus alligatis, quas oves ambegnas vocari, quasi ex utraque parte agnos habentes.* Vid. Liviuei. ad Pacati l. Oudendorpius non negare, sed ad illos auctores referre debebat hunc usum. Vid. not. ad Apulei. Met. p. 67.

ALTRORSVS. ALTROVORSVM.

ALTROVORSVM, quod legitur uno in loco Plauti, compositum est, ut reliqua huius generis, ex *altero* et *vorsum* seu *versum*, significatque in alteram partem, in alterum locum. Conf. ALIORSVM. Apuleius dixit *altrorsus*. Alia exempla frustra quaeres in politioris latinitatis auctoribus.

Plaut. Cas. 3, 2, 25. *altrovorsum quum eam mecum rationem puto.* Apulei. Met. 9. p. 230, 7. *pudicissima illa uxore altrorsus disclusa.* quemadmodum dicunt *aliquo concludere.* Editiones antiquiores *alterorsus*, sed quod Wower. dedit, *altrorsus* confirmant codices Oudendorpii.

AM.

Comminianus apud Charisium p. 204. inter praepositiones casibus servientes affert AM addito exemplo *am segetes:* quamquam paullo ante praepositionibus, quae loquelis serviant, eam annumeravit. Palaemon apud eumdem grammaticum non commemorat, sed ipse Charisius p. 211. inter praepositiones, quae *serviunt loquelis*, ponit *an*, et paullo post iterum inter praepositiones *am*, non additis exemplis. Priscianus 14, 6, 54. p. 1002. *am etiam περί graecam praepositionem significat, amplector, amputo, ambio, in quo etiam additio B consonantis est propter M.* Iam Vossius de Analog. 4. p. 268. docuit, *am κατ' ἀποκοπὴν* ab *ambe* vel *ambi*, i. e. ἀμφί, dici. nam Varronem de L. lat. 6. 87. (71.) *apud Lucilium, quid tibi ego ambages ambui scribere coner? profectum a verbo ambe: quod inest in ambitu et ambitioso:* in compositione interdum M commutari in

N: olim vero *am* etiam separabile fuisse. In Etymolog. p. 25. „AM valet *circum:* unde Aen. 7, 565. *amsancti valles*, id est, *omni ex parte sancti*, ut Servius interpretatur. Fuerit ab graeco ἄμ, si eo usus Theocritus, ut censet Iul. Scaliger de Caussis l. l. c. 155. sed decipitur. Est autem *am* ab ἀμφί, κατ' ἀποκοπὴν, quomodo ab ἀπό et ὑπό sunt *ab* et *sub*. Praepositio est loquelaris. Ita Festus aliique veteres grammatici eas vocant, quae non inveniuntur separatim. Veteres etiam usi extra compositionem videntur: ut Cato in Originibus apud Macrobium lib. 1. Saturn. c. 14. *am terminum*. quod Macrobius interpretatur *circum terminum*. Sed falli Macrobium unaque voce *anterminum* legi debere censet Ios. Scaliger." Meliora vix dici possunt. Atque in iis acquiescens Conradus Schneiderus in Gramm. p. 533. nihilominus apud Charisium aut *amsegetes* scribendum, et post *amplector* ponendum esse putat, aut ab aliena manu additum. Corrupta sunt verba Macrobii: *hinc Ateius Capito annum a circuitu temporis putat dictum: quia veteres an pro circum ponere consuerunt, ut Cato in Originibus oratorum an terminum, id est, circum terminum*, et *ambire pro circumire*. Quibus tantum abest ut inaudita vox *antermines* confirmetur, ut aperte demonstretur praepositionis usus: nec potest illa Scaligeri sententia in libro de Tempor. emendatione et in notis ad Festum proposita probari. Alia enim est res, praepositionem cum aliquo verbo coalescere, alia praepositionem nomini adiunctam abire in formulam. Paullus Diaconus quidem ait: *am praepositio loquelaris significat circum, unde supra servus ambactus, i. e. circumactus, dicitur*. sed haec ille ex sua doctrina praepositionum loquelarium deprompsisse videtur. Nos facile agnoscemus antiquae praepositionis *am* integritatem, et ab ipsius origine cum aliis linguis communi, et ab analogia satis vindicatam. Et qui *amsegetes* et *antermini* dicebantur, proprie erant *am segetes* et *an terminum*. Nihil autem attinet cum aliis recurrere ad celticam originem vocabuli *am*, ut fecit Lindemannus de Latinae Ling. Accent. 1. p. 24. comparans Celtarum *am* et *amb*, Belgarum *om*, Germanorum *um*. Haec enim vocabula, non ab uno populo ad alium traducta, communi omnium hominum ingenio debentur, quo ea, quae pari modo concipiuntur, et una eademque cogitatione conforman-

tur, iisdem quoque vel similibus vocabulis designari solent. De formis, quibus *ambi* et *ambe* et *am* cum aliis verbis componitur, vid. Laurenberg. in Antiquar. p. 25. Vossii Aristarch. 2. p. 237. et Etymol. s. v. *ambe*, Schneideri Gram. 1. p. 534. *Ambi* videtur plena ac primitiva forma fuisse. Apocopen, si quae est in *am*, demonstrant exempla *ab*, *dein* et alia.

AMBIFARIAM. AMFARIAM.

Ambifariam dicebatur ab recentissima aetate, harum compositionum abundante. Conf. aliqvotfariam. Atque haec vocabula recte derivantur a *fando*. vid. Priscian. 15. (3, 18.) p. 1013. quemadmodum Graeci ex eodem fonte hauserunt διφάσιος, τριφάσιος, Latini *nefas* et *nefarius*. Illud ambi autem non est *ambo*, sed praepositio *ambi*, ἀμφί, quae per apocopen fit *am*, quod vide. Significat enim *ambifariam* non *in duas partes*, sed *in utramque partem:* quod dicitur pro *in ambiguum modum*. Id bene perspexit Bosscha ad Apulei. l. l. Praeterea hoc sensu etiam adiectivum usurpavit Arnobius p. 108, 5. Elm.

Apulei. Apol. 406. p. 276, 2. *Zenonem — qui primus omnium dictionem sollertissimo artificio ambifariam dissolverit.* sed in codicibus non legitur *dictionem:* quare scribendum puto: *qui primus omnium omnia soll. a a. dissolverit.* Erat autem Zeno ἀμφοτερόγλωσσος Diogen. L. 9, 25. Apulei. Flor. 4, 18. p. 360, 25. *anceps argumentum ambifariam proposuit.*

Amfariam habent Glossae Philoxeni et Isidori, interpretanturque: *per amborum partes*. Est vero *am* id quod *circum*.

Ambifarie dixit Claudian. Mamertinus de Statu anim. 1, 3. *ambifarie subditus passioni.*

AMODO.

Amodo ea ratione formatur, qua *abante*, *abinvicem*, adverbio cum praepositione composito in adverbialem speciem. Praeter christianos scriptores saeculi quarti hoc vocabulum usurpavit nemo. Significat posthac, deinceps. Gloss. *amodo*, ἀπὸ τούτου. Conf. Voss. de Vitiis serm. 1, 25. p. 108. 4, 31, 797. Goclenii Silv.

). 3. Beemanni Schediasm. philol. p. 42. Cellar. de Vitiis s. l. p. 209.

Hieronym. vita Hilar. Epist. 51. p. 157. edit. Francof. *proeliabatur*, *amodo videre desiderans*, *quos horrebat audire.* Interpretes veteris testamenti ter, novi testamenti septies usurpaverunt. Poeta, quem Lyserus Leonem Protonotarium esse suspicatur, de Vetula (Ovidio tribuebatur hoc carmen) 3, 1, 1. *istae sunt caussae*, *propter quas amodo nolo vivere*, *sicut eram solitus.* Et 3, 38, 3.: *quod sit deus*, *amodo saltem non sine principio poterit fore.* Conf. Caroli Du Fresne Glossar. med. lat. s. h. v. ubi alia exempla Gregorii Turonensis afferuntur.

AMPLIVS.

Amplivs duplex est forma comparativa nominis adiectivi *amplus* et adverbii *ample*, nec disceptari licet, utri cognationi origo huius verbi adscribenda sit. Nam utriusque rationes confluunt, illudque unum certiori indicio determinari potest, quo usque adiectivi usus ad vocabulum *amplius* pertineat. Atque ex significationibus adiectivi, quod rem spatiosam, magnam et magnificam notat, unum hoc retinet *amplius* adverbii loco positum, ut pro *plus* ponatur. Nam quae afferuntur exempla, in quibus *magis splendide*, *magnificentius* significet, falsa sunt.

Terent. Heaut. 1, 2, 11. *quam vellem Menedemum invitatum*, *ut nobiscum esset amplius:* quod explicant, lautius et magis opipare. At bene vidit iam Perizonius ad Sanctii Min. 4, 11. p. 380. coniungenda esse *invitatum amplius.* Nam Chremes volebat Menedemum magis quam factum erat, invitatum. vid. Ruhnken. ad h. l. In Statii Silv. 1, 1, 18. demonstravi scribendum esse: *non altior portat.* Cic. Verr. 1. Act. 13, 37. *erit tum consul Hortensius cum summo imperio et potestate: ego autem aedilis*, *hoc est*, *paullo amplius quam privatus.* Hic *amplius* significat *maius*, cui paullo post opponitur *minus*, et ipsum est adiectivum.

1. Igitur amplivs dicitur proprie de maiore ambitu et continua magnitudine rerum, vel in locis vel in tempore apparentium. Vnde saepe idem quod *plus.* Adverbium autem eo differt ab adiectivo, quod non ipsam rei conditionem, sed tantum accessionem et incrementi discrimen denotat. Quare dici vix potest *diligo te am-*

plius pro *diligo te magis*, nisi de tempore, sicuti Plautus Men. 5, 2, 40. et quum dicit Cic. in Verr. 2, 29, 70. *daturus non sum amplius*, adiectivum est, pro substantivo positum. Conf. Günther. ad Cornel. Thras. 4, 3. Et ita etiam ubi cum genitivo componitur, veluti Cic. in Catil. 4, 5, 9. *nescio an amplius mihi negotii contrahatur*,

Sallust. Iug. 69, 3. *ira atque praedae spes amplius quam lassitudo posse.* i. e. *plus — quam.*

Plaut. Asin. 3, 3, 2. Ar. *Vale.* Ph. *aliquanto amplius valerem, si hic maneres.* ipsa haec coniunctio cum ablativo adverbiali significationem declarat. Conf. Men. 5, 2, 49.

Plautus coniunxit *amplius plus* Aul. 3, 2, 5. *homo nullus est te scelestior qui vivat hodie, neque cui ego de industria amplius male plus lubens faxim.*

Ex Lucilii Satyr. libr. 1. Charisius libr. 2. p. 261. affert: *quo pacto populum atque urbem servare potisset ampliu' romanam.* Sed recte intelligitur temporis notio: longius per tempus: quod etiam Charisius voluit. Cic. Verr. 4, 34, 76. *Segestanis praeter ceteros imponebat aliquanto amplius quam ferre possent.* merum est adiectivum. Tamen, quod in nullo probato scriptore habebit exemplum, legitur in Iustinian. Constitut. de ratione ius docendi, quae est altera Digestis praemissa, ipso initio: *omnem reipublicae nostrae sanctionem iam esse purgatam — quis amplius quam vos cognoscit?*

In Lactant. de Opif. Dei 8, 6. *et eos* (oculos) *neque minus neque amplius quam duos esse voluit.* non est, quod Meinerus arbitratur, dictum pro neque minores neque ampliores, sed numerus designatur.

Cum genitivo personae, quae pro re poneretur, coniunxerunt Plautus Cistell. 5, 4. *gaudeo tibi mea opera liberorum esse amplius.* et Caes. B. G. 6, 9. *si amplius obsidum velit, dare pollicentur.*

2. Inprimis autem de tempore dicitur eiusque continuatione et longitudine, et quum quae numerantur, ad eamdem cum tempore referantur rationem, de numero quoque. Tum idem est quod *plus*, et quod alias in numeris ponitur *supra*, atque utrumque vocabulum *amplius* et *plus* non tantum, ut reliqua comparationis verba, cum *quam* et interdum cum ablativo construitur, sed etiam continuata oratione cum nominativo et accusativo et ablativo nominum cuiuscumque generis: de

qua re vid. Schori Phras. l. lat. p. 34. Hadr. Cardinal. de modis lat. loq. p. 82. Omittitur *quam*, ut ἢ Graecorum. vid. Matthiae Gram. p. 851. In his adverbium induit etiam substantivi naturam, atque *amplius* dicitur pro *plures*, et adiungitur ideo genitivus. Ceterum numerorum nomina modo praecedunt, modo post adverbium ponuntur. Formulae instar usurpantur verba *aut amplius*, cuicumque nomini adiecta per enallagen, vel interposita.

Sallust. Iug. 25, 10. *ne amplius morando Scaurum — incenderet.* Sueton. Aug. 97. *non, si omnia morarentur, amplius se posthac Romae futurum.* Liv. 37, 16, 13. *omissa Patara amplius tentandi spe.*

Florus 2, 6, 1. de bello punico: *nec enim amplius quam decem et octo annos habet.* Cicero vix uno loco videtur posuisse *quam*, neque alii scriptores meliores. In Verr. 2, 31, 77. *qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reiiciundi quidem amplius quam trium iudicum praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem.* librariis debetur illud *quam.* Sed Sueton. Aug. 17. *nec amplius quam septem et viginti dies — Brundisii commoratus.* vid. infra n. 3. Librarii saepissime addiderunt *quam.* vid. Cort. ad Sallust. Cat. 59, 6.

Cic. in Verr. 4, 43, 95. *hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur.* Acad. 2, 26, 82. *quid potest esse sole maius? quem mathematici amplius duodeviginti partibus confirmant maiorem esse quam terram.* Sallust. Cat. 56, 2. ubi vid. Cortius. Sigon. ad Liv. 25, 19, 15. Duplici constructionis ratione Iustin. 3, 3, 5. *iuvenibus non amplius una veste uti toto anno permisit.* — Scaevola in Dig. 36, 1, 78, 16. *postea repertis instrumentis, apparuit, quadruplo amplius hereditate fuisse.* Iulian. in Dig. 39, 6, 20. *qui non amplius parte capere poterat.* Plaut. Most. 3, 3, 16. *haud nummo amplius.*

Cic. p. Rosc. Com. 3, 8. *amplius sunt sex menses.* in Verr. 1, 5, 14. *quum eum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent.* Liv. 28, 2, 11. *duo haud amplius millia peditum — effugerunt.* Cic. p. Flacc. 28, 68. *expensum est — Laodiceae viginti pondo paullo amplius per hunc ipsum L. Peducaeum.* ad Att. 2, 16. *qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque millia potest sustinere.* vid. Cort. ad Sallust. Iug. 58, 3. et multa exempla apud Drakenborch. ad Liv. 21, 29, 3. et Oudendorp. ad Caes. B. G. 8, 10.

Liv. 36, 38, 3. *duas amplius horas dubium certamen sustinuere.* Caes. B. G. 2, 16. *inveniebat ex captivis, Sabin flumen ab castris suis non amplius millia passuum decem abesse.* Cic. in Verr. 5, 59, 155. *qui quum amplius centum cives Romanos haberet ex conventu Syracusanorum.* p. Flacc. 26, 63. Philip. 2, 16, 40. Ablativum ob ambiguitatem verborum, ut videtur, raro posuerunt continuata constructione. Liv. 30, 27, 10. *sexdecim non amplius eo anno legionibus defensum imperium est.* Quod conferri debet cum exemplis verbi *minus.* Dativi exemplum nullum exstat. In temporis longitudine utrum accusativum, *amplius xxxvi annos*, an ablativum *annis* ponamus, quaesitum est. vid. Oudend. ad Hirtii Bell. Afr. 46. sed alia exempla multa monstrant, ablativum a comparativo *amplius* regi, ideoque discrimen nullum esse. vid. Oudend. ad Caes. B. Gall. 4, 38. et quos ille laudat.

Liv. 1, 18, 3. de Pythagora: *quem Servio Tullio regnante Romae centum amplius post annos in ultima Italiae ora — iuvenum aemulantium studia coetus habuisse constat.* in quibus memorabilis est verborum structura. Cum *paullo* coniunxit idem Livius 37, 24, 6. *viginti paullo amplius integras abscedentes.*

Cum genitivo coniunctum. Plin. Hist. n. 6, 17, 19. *quinque non amplius dierum terreno itinere.* al. *diebus.*

Sallust. Cat. 20, 11. *illos binas aut amplius domos continuare.* ubi alii libri mutant ordinem verborum, sed perperam.

Additur *etiam* in Terent. Eun. 1, 2, 63. *etiamne amplius?*

„In *amplius*, *plus*, *longius* etc. videtur esse appositio quaedam anticipata, quum subiici deberet vocabulis quantitatis definitae. Nam plene sic diceretur *et quod amplius*, *plus*, *longius est:* ut *et quod excurrit.* Similiter anticipatur *minus*, quod valet *et quod deest*, vel *decedit.* Per anticipationem *non amplius* fere idem est quod *vix.* In Plin. Hist. n. 6, 22. *mare interest vadosum senis non amplius altitudinis passibus.* appositio quasi in parenthesi subsequitur demum, ut *quam* nullo modo suppleri possit. Cf. Matthiae Gramm. graeca p. 608. edit. 1. annot. 2. Grotefend. Gram. lat. 219. annot. 3. p. 318.“ Beier.

3. Hoc sensu, quo temporis vel rei per tempora actae continuationem et numerum maiorem significat, *amplius* saepissime, ut iam vidimus, coniungitur cum negativis vocabulis: *haud amplius*, *non amplius*, *nec amplius*, *ne amplius.* Et saepe sequitur oppositum

sed. Schwartzius in secunda Tursellini editione hanc formulam ad numerum relatam quum explicuisset *circiter*, eiusque usum tribuisset scriptoribus sequioris aetatis, Facciolatus utramque sententiam refutavit in Epist. Meieri p. 11. Ille se defendit in Appendice novae editionis: qui sic loquatur, eum tantummodo significare non plures fuisse, neque iis repugnare, si qui minorem numerum dixerit: at omnibus scriptoribus communem usum fuisse concedit. Quod etiam Ernestio visum est: negationis enim adiunctione non fieri peculiarem verbi usum. In Cicerone equidem nullum exemplum inveni. Et determinatur numerus incertus extrema magnitudine: sed additur interdum etiam certus numerus.

Virgil. Aen. 3, 192. *postquam altum tenuere rates, nec iam amplius ullae apparent terrae.* 9, 518. *nec curant caeco contendere marte amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo missilibus certant.* Auct. Bell. Afr. 1, 1. *quum non amplius legionem tironum habebat unam.*

Pompei. ad Domit. in Epist. Cic. 8, 12. *itaque non amplius XIV cohortes Luceriam coegi.* Virgil. Ecl. 3, 105. *tris pateat coeli spatium, non amplius, ulnas.* Ita enim haec formula interponitur. Aen. 1, 683. *tu faciem illius noctem, non amplius, unam falle dolo.* Liv. 28, 2, 11. *duo haud amplius millia peditum et equitatus omnis — cum Magone effugerunt.* ubi alii codd. *aut amplius.* 38, 40, 7. *quum per saltum iret, Thracum decem haud amplius millia ex quatuor populis — viam circumsederunt.* Eadem scripturae varietas. Plin. Hist. n. 6, 22, 24. *mare interest vadosum senis non amplius altitudinis passibus.* 13, 11, 22. *decem non amplius cubitorum longitudine in gracilitatem fastigatum.* 7, 48, 49. *quando LXIII non amplius anni interfuere.* Sueton. Aug. 78. *non amplius quum plurimum quam septem horas dormiebat.* cod. Vind. omittit *quam.* Claud. 4.

Sueton. Tib. 26. *nec amplius quam mox tres consulatus — gessit.* Caes. 25. *per tot successus ter, nec amplius, adversum casum expertus.*

Lucret. 4, 871. *glomerataque multa vaporis corpora — dissipat adveniens liquor ac restinguit, ut ignem, urere ne possit calor amplius aridus artus.*

4. In his negatio proxime nectitur. Vbi aliter fit, alius est modus: veluti Cic. Tusc. 5, 34, 98. *ex bestiis*

intelligi potest: quae ut quidquid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius. ubi pro substantivo positum intelligi potest *aliud amplius.* Tamen dicitur etiam *amplius non* et *nec amplius*, negatione cum verbo coniuncta eo sensu, quo nostrum *weiter nicht* usurpatur. Ita res futura aut exspectanda negatur distinctius cum exspectationis indicio.

Sallust. Cat. 48, 6. *senatus decrevit, Tarquinii indicium falsum esse: eum in vinculis retinendum: neque amplius potestatem faciundam, nisi de eo indicaret, cuius consilio tantam rem mentitus esset.* Quae substituunt codices quidam, verba *sui, loquendi, dicendi,* omnia a glossatoribus male facta sunt, neque ullo pacto probari possunt, quae nuperrime Herzogius de hoc loco disputavit. Vnice vera est ratio, quam sequutus erat Cortius: intelligitur enim, nullam potestatem Tarquinio faciendam in hac indicauda re fuisse, nisi de eo indicaret, cuius consilio falsum indicium detulisset. Caes. B. Civ. 1, 81. *sed iisdem de caussis Caesar, quae supra sunt demonstratae, proelio amplius non lacessit.* i. e. nullo proelio quod exspectari poterat. Vita Terentii 4. *egressus urbem est neque amplius rediit.*

5. A tempore transfertur ratio ad rei in tempore actae notionem, etiam in dictione *amplius opinione*, quae est: longius quam opinabantur. Sallust. Iug. 53, 5. *quod Metellus amplius opinione morabatur, instructi intentique obviam procedunt.* conf. loc. p. 289. positum. Lucret. 3, 965. *qui obitum lamentetur miser amplius aequo, non merito inclamet magis et voce increpet acri?*

6. Iam notandae sunt peculiares formulae in iudiciis usitatae. Ac primo praetores, consules, iudices AMPLIVS *pronuntiabant*, quum gravitate caussae commoti, neque in re dicta acquiescentes iudicium proferebant. Charisius Inst. gr. 2. p. 176. *adeo prolixum temporis spatium significat, ut iudices quotiescumque significarent, adhuc se audire velle, amplius dicebant. Itaque negotium differebant, unde hodieque ampliari iudicium differri dicitur.* Donatus ad Terent. Eun. 2, 3, 39. *Et est liquet verbum iuris, quo utebantur iudices, quum amplius pronuntiabant, obscuritate commoti caussae magis quam negotii simplicitate.* Asconius ad Cic. in Verr. 1, 29. *mos veterum hic fuerat, ut, si absolvendus quis esset, statim absolveretur: si*

damnandus, statim damnaretur: si caussa idonea non esset ad damnationem, absolvi tamen non posset, amplius pronuntiaretur.

Cic. Brut. 22, 86. *quum consules, re audita, amplius de consilii sententia pronuntiavissent, paucis interpositis diebus iterum Laelium multo diligentius meliusque dixisse.* in Verr. 1, 9, 26. 1, 29, 74. Hinc *ampliata caussa.* Cic. p. Caec. 10, 29. Brisson. de Formul. 5, 214. p. 454. de Verb. sign. p. 74. n. 6. Terent. Phorm. 2, 4, 17. *ego amplius deliberandum censeo.* quod ex ista formula desumptum esse putant.

Deinde *amplius non peti* cautionis erat formula, de qua vid. Brisson. de Form. 6, 88. et 184. de Verbor. sign. p. 74. n. 5.

Cic. ad Att. 1, 8. *is sibi negat a suo procuratore quidquam scriptum esse, et miratur istam controversiam fuisse, quod ille recusaret satisdari: amplius abs te non peti.* Ita scribendum est. vulgo *recusarat:* Malaspina *recusarit.* Cic. Brut. 5, 18. *at vero, inquam, tibi ego, Brute, non solvam, nisi prius a te cavero, amplius eo nomine neminem, cuius petitio sit, petiturum.* ad Fam. 13, 28, 5. *sed duo quidem te nominatim rogo, primum ut, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea.*

7. *Amplius* et *non amplius* recentior aetas dixit pro *saepius* et *non saepius.*

Vlpianus in Dig. 43, 31, 3, 13. *itaque caussa cognita amplius quam semel, interdictum hoc erit mandatum.* 10, 2, 20, 4. *familiae erciscundae iudicium amplius quam semel agi non potest, nisi caussa cognita.* Sueton. Tib. 26. vid. p. 291.

8. Interdum coniunguntur vocabula *iam amplius* q. e. *noch weiter, länger noch, mehr schon, mehr noch.* Poetae saepe dicunt *nec iam amplius.*

Cic. in Verr. 4, 43, 95. *hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur.* Caes. B. G. 3, 5. *quum iam amplius horis sex continenter pugnaretur.* Plaut. Trin. 2, 1, 19. *iam amplius orat.* Cic. in Catil. 1, 3, 6. *etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes?* Virgil. Aen. 3, 260. *nec iam amplius armis, sed votis precibusque iubent exposcere pacem.* 3, 192. 5, 8. 11, 807.

9. Accessionem quum significet AMPLIVS, usurpatur ibi saepe, ubi *praeterea, insuper* dicendum erat.

Sallust. Iug. 44, 5. *quaecumque dici aut fingi queunt ignaviae luxuriaeque probra, in illo exercitu cuncta fuere, et alia amplius.* i. e. *und anderes mehr.* Non maior vis inest in nomine periodi in fine posito. Plaut. Asin. 3, 3, 135. *quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud cuius inopia'st.* Cic. p. Caec. 9, 25. *quid loquar amplius hoc de homine?* In aliis similibus locis intelligitur maius: Cic. in Verr. 2, 10, 26. *at ego amplius dico:* quibus opponuntur antea, quae testes dixerant. pr. Mil. 13, 35. *quid? si haec non dico, maiora fuerunt in Clodio, quam in Milone, sed in illo maxima, nulla in hoc: quid vultis amplius?* i. e. plus, maius. Vlpian. in Dig. 40, 12, 3. *amplius puto.* 33, 7, 12, 5. *Trebatius amplius etiam pistorem et tonsorem — contineri.*

Formula *nihil dicam amplius* utuntur, qui acerbum aut odiosum dicere reformidant. Cic. p. Planc. 7, 17. p. Marc. 6, 17. Plaut. Asin. 1, 3, 51.

10. Hinc loquutiones HOC AMPLIVS, EO AMPLIVS, pro praeterea, in addendis aliis rebus. Nam *hoc* ablativum intelligamus necesse est: atque differunt verba *amplius hoc dicam.*

Plaut. Rud. 1, 5, 21. *neque hoc amplius, quam quod vides, nobis quidquam'st.* Cic. p. Caec. 10, 27. *A. Atilius et eius filius L. Atilius et armatos ibi fuisse et se suos armatos adduxisse dixerunt. etiam hoc amplius: quum Aebutius Caecinae malum minaretur, ibi tum Caecinam postulasse, ut moribus deductio fieret.* de Nat. d. 2, 12, 34. *bestiis autem sensum et motum dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutares, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem.* ad Fam. 9, 25, 1. *itaque obtemperare cogito praeceptis tuis: hoc amplius, navicularum habere aliquid in ora maritima.* de Fin. 5, 4, 11. *quumque uterque eorum docuisset —: hoc amplius Theophrastus —.* Sueton. Claud. 11. — *decernenda curavit: parentibus inferias publicas: et hoc amplius patri circenses annuos natali die.* Caes. 38. Quinctil. 1, 1, 8. De usu huius formulae in testamentis vid. African. in Dig. 30, 1, 108, 7. et Pompon. 32, 1, 54.

Sueton. Calig. 15. *inferiasque his annua religione publice instituit: et eo amplius matri circenses.* Gaius Instit. 3, 212. *non solum occisi fit aestimatio, sed eo amplius computatur, quod ceteri, qui supersunt, depretiati sunt.* Aliter Sallust. Iug. 80, 6. *quod singuli pro opibus quisque quam plurimas uxores, denas alii, alii plures habent: sed reges eo amplius.* i. e. plures hoc numero.

Et erat additionis formula senatoria, ubi aliquis post alios sententiam dicebat, affirmans se illi assentiri, sed aliquid addendum esse: de qua Brisson. Form. p. 182. Hinc Cic. Philipp. 13, 21, 50. *Servilio assentior et hoc amplius censeo, Magnum Pomp. — fecisse —.* Seneca de Beat. v. 3. *hoc amplius censeo.* Quaest. nat. 3, 15. vid. Cort. ad Sallust. Cat. 51, 21.

11. *Nihil amplius quam* et *nec quidquam amplius* dicitur pro nihil praeterquam. Sed recentiores scriptores in formulam haec contrahere solebant, ut simpliciter significarent *tantum*. Nos *nichts weiter als*. Quod grammatici omissum existimaverunt verbum *facere* sive *agere*, non ubique locum habet. Et usurpatur haec formula *nihil amplius*, ubi breviter indicatur, rem hoc uno, quod dictum, contineri.

Cic. de Leg. 2, 26, 64. *de sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius, quam ne quis ea deleat, neve alienum inferat.* de Nat. d. 2, 12, 33. *quibus natura nihil tribuit amplius, quam ut ea alendo atque augendo tueretur.* Sueton. Vespas. 20. Domit. 3. *nec quidquam amplius quam muscas captare.* Quod nunc Tib. 45. editur: *quam perductam, et quidquam amplius pati constantissime recusantem, delatoribus obiecit.* ubi plurimi codd. *nec quidquam*, quod vereor ne ab usu latino abhorreat. Apud Sallustium Cat. 47, 1. *docetque se paucis ante diebus a Gabinio et Coepario socium adscitum, nihil amplius scire quam legatos* interpretes si verae magis, non fucatae subtilitati consuluissent, de explicatione non dubitassent. Necesse enim est intelligi Volturcium, qui nihil amplius sciret quam legati.

Sueton. Claud. 16 *alium corruptelis adulteriisque famosum nihil amplius quam monuit, ut aut parcius aetatulae indulgeret* etc. Ner. 39. *histrionem et philosophum Nero nihil amplius quam urbe Italiaque submovit.*

Vespas. 20. *quamvis ad tuendam eam nihil amplius quam fauces, ceteraque membra sibimet ad numerum in sphaeristerio defricaret.* Vespas. 3. *nec quidquam amplius quam quaestorio scriba.* Quinctil. Decl. 3, 9. *indignis vero vocibus contaminatus nihil amplius aget quam renuet?* Gronovius eiecit *aget*.

Cic. Verr. 5, 49, 128. *sese ipsum abs te repetit: nihil amplius.* ad Fam. 12, 1, 7. *adhuc ulta suas iniurias est per vos interitu tyranni: nihil amplius.*

12. Similiter usurpatur elliptica dictione *si nihil amplius*, quemadmodum *si nihil aliud* dicitur, pro *si*

nihil amplius possit. Cf. Burmann. ad Quinctil. Decl. 1, 9. et 3, 9.

Ovid. Met. 9, 148. *excedam tectis? an, si nihil amplius, obstem?*

Cornelius Nepos sive Aem. Probus Ages. 8, 2. dixit *quum in acta cum suis accubuisset sine ullo tecto, stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis neque huc amplius quam pellis esset iniecta.* ut intelligatur *nec quidquam amplius quam, nihil praeter.* Suetonius de Gram. 17. *verum ut ne quem amplius posthac discipulum reciperet.* i. e. neminem praeter Augusti nepotes. Curt. 8, 10, 2. *quum amplius nemo occurreret.* i. e. *weiter niemand:* praeter regulos obviam factos nemo.

* Confusa sunt a librariis vocabula *amplius* et *altius* in Stat. Silv. 1, 1, 18. ubi vid. not.

AN.

De origine vocabuli diversa exstant virorum doctorum decreta. Gerh. Vossius vel ab hebraico הן, vel a graecis ἄν, ἤν, vel omissa prima littera ab ἐάν deducendum putavit: quod prosodiae mensura reiicitur. Schellerus in Lexico et Doelekius in Biblioth. crit. a. 1819. Vol. 2. P. 2. p. 804. graecam particulam ἄν, quae rem indefinitam significet, a Latinis existimant in interrogatione, quae semper dubia sit, eo modo poni, quo Germani *wann*, *etwann* ex ἄν forment: quam sententiam Beierus propterea improbat, quoniam enclitica numquam in principio sententiae locum obtinet: de qua re tamen ambigebatur. vid. Heindorf. ad Plat. Phaedr. p. 135. et contra eum Erfurt. ad Soph. Oed. T. 929. et Matthiae in nova Gramm. editione p. 1201. Hermannus autem in Ephemerid. Lips. 1819. p. 915. contractam formam intelligendam esse censuit verbi *autne*, sicuti *atque* esset *autque*, sive *autce*, neque obstare huic sententiae, quod etiam *anne* diceretur. Atque ei assensus est Beierus in Excursu ad Cic. Off. T. 1. p. 336. negavit approbationem Lindemannus in Comment. 3. de Adverbio p. 7. cuius haec est opinio: indefinitum adverbium *am*, quod in *iam*, *etiam*, *elam* appareat, mutatum esse in *an*, idque respondere Graecorum particulis ἤ et ἦ, atque ut Graecorum disiunctiva eadem sit, quae

ἦ interrogativa, ita apud Latinos quoque *an* interrogandi vim nativam interdum in disiunctivam demutasse. Quare „nativa, inquit, fuit et propria voculae *an* notio haec, quae et graecorum verborum πή vel πώς encliticis, responditque nostris *irgend*, *etwa*. Deinde tamen, quum praeponi coepta esset, eam, quae est graecis voculis ἦ et ἤ, accepit, eodemque modo in interrogationibus adhibetur, quemadmodum Germanorum *etwa*. Vim tamen disiunctivam non habuit propriam, sed res ipsa aliter ferre non potuit, quam ut, ubi interrogando quaedam sibi opponerentur ponereturque *an*, id vim oppositivam adsciscerel." Haec vereor ne audacter ex arbitrio magis composita sint, quam cum accurata consuetudinis observatione. Nam primum encliticus usus particulae *an* nullo comprobatur documento: tum nusquam ponitur *an* in interrogatione, nisi ubi disiunctio aut verbis expressa aut cogitatione certe concepta est. Quare vis particulae disiunctiva non accessit ex oppositione duarum rerum, sed ipsi innata est. Tantum vero abest, ut cum Hermanno dicamus, *an* ex *autne* contractum esse, ut in his particulis primitivas formas intelligamus, quae quum notionibus suis propinquae sibi sint, etiam similem habent speciem, nec tantum in uno latino sermone, sed in aliis quoque linguis, quarum si quae similia deprehenduntur huius generis vocabula, ea non externis gentibus desumpta sunt, sed e communi sermonis humani fonte fluxerunt. Sicuti *aut*, quod pronuntiatione accedit ad *ot*, cum Italorum *o*, Germanorum *od*, *oder*, Hebraeorum אר convenit. Id ante omnia teneamus necesse erit, *an* esse vocabulum, quod proprie dubitationi et interrogationi hypotheticae, qua de duarum rerum ambiguitate quaeritur, ideoque disiunctioni exprimendae inserviat, atque fere idem significet quod *autne*. Elementa duo sunt, *a* disiunctivum, *n* interrogativum sive dubitativum. Quaecumque enim interrogatio, in qua *an* ponitur, disiunctiva est, sive utrumque membrum verbis expressum, sive alterum prius omissum est. Et quum *an* etiam extra interrogationem locum habeat, disiunctionis significationem primitivam esse putabimus, eamque ob caussam interrogationis duplicis alteri secundo membro particulam hanc addi.

Beierus ad me nunc haec scripsit: „Vt *aut* ex αὖτε, *autem* ex αὐτάρ, sic *an* orta videtur ex αὖ, *rursus*, *contra*, et ἄν, quae abiit apud Latinos in interrogativam

ne. Qua origine obscurata nihil impediebat, quominus altera *ne* adiuncta diceretur *anne*, sicut dicimus *ceterosque*, licet *ceteri* sint κἤτεροι (καὶ ἕτεροι), itemque *hodie* est hoc die, et tamen dicitur *hodierno die.* Et ut ἐάν, ἤν, ἄν ex εἰ ἄν, sic *sin* quoque contracta videtur ex *si ne,* ut paene idem sit quod *sive.*"

An igitur coniunctio est, quae ambiguum et ab aliis constituendum iudicium notat, et disiunctionem efficit in incerta cogitatione, quae aut dubitationis aut interrogationis formula exprimitur. Comprehendit enim significationem vocabuli graeci ἤ, quod, non diversum ab ἦ, ut Buttmannus arbitratur, ambiguitatem disiunctionis in sententiis disiunctivis et in interrogationibus, quae ad hoc genus pertinent, significat. Nos duobus vocabulis *oder* et *ob* utimur, quorum vim coniunctam in se habet latinum *an*, i. e. *oder ob.* Atque hoc nomine differt a particula *aut*, quae disiunctionem rerum indicat, non cogitationis: quamquam sunt, in quibus proxime se attingant.

Cic. de Fin. 1, 21, 72. *an ille tempus aut in poetis evolvendis, ut ego et Triarius, te hortatore, facimus, consumeret, — aut se, ut Plato, in musicis, geometria, numeris, astris contereret?* de Orat. 1, 9, 37. *an vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse aut Sabinorum connubia coniunxisse aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari?* de Orat. 1, 38, 173. *quum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis an peregrinus, servus an liber sit, ignoret.* Budaeus aliique correxerunt *aut peregrinus, aut liber:* quod habet etiam cod. Erfurt. Philipp. 13, 17, 35. *depravati an corrupti sunt, quibus persuasum est foedissimum hostem iustissimo bello persequi?* alii libri praebent, *depravati aut corrupti sunt, quibus — persequi.* quod ipsum non falsum. Ernestius inter vocabula synonyma necessarium esse putabat *ac.* Sed non sunt synonyma.

Discrimen utriusque particulae iam Thomasius ita, ut nos fecimus, concepit: ille autem, qui novissimam Tursellini editionem curavit, notat se id non intelligere. Conf. voc. Avt.

Dubitationis, in qua quid locum teneat, aut verum sit, constituere non audemus, sed aliis decernendum relinquimus, et interrogationis, qua rei constitutionem ab eo, qui audit, expetimus, una est ratio atque unus modus. Quare grammatici omnia exempla uno nomine

interrogationis vel rectae vel obliquae complexi sunt: quod an non omnino recte factum sit, nescio. Nam dubitatio, quae animo inhaeret, non semper in interrogationem transit, neque illius forma verbis exprimenda ab hac desumpta est. Vtrique scilicet disiunctionis ratio convenit, quam primitivam in vocabulo *an* agnoscamus necesse est. Quare primo hunc dubitativum usum particulae *an*, qui extra interrogationem locum habet, consideremus.

I. 1. An ponitur, ubi dubitamus, ex duabus vel pluribus rebus utra sit nominanda, indicatque disiunctionem in altera re substituenda. Altera prior pars disiunctionis praecedit cum particulis *utrum*, *utrumne*, et quod pro eo dicitur *ne*, vel etiam nulla coniunctione adhibita. Ita ponuntur omnia verba dubitationis: *dubito*, *dubium est*, *ignoro*, *nescio*, alia. Nec quidquam in hac re mutatur, ubi tres vel plures per *an* disiunguntur res: cuius dictionis exempla vid. apud Bentlei. ad Horat. Epist. 1, 16, 3. Illud tamen tenendum est, res eas, quae per *an* ponantur, diversas esse debere, et constituere novam sententiae partem: id quod nuper etiam Wunderus observavit in Var. Lect. cod. Erfurt. p. 51.

Cic. in Verr. 3, 89, 208. *desinite dubitare, utrum sit utilius propter multos improbos uni parcere, an unius improbi supplicio multorum improbitatem coercere.* de Orat. 2, 13, 56. *ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur.* p. Quinct. 30, 92. *ea res enim nunc in discrimine versatur, utrumne possit se contra luxuriam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere, an deformata atque ornamentis omnibus spoliata, nuda cupiditati petulantiaeque addicatur.*

Cic. de Off. 1, 3, 9. *honestumne factu sit, an turpe, dubitant.* Sallust. Cat. 52, 10. *nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus:* ubi Cortius *ne* abiecit. Sueton. Aug. 19. *imposne mentis an simulata dementia, incertum.* Tib. 10. *dubium uxorisne taedio, — an ut — auctoritatem absentia tueretur.* Claud. 15. *nullo delectu, culpane quis, an aliqua necessitate cessasset.* Cic. ad Fam. 2, 5. *unum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam.*

Sallust. Cat. 25, 3. *pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres.* ita enim scribendum erat, non *decerneres.* Liv. 4, 55, 8. *consules ambo profecti sint ad ar-*

cem Carventanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertum diversi auctores faciunt. ubi vid. Drakenb. Tacit. An. 1, 11. *incertum metu an per invidiam.* Sallust. Iug. 31, 5. *verum id frustra an ob rem faciam, in vestra manu situm est.* ubi vid. Cort. et ad Cat. 52, 10. Claudian. in Ruf. 1, 1. *saepe mihi dubiam traxit sententia mentem, curarent superi terras, an nullus inesset rector.*

Cic. Acad. 2, 15, 48. *non, inquiunt, veri simile sit, sic etiam mentem moveri, ut non modo non internoscat, visa vera illa sint, anne falsa, sed ut in his nihil intersit.* p. L. Manil. 19, 57. *quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinio dicam, anne Pompeio, an utriquo.* De *an* plus semel posito vid. Cellar. Append. ad Cur. post. p. 47. et Antibarb. p. 210.

2. Contrahitur haec oratio, in qua verbum dubitationis vel inscitiae omittitur, et AN pro *dubium an* sive *nescio an* accipi, aut *dicam* suppleri potest. In priori, quod videtur, disiunctionis membro etiam particula omittatur, propterea necesse est, quia alterum interseritur tantum, et uni alicui verbo annectitur. Sed Cicero in orationibus abstinuit ab hac dictione, quae ex quotidiano communis sermonis usu in libros demum recepta esse videtur. Interpositum *an* non mutat verborum constructionem, quae, ut incepit, pergit per indicativum: cuius exemplum tamen apud Ciceronem nullum reperitur.

Cic. ad Fam. 7, 9. *Cn. Octavius, an Cornelius quidem, — is me — crebro ad coenam invitat.* 13, 29. *neque possum negare adfuisse, sed non plus duobus an tribus mensibus.* ubi Manutius scripsit *aut.* ad Att. 1, 3. *nos hic te mensem Ianuarium exspectamus, ex quodam rumore, an ex litteris tuis ad alios missis.* 7, 1. extr. Sed de Rep. 2, 15. *verene — hoc memoriae proditum est, regem istum Numam Pythagorae ipsius discipulum, an certe pythagoreum fuisse?* dubia est scriptura: nam praeterea quod in codice legitur *proditum sit*, exhibetur etiam *Pythagoraene:* neutrum equidem damnaverim. Est vero bimembris dubitatio verbis expressa, nec debebat illud *an* pro *aut* accipi, ut fecit Moserus. Sed graviore corruptione laborare videtur hic locus, de quo iterum dicturus sum. Plin. Ep. 5, 4, 2. *dixerunt se deceptos, lapsine verbo an quia ita sentiebant.* vidit Gesnerus haec verba addi a Plinio tamquam interpositam interrogationem: sed eodem modo Dictys Cret. 1, 19. *neque multo post irane coe-*

lesti, an ob mutationem aeris corporibus pertentatis, lues invadit. ubi Mercerus multa exempla affert per *ne — an* formata.

Non satis firma mihi est auctoritas, qua Parens e Cic. Epist. ad Att. affert: *tacitus metu an contumacia.* certum tamen hoc ad Att. 10, 10. *septem praeterea coniunctae lecticae amicarum, an amicorum.* Tacit. Ann. 2, 22. *de se nihil addit, metu invidiae, an ratus conscientiam facti satis esse.* 14, 7. *igitur longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut, nisi praeveniretur Agrippina, pereundum Neroni esset.* ubi editiones aliae *et eo* praebent. 2, 42. *finem vitae sponte an fato implevit.* 2, 67. Grat. Cyneg. 96. *deus ille an proxuma divos mens fuit.* Sueton. Vesp. 1. *centurio an evocatus profugit.* ubi Casaubonus iure reiecit alteram scripturam: *incertum sponte an evocatus.* Claud. 13. Conf. Gifan. Obs. p. 19. cf. Casaub. et Oudendorp. ad Sueton. Vespas. 1. Heinsius ad Ovid. Her. 12, 140. ad Fast. 2, 393. Admodum temere Io. Hillus hanc dictionem adhibuit ad vituperandum illustrem Tacitum. vid. Buhle de Corn. Tac. stilo Obs. p. 57. In Plauti Poen. 4, 2, 10. Pareus, Lex. crit. p. 89. narrat codicem Palat. exhibere: *libertinum furem an fugitivum velis.* sed correctum esse *ad:* ipse coniecit *aut fug.* sicuti Bothius quoque. Acidalius vulgatum *ac* correxit, *an* scribens: quod equidem probarem, si alia in Plauto invenissem huius dictionis exempla. In Cic. de Fin. 2, 32, 104. Davisius et alii restituerunt: *Simonides, an quis alius.* ubi Goerenz. non debebat desiderare duplex *an.* Ad Sueton. Tiber. 22. *conscio Tiberio an ignaro.* notat Baumgarten-Crusius *ne* omissum esse ob praecedens *Augustusne:* quae quidem nullo vinclo cohaerent. Glossatores interdum inserebant *incertum.* vid. Oudendorp. ad Suet. Vesp. 1.

Schwartzius haec: „fortassis ex huius modi exemplis subintelligendum est *dubito utrum, nescio utrum, quid dicam utrum,* vel simile quidquam. Ipsa vero interpretatio interdum vacillat. Varro de L. L. 8, 61. *quod sit, an non, nihil commovet analogiam. Allein es mag dies seyn oder nicht, so thut es doch der Analogie nichts.* Versio quidem nostra loci Varroniani docet, quod lingua nostra vernacula aut ferat aut postulet.“ Facciolatus in Epist. Meieri p. 12. notaverat in Varronis loco *an* eleganter quidem, sed non pro *sive* positum esse. „Si quid, inquit, pro *an non* reponi posset, non *sive* reponeretur, sed *necne.*“ Vid. p. sq.

Additum in aliis locis verbum *dicam*, constructionis rationem monstrat. Cic. p. L. Manil. 19. vid. p. 300.

3. In hac dictione *an* interdum proxime accedit ad significationem verborum *aut* et *sive*, minuta et prorsus exempta vi dubitationis. Quare recentiores scriptores et *an* cum voc. *sive* composuerunt, et in sententiis conditionalibus illud ipsum pro *sive* usurparunt: sicuti poetae etiam in priori sententiae parte *si* dixerunt cum significatione dubitativa pro *utrum*. Ciceronis scilicet usus eiusmodi exemplum vix unum habet certum, tamen omnino eum negare non ausim: in aliis scriptoribus reperiuntur multa, nec caussa erat, cur Io. Hillus unum Tacitum etiam hoc nomine reprehenderet. Vid. Palmeri Spicileg. p. 641. Gruter. Thes. T. 4.

Varro de L. L. 8, 61. modo allatus: *quod sit, an non, nihil commovet analogiam.* i. e. sive sit, sive non sit. Ovid. Rem. am. 797. *Daunius an Libycis bulbus tibi missus ab oris, an veniat Megaris, noxius omnis erit.* In Statii Silv. 1, 3, 40. per *an* exprimitur sententia, quae antea v. 34. per *ve* dicta erat.

Tacit. An. 11, 26. *quum abrumpi dissimulationem etiam Silius, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum remedium ipsa pericula ratus urgebat.* 14, 59. *sive nullam opem praevidebat inermis atque exsul, seu taedio ambiguae spei, an amore coniugis et liberorum.* Neque Buhlio, ut Tacitum defenderet, opus erat dubitationem, quae in *an* maior esset, negare in vocabulo *sive*. Est vero *sive — an* idem quod *sive — sive potius*. Ovid. Fast. 3, 773. excipiunt se *sive — sive quia — sive — an quia*. Conf. 1, 327. 3, 231.

Ovid. Fast. 4, 487. *unaque, pastorem vidisset, an arva colentem, vox erat.* i. e. si vidisset pastorem sive agricolam. 4, 7. *saucius aut sanus, numquid tua signa reliqui?* meliores libri *an sanus*. Tibull. 3, 1, 19. *illa mihi referet, si nostri mutua cura est, an minor, an toto pectore deciderim.*

Vnus est locus Ciceronis de Rep. 1, 12. *dein quum essent perpauca inter se uno an altero spatio colloquuti.* Moserus argumentationi, qua Maius usus est, diffidens audacter correxit *aut*. Tamen Ovid. Fast. 2, 394. *ex illis unus an alter ait.* Attius in Ione apud Priscian. 6. p. 677. *ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam.* Sallust. apud Serv. Fuldens. ad Virgil. Aen. 1, 329. *perrexere in Hispaniam an Sardiniam.* Et fortasse huc pertinet illud, quod ex Epist. ad Att. 10, 10. attuli p. 301. Plin. Ep. 6, 13, 5. *Acilius tantum Rufus et cum eo septem an octo (septem immo) in priore*

sententia perseverarunt. Apulei. Apolog. p. 273, 36. *nam ut meministi, dies abhinc quintus an sextus est, quum* etc. Auson. Sap. Solon. 19. *rex an tyrannus Lydiae Croesus fuit.* Haec apte inter se conveniunt, neque dubitationem exprimunt, sed rem ambiguam: id quod aliquantum differt. Mamertin. Grat. act. Iul. 24. *duo aut tria ferme ex vetere memoria amicorum paria proferuntur.* duo libri *an*, quod probari posset, nisi obstaret *ferme*, et auctoritas Ciceronis, qui in eadem sententia Lael. 4, 16. *vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.* Contra vero Cic. p. Rosc. Am. 21, 59. *quaesisse, num ille aut ille defensurus esset.* non dixit pro *an:* nam non dubitabatur, utrum ille an ille defensurus esset, sed num omnino quisquam. Bene igitur de Off. 3, 13, 54. *num iniuste aut improbe fecerit.* restituit Beierus. Facciolatus et Ernest. mutaverant *an* in *atque.* De loco Brut. 44, 162. dicamus in voc. *aut.* In Acad. 2, 39, 124. *tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique sitne an, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus?* ferri non poterat *aut.* De cognatione verborum *aut* et *an*, quam Doelekius negaverat, dixit Beierus in Exc. 11. ad Cic. Off. p. 337. T. 1.

Saepe occurrit *an quia.* Mutata orationis forma Tacitus An. 14, 7. *longum utriusque silentium, ne irriti dissuaderent, an eo descensum credebant, ut — pereundum Neroni esset.* pro *an quia.*

4. Alia sunt verba, quae dubiam rem et ambiguitatem aliquam in discrimine positam indicant, ideoque eodem, quem iam in verbis *dubium*, *nescio* demonstravimus, modo componuntur cum his particulis dubitativis. Eorum quoque exempla notasse operae pretium videtur.

Liv. 8, 35, 4. *vicit disciplina, vicit imperii maiestas, quae in discrimine fuerunt, an ulla post hanc diem essent.* ubi alii libri *nulla*, quod in Cicerone probandum esset. Plaut. Most. 2, 2, 60. *pluma haud interest, patronus an cliens probior siet homini, quoi* etc. Cic. ad Fam. 1, 7, 20. *multum enim interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur.* Horat. Art. p. 237. *ut nihil intersit Davusne loquatur et audax Pythias emuncto lucrata Simone talentum, an custos famulusque dei Silenus alumni.* Ita est legendum: nam distinguuntur duo tantum genera. Liv. 28, 44, 2. *multum interest, alienos populare fines, an tuos uri, exscindi videas.* Varro de Re r. 3, 2, 11. *quid enim refert, utrum propter oves, an propter aves fructum capias?* Cic. de Orat. 3, 55, 11. *refert*

etiam, qui audiant, senatus an populus, an iudices: frequentes an pauci. Horat. Serm. 2, 3, 166. *quid enim differt, barathrone dones quidquid habes, an numquam utare paratis.* Liv. 2, 54, 7. *ubi quum id modo constaret, iure an iniuria excipiendos esse reos.*

5. Denique AN cum iis verbis in disiunctione componitur, quae conatum indicant considerandi, videndi, sciscitandi, deliberandi. In eo enim rei ignoratio animum habet suspensum.

Cic. ad Fam. 7, 16. *id utrum romano more loquutus sit, bene nummatum te futurum, an quomodo Stoici dicunt omnes esse divites, qui coelo et terra frui possunt, postea videro.* Terent. Phorm. 2, 4, 5. *vise, redieritne iam an nondum domum.* Liv. 9, 15, 1. *consilium habitum, omnibusne copiis Luceriam premerent, an altero exercitu et duce Apuli — tentarentur.* Terent. Andr. Prol. 24. *rem cognoscite, ut pernoscatis —, posthac quas faciet de integro comoedias, spectandae an exigendae sint vobis prius.* Tacit. Ann. 3, 12. *simulque illud reputate, turbide et seditiose tractaverit exercitus Piso, quaesita sint per ambitionem studia militum, armis repetita provincia, an falsa haec in maius vulgaverint accusatores.* Sil. Ital. 4, 78. *scire libet nova nunc nobis atque altera bellum Carthago, anne eadem mittat, quae mersa sub aequor, Aegates inter vasto iacet obruta ponto.* v. 72. *discat — maius sit scandere colles, an vestros rupisse globos.* Terent. Heaut. 3, 1, 75. *neque id putabit, pravum an rectum sit, quod petet.* ubi alii libri *pravumne:* vid. Faerni not. Cic. Orat. 61, 204. *in quo quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, — an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit.* Sil. Ital. 4, 806. *ipsique relictum, abnueret sortem, an superum pareret honori.* Sueton. Ner. 47. *varia agitavit, Parthosne an Galbam supplex peteret, an atratus prodiret in publicum.* Cic. Acad. 2, 15, 48. *ut non modo non internoscat, visa vera illa sint anne falsa, sed ut in his nihil intersit omnino.*

6. In his omnibus bimembris est sententia per *an* disiuncta. Sed, ut fit in quacumque disiunctione, altera pars potest oppositionis vi intendi, ut haec una maxime consideretur, altera per hanc inaequalitatem neglecta omittatur. Omissa igitur altera illa parte, una ponitur particula *an*, quam, si oppositionem tenes, pro *an potius*, *an magis*, *an contra* accipere potes.

Ita exsistunt formulae *incertum an*, *dubito an*, *nescio an*, aliaeque, in quibus bimembris disiunctio recondita non verbis exprimitur, tamen intelligitur. Quare antiquiores grammatici in praeceptis docuerunt, *an* semper de pluribus, vel de duabus rebus dici: et recte quidem. Est enim disiunctio per ellipsin contracta, neque *an*, quod nos per *ob* reddamus, id tantum significat, sed habet aut requirit, cui opponatur ipsum. Vbi Cicero fortitudinis non iracundia inflammatae exempla afferens scripsit Tusc. 4, 22, 50. *de L. Bruto fortasse dubitaverim, an propter infinitum odium tyranni effrenatius in Aruntem invaserit: video enim utrumque cominus ictu cecidisse contrario.* ratio verborum haec est: dubitaverim, utrumne Brutus fortitudinem habuerit non ira commotam, an potius, quod aliis videtur, invaserit effrenatius in Aruntem: quod fere idem est ac, negaverim. Nos *ich zweifle ob.* Terentius quum Eun. 4, 7, 20. ait: *qui scis, an, quae iubeam, sine vi faciat?* plena haec erit sententia: qui scis, i. e. nescis, vine tantum coactus, an potius sine vi faciat? sive exempta dubitatione: qui scis eum sine vi facturum esse? Ita iubet et ratio et usus antiquorum scriptorum. Recentiores autem, vulgarem, ut videtur, consuetudinem sequuti, disiunctivam particulae vim neglexerunt, et *an* pene simplici significatione dubitativa, quam nos per *ob* reddimus, ponere consueverunt. Etiam illa Terentii verba hoc modo accipi possunt: *woher weifst du, ob er es ohne Zwang thun wird?* Attamen in his quoque exemplis reconditam intelligimus oppositionem et maiorem probabilitatis vim.

Tacit. Ann. 1, 5. *dubium an quaesita morte.* quod vernaculae linguae usu decepti dicunt esse *annon quaesita morte.* Est autem *an potius.* et ita 6, 50. Tacit. Ann. 14, 7. *incertum an et ante gnaros.* Curtius 7, 5, 26. *multitudo an vindicatura Bessum fuerit, incertum est.* 6, 1, 13. *expertus membra an impetum animi sequi possent.* Horat. Carm. 4, 7, 17. *quis scit, an adiiciant hodiernae crastina summae tempora di superi?* i. e. an contra, an potius. 2, 4, 13. *nescias, an te generum beati Phyllidis flavae decorent parentes.* Plin. Ep. 5, 3, 7. *quod illi an fecerint, nescio.* i. e. an re vera fecerint. 6, 21, 3. *nescio, an noris hominem: quamquam nosse debes.* quod Beierus ad Cic. Off. T. 1. p. 337. non debebat explicare: certus sum tibi notum esse. Senec. Contr. 1. Praef. p. 69. Elsev. *in aliis autem an beneficium vobis daturus sim,*

nescio: in uno accipio. Quinctil. 2, 17, 38. *eadem ratio idem praestare oratori potest. Sed an caussa vera sit, nescit.* Plin. Ep. 8, 16, 3. *qui an magni sapientes sint, nescio: homines non sunt.* Curt. 7, 7, 18. *sed an permissuri sint Macedones animo uti meo, dubito.* Tacit. An. 4, 74. *neque senatus in eo cura, an imperii extrema dehonestarentur.* de quo loco Schwartzius inanem pugnam ingressus est contra Facciolatum, qui verba *in cura esse* ad universam dubitationis rationem referenda esse censuerat. Et nova Tacitoque propria videtur haec loquutio. nam quae apud Columel. de Re r. 1, 1, 3. leguntur, differunt aliquantum. Pertinent vero huc omnia verba cunctandi, haesitandi, consultandi. Plin. Ep. 6, 16, 11. *cunctatus paullum, an retro flecteret.* Iustin. 6, 2, 4. *diu Lacedaemonii, an eum summae rei praeponerent, deliberaverunt.*

Multa exempla huius usus in verbis *dubium an* collegit Freinshemius in ind. in Flor. s. v. *dubium*, praemisso hoc praecepto: „quum duo contraria, quorum uno proposito, alterum non potest ignorari, eloqui volumus, hac phrasi ita utimur, ut alterutrum tantum exprimamus.“ Addi debebat, omisso altero augeri vim probabilitatis in altero, quod exprimitur. De qua re quum quaererem, ipse diu dubitabam, an in omnibus locis simplex illud *an* auctam hanc vim, quam per *potius* explicamus, afferret, neque umquam poneretur eo sensu, quo nos simpliciter dicimus *ob.* Antiqui plurimi scriptores unum illum modum constanter consectati sunt: recentiores eum mutaverunt: veluti Tacit. Hist. 1, 75. *conscios non edidit incertum an occultans.*

In omittenda altera notione Freinshemius frustra quaerit elegantiam, et in Flor. 2, 14, 3. *dubium an servus* scribendum putat pro *dubium liber an servus*, et in Suet. Aug. 22. *dubium an voluntate* pro *dubium eventu meliore an vol.*

7. Eadem est caussa in verbis *scire*, *videre*, *docere*, *discere* et in aliis, quibus additur *an* simplex. Veluti Seneca de Ira 2, 3, 5. *vide ergo, an putes, aliquid sine assensu mentis aut peti posse, aut caveri.* quorum sententia tota haec est: vide, num, quod mihi quidem videtur, neges, an potius putes. Sed recentiores etiam in hac loquutione saepe non nisi dubitativum sensum tenuerunt.

Plaut. Most. 1, 1, 55. *qui scis, an tibi istuc prius eveniat quam mihi.* i. e. tibi potius.

Vlpianus in Dig. 23, 3, 9, 3. *ceterum si res dentur in ea, quae Graeci παράφερνα dicunt, — videamus, an statim efficiantur mariti.* Paullus 5, 2, 31, 1. *si legatario heres exsti-*

terit exhereditatus petieritque legatum, videbimus, an sit submovendus ab hac accusatione. quod non est *an sit potius submovendus.*

Senec. Ep. 113. *doce me, non an fortitudo animal sit, sed nullum animal felix esse sine fortitudine.* Quinctil. 5, 10, 53. *tria sine dubio rursus spectanda sunt: an sit, quid sit, quale sit.* Plin. Ep. 8, 14, 24. *quum discere velim, an sententias dividi, an iri in singulas oportuerit.*

8. An in sententia dubitativa alteri secundae parti praeponi, id ipsa eius natura monstrat. Attamen fuerunt, qui *an — an* ambobus membris addi posse concederent: alii vero *an — an* pro *utrum — an* a scriptoribus aureae aetatis dictum esse non audebant affirmare. Ruhnkenius in notis ad Mureti Script. T. 2. p. 742. negabat omnino. Vid. Vorstius ad Valer. Max. 7, 2. Ext. 1. Cellarii Antibarb. p. 209. et Curae post. p. 143. ubi quae exempla afferuntur, egregie percenset Heusingerus in Observ. antibarb. p. 458. his verbis: „Plinii locum, qui in exemplum afferebatur ex lib. 8. epist. 14., a Cortio et Gesnero iam rectius explicatum video [*quum discere velim, an sententias dividi, an iri in singulas oportuerit.* ubi Gesnerus *an* per anaphoram pro *et* positum esse dicit, Cortius scribendum censet *ac*]: qui et alium, quem Cellarius non annotaverat [sed vid. Antib. p. 209.] ex lib. 6. ep. 16, 15. vitio repetitae huius particulae liberarunt. [*In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto vagentur.* ita etiam codex pragensis exhibet.] Non multum diversa erit ceterorum ratio, in quibus alterum *an* vel a librariis inculcatum, vel anaphora quadam ab auctoribus positum apparebit. De loco Curtii 8, 6, 25. non opus est coniectura. Optimos enim codices nominat Snakenburgius, in quibus ita scriptum: *id ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandum iuvenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse.* Anaphora usus est Cicero lib. 2. ad Att. ep. 6. *quin etiam dubitem, an hic, an Antii considam.* Non de diversis rebus dubitat. *Hic* est in hac regione, et quidem *Antii.* Maneat ergo in interrogationibus, ubi duae tantum partes disiunguntur, *utrum* priori, *an* posteriori membro dari, vel suppresso altero, unum tantum *an* adhiberi.“ In Senec. Epist. 69. Schweighaeuserus e codicibus edidit: *interest nihil, illa ad nos veniat, an ad illam nos.* Apud Ciceronem ad Att. 11, 6. non posse scribi: *is dicitur vidisse an euntem, an*

iam in Asia. certum est. Ernestius non dubitavit delere *an* prius. Sed scribendum est: *is dicitur vidisse. an euntem? an iam in Asia?* Intelligitur ex antecedentibus: *quaere ex Diochare.* Loci Quinctil. 5, 6, 2. et 5, 13, 11. et 7, 1, 13. correcti sunt a Gesnero et Spaldingio, Horat. Ars p. 116. a Bentleio. In Horat. Serm. 2, 4, 10. *ede hominis nomen, simul an Romanus, an hospes.* antiqua restituta nunc est scriptura *simul et:* quamquam *an* solutae orationis nomine excusari poterat. Nam duplex *an* ponitur, ubi aut duae sunt sententiae vel duae interrogationes, veluti Quinctil. 5, 10, 50. *haec et in deliberando intuemur, et in iudiciis ad duas res solemus referre, an voluerit, an potuerit.* ubi ne potest quidem admitti disiunctio. Virgil. Aen. 1, 329. *an Phoebi soror? an Nympharum sanguinis una?* aut ubi per anaphorae formam oratio adscendit, non diversa comparantur, ut in loco Cic. ad Att. 2, 6. a Heusingero allato. Dubitavit ibi Cicero, utrum rediret, an in villa et Antii consideret. Illud quidem etiam in duplici *ne* apparet. vid. Bentlei. ad Horat. Art. p. 116. Restant dubia exempla haec: Cic. Brut. 23, 89. *paucis antequam mortuus est an diebus, an mensibus.* Equidem vero non dubito, quin Cicero scripserit *paucis — diebus, an mensibus.* Et omisit illud *an* Pareus in Lex. Crit. p. 88. Quae Ellendtus nuper contulit, alieni sunt generis: nam in Orat. Manil. 19, 57. *Gabinio dicam, anne Pompeio* non desideratur prius membrum, cui alterum per *anne* adiiciatur: in libr. de Fin. 2, 32, 104. alia est, ut mox videbimus, ratio. De Offic. 3, 12, 50. qui ediderunt: *sed dubitet, an turpe sit, an turpe non sit.* vellem uno certe exemplo demonstrassent, Ciceronem ita umquam loquutum esse. Nam quod Beierus affert ex Ep. ad Att. 11, 6. alius esse conditionis, iam notavimus. Cic. in Pison. 10, 22. *in quo nemo potest dicere, utrum iste plus biberit, an vomuerit, an effuderit.* Edit. vet. *aut vomuerit:* sed quis non videt haec verba *aut vomuerit* a librario addita esse ad explicandum verbum *effundere?* Ita scripseram ante multos annos: nunc video etiam in codice Erfurt. legi *aut*, et Wunderum eamdem sententiam de hac interpolatione concepisse, quem vide p. 51. In Varrone de Re r. 1, 3. *et quid in colendo nos docet ars an sit, an quid aliud, et a quibus carceribus decurrat ad metas?* Schneiderus cum Pontedera correxit: *ecquis — docet ars sit, an —. Et quid*

equidem non mutaverim: prius vero *an* libri meliores omittunt. Apud Columel. de Re r. 1, 1, 3. *itaque diligens paterfamilias — maxime curabit; ut aetatis suae prudentissimos agricolas de quaque re consulat, et commentarios antiquorum sedulo scrutetur atque aestimet, quid eorum quisque senserit, quid praeceperit, an universa, quae maiores prodiderunt, huius temporis culturae respondeant, an aliqua dissonent:* quamquam sunt opposita, tamen seorsum spectata per anaphoram dicuntur. Celsus 3, 6. p. 132, 3. *atque id quidem videndum est, quod quidam solum praecipiunt, an adstrictum corpus sit, an profluat.* In his vera est duarum rerum disiunctio, quam ea, quae consequuntur, verba exponunt. Senec. Suasor. 7. p. 53. Elsev. *ita dubium, an satius sit, cum illis iacere, an cum his vivere.* Plin. Hist. nat. 15, 1, 2. *cetero distat, an maturitas illa in torcularibus fiat, an ramis.* Curt. 8, 6, 25. *idque an ad consolandam patientiam verberum, an ad incitandum iuvenum dolorem dictum esset, in ambiguo fuisse.* 6, 7, 28. In quibus scriptores videntur orationi addere voluisse rhetoricum lumen, et verbis non oppositis, asyndeta eo modo fecerunt, quo nos Germani quoque dicere solemus: *es ist zweifelhaft, ob es besser sey mit jenen fallen, ob mit diesen leben.* Antiquiores vero scriptores non ita negligunt vim particulae disiunctivam. Conf. Senec. de Brev. vitae 12. Plin. Ep. 6, 16. Iuvenal. 7, 162. Librarii, sui temporis consuetudini obtemperantes, saepe alterum *an* interseruerunt, ut factum est apud Sallust. Iug. 108, 3. ubi vid. Cort.

9. Non minus falsa erat eorum opinio, qui AN pro *utrum* dictum putabant in formula *an — necne*, afferebantque exemplum Ciceronis Catil. 2, 6, 12. *quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Laecam fuisset, necne.* Cod. Gud. et alii *an in noct.* Erlang. *in noct.* quod Goerenz. in Programm. p. 3. probavit, Matthiae in textum recepit. Beierus haec ad me scripsit: „*an* in altero demum duplicis interrogationis membro ponitur. Nam corruptus est locus apud Cic. in Catil. 2, 6, 12. Scribae scilicet interrogandi particula in priori membro carere non poterant: unde non minus vitiose legitur apud Priscian. 18. p. 677. *quaesivi, an Catilina nocturno conventu* etc. Alii codd. pro *an* perhibentur habere *in*, qua praepositione lubentius equi-

dem caruerim, quam Orellius." Nec potest comparari Horat. Sat. 1, 4, 124. *sive vetabat, an hoc inhonestum et inutile factum necne sit, addubites.* quae Heindorfius non intellexit. Sunt enim ista verba e sermone praeceptoris desumpta nexaque aliis iis, quae omittuntur. *An* est id quod *aut* extra interrogationem. Vertendaque haec sunt *oder zweifelst du:* de quo usu deinceps. Nemo igitur nunc in dictionibus, qualis est Cic. Top. 15, 59. *beatos efficiat necne sola per se, quaestio est.* cum Meinero supplendum censebit *an efficiat.* Haec tamen etiam Oudendorpius docuit ad Hirtii B. Afr. 8, 4. In Lactant. de Ira dei 16, 9. legitur: *interim de ira explicemus, an sit aliqua in deo, utrum nihil curet omnino, nec moveatur ad ea, quae impie geruntur.* quasi dici possit *an — utrum* pro *utrum — an.* quod absurdum. Tamen Bünemannus de inversione loquitur. At verba illa *utrum nihil curet* etc. non Lactantius scripsit, sed librarius in libri margine, unde in textum recepta sunt.

10. Vim dubitativam vocabuli *an* exhibent verba composita *fortassean, forsitan,* de quibus suo loco dicendum erit.

11. Peculiarem usum habent formulae NESCIO AN, HAVD SCIO AN, de quibus mirum quam multi grammatici multa et varia disseruerunt. Nos eos tantum nominabimus, qui non acquiescentes in congerendis exemplis, quorum ingens est numerus, iudicio usi sunt. Atque Manutius primus exstitit, qui ad Cic. Epist. 6, 7. 9, 9. 9, 14. animadverteret, *nescio an* eleganter dici pro fortasse. Eum sequuti sunt Batavi, Dukerus ad Flor. 3, 12, 6. Drakenborch. ad Liv. 37, 54, 16. Burmann. ad Quinctil. Inst. 12, 11. p. 1108. Schulting. ad Senec. Controv. 1, 2. p. 86. Davisius ad Cic. de Leg. 1, 21, 56. Wopkens in Lect. Tull. p. 35. Germani philologi, suae linguae vernaculae usu decepti, aut *an* pro *annon* positum esse existimabant, ut Westerhovius ad Terent. Andr. 3, 2, 45. Ad. 4, 5, 33. aut omissum *non* intelligi debere, ut Gesnerus in Chrestom. Cic. p. 223. et nuperrime Mich. Weberus in Symbol. ad Gram. lat. Halis 1826 editis. Quamquam aliquanto subtilius iudicat ille Gesnerus ad Plin. Ep. 4, 11, 8. Alii, diversa exempla ad unam formam redigere non ausi, demonstrabant, illa formula modo affirmari, modo negari sententiam: ita Guntherus Latin. restit. Vol. 2.

c. 118. Vorstius de Lat. mer. susp. c. 28. Noltenius in Lex. Antib. p. 1458. Bünemann. ad Lactant. 6, 20, 27. Ruddimann. T. 2. p. 236. Schellerus in Praecept. stili p. 475. Schuppius in libro: *Philolog. krit. Untersuchung über die Redensarten nescio an ullus und nescio an nullus.* Hanov. 1820. qui rursus in eum errorem incidit, ut *an* pro *annon* dici contenderet. Manutii doctrinam restituerunt Heusinger. ad Cic. Off. 1, 11. 3, 29. et in Emendat. p. 44. Ernestius in Clavi Cic. ad Cic. Acad. 2, 25, 81. et in Tursellino, qui, formula, inquit, quum dubitationem habere videatur, tamen simpliciter affirmat, Schellerus, qui in Praecept. p. 476. modestam vocat dubitationem. Cf. Cortius ad Plin. Ep. 4, 11, 8. et Nouvelle méthode pour apprendre la langue lat. p. 530. In his acquiescentes Bremius ad Cornel. Thras. 1, 1. et Grotefendus in Gramm. p. 394. negabant *non* esse omissum, sed iam Schellerus in Observat. p. 172. confessus erat, se ipsum, quominus Ernestium, qui post *nescio an* fere ubique negationem in vocabulo *nullus* restituisset, sequeretur, et per multa scriptorum exempla contraria et per rationem verbi, quod additur, obstringi. Gernhardus quum ad Cic. Off. 1, 15. inveteratam opinionem, auctoritate Heusingeri commotus, adhibuisset, Hermannus omnium primus rem acutius pertractavit, et in Ephemerid. Lips. 1819. p. 975. (eius verba additis observationibus subtilibus refert Beierus in Exc. 11. ad Cic. Off. 1, 11, 33.) certo iudicio praecepit, omnem quaestionem ad rationem interrogationis disiunctivae et ad vim disiunctivam particulae *an* revocandam esse. Quae praecepta, maxima ex parte vera, non in omnibus tamen locis satisfecerunt. Quare iterum instituit quaestionem Gernhardus, non semel suam sententiam mutans, in Comment. Gramm. Part. 3. Vimar. 1822. edita, et in Seebodii Sylloge, quae vocatur *Archiv für Philol.* 1824. Vol. 1. p. 104. et in Seebodii Nova Syllog. 1826. Vol. 1. p. 18. et in Excursu Cic. Laelio adiecto p. 246. Ibi interrogationis genus appellat, quod a verbo *nescio* suspensum esse soleat, et in hunc modum disputat: esse formulam verecundius affirmandi, quae suam vim retineat ex duplicis interrogationis ratione, cuius pars posterior plus etiam gravitatis ad affirmandam sententiam contrahat, quam si prior interrogatio praemissa esset, ut *an* accipi possit pro *an potius*. Zumptius in Gramm. 721. sequitur Manutium, sed di-

stinguit antiquorum scriptorum usum a recentiori, quo *nescio an* negativam significationem occupavit. Ramshornius Gramm. p. 498. affirmationis et negationis vim quaerit in accentu vel in voc. *nescio* vel in verbo, quod post *an* locum obtinet, ponendo, quamquam esse verba *quisquam*, *sum*, *possum*, quae accentui parum apta requirant alteram negationem. Hanc opinionem defendit in Ephemerid. Ienens. a. 1826. n. 176. miramque addit distinctionem verae simulationis et ironicae, et esse sententias nimium serias, quae accentus transpositionem non admittant. At quantocumque vocis impetu intenderis verba, numquam tamen iis inculcabis negationem accentu, cuius recipiendi facultate cur careant vocabula quaedam, aliis, qui eiusmodi aenigmatibus delectentur, investigandum relinquo. Novam doctrinam aperuit Mich. Weberus: duplicis generis esse locos, alios, in quibus verbum coniunctivi modi, quod sequitur, cum particula *an* non cohaereat, alios, in quibus cohaereat et a particula regatur: in illis praecisis et seiunctis intelligi debere *nescio an non recte sentiam*, quo facto ipsa sententia approbetur: in his integris improbari rem. Mirabilis istius ellipseos in verbis, quae ipse fecit, *nescian*, *haudscian*, rationem nondum reddidit vir doctus, nec tamen magnam exspectationem eius concitavit. Nos, quamquam haec quoque formula ratione a nobis iam exposita continetur, neque aliud nisi vim rhetoricam in notione inscitiae propriam habet, nec quidquam differt verborum constructio in verae et simulatae inscitiae confessione, ob multiplicem opinionum discrepantiam, totam rem variasque usus conditiones percensebimus.

1. Verba *nescio*, *haud scio*, quae certam ignorationis notionem significant, quum dico, me, qualis et cur aliqua res sit, nescire, eo etiam, quo verbum *dubito*, usurpantur modo in animi, qui, utrum hoc an illud sit, decernere non audet, incerta sententia. Ponuntur igitur in disiunctione, et eamdem constructionis formam recipiunt, quae interrogationis genera constituit. Dicitur enim *nescio*, *dubito utrum — an*, *nescio*, *dubito ne — an*, et omissa in priori membro particula. In utraque parte sententia apparet aeque dubia.

Cic. de Orat. 2, 13, 56. *ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur.* Verr. 1, 41, 105. *utrum admonitus, an tentatus, an —*

sine duce ullo, sine indice pervenerit ad hanc improbitatem, nescio. Valer. Max. 9, 5. Ext. 3. *tam deformiter victi nescias utrum insolentius dictum an impudentius.* Gernhardus errat, quum in his omnibus secundo loco gravius et insolentius poni existimat. vid. eius Comm. gram. p. 5.

Plaut. Mil. 4, 6, 50. *nescio, tun' ex me hoc audieris, an non.* Terent. Heaut. 3, 2, 30. *iocon' an serio illaec dicat, nescio.*

Liv. 34, 2, 6. *haec consternatio muliebris — nescio vobis, tribuni, an consulibus magis sit deformis.* Praef. libr. 1, 1. *facturusne operae pretium sim, si a primordio urbis res populi romani perscripserim, nec satis scio, nec, si sciam, dicere ausim.* Terent. Heaut. 2, 3, 104.

Cic. ad Att. 13, 51. *Quintus cras: sed ad me, an ad te, nescio.* de Nat. d. 1, 24, 66. *vera an falsa, nescio.* Plin. Ep. 8, 12, 1. *quem ego audire nescio magis debeam, an cupiam.* Plaut. Curc. 4, 1, 2. *halophantem an sycophantem hunc magis esse dicam, nescio.* cf. Capt. 2, 2, 18. Merc. 3, 4, 5.

2. Sed sicuti in interrogatione disiunctiva, etiam in hac dictione opinio saepe ad alteramutram partem inclinat, isque, qui dubitare vel nescire se dicit, aut affirmationem aut negationem praeoccupatam habet. Haec enim est cuiuscumque dubitationis natura ac conditio communis, significatque *haud scio* in hac anticipata sententia: non dico sive affirmo quidem, tamen suspicor, spero, vereor: sicuti id fert affirmationis aut negationis ratio. Vtrumque vero quum uno modo exprimatur per verba *ne — an*, vel *ne*, omissa altera parte sententiae, mirum videri non potest, quod ob ipsam naturam horum verborum, quibus inscitiam et dubitationem profitemur, rara sunt exempla in scriptis libris. Viva vox talia facilius moderatur. Neque vero id Gernhardo concedi potest, in hac praeoccupata sententia semper omitti alterum membrum: quod quum omittatur, tamen cogitetur necesse est.

Affirmationis praeoccupatae exemplum hoc est Plin. Paneg. 64. ubi quum Traianum laudasset, quod praeeunte consule iuraverat, praedicat etiam hoc factum esse nullo alio principe praeeunte, et addit: *nescio iam, nescio, pulchriusne sit illud, quod praeeunte nullo, an hoc, quod alio praeeunte iurasti.* quod si interrogatione exprimere velis, erit: *nonne pulchrius istud, an hoc?* Quo apparet, falsum esse praeceptum Gernhardi, sententiam, cui *ne* praefixum est, prope neglectam et

negationis esse instar: quasi Plinius quaereret: *num pulchrius istud, an hoc?*

Negationis reconditae ratio cognoscitur exemplis his comparatis: Quinctil. 9, 4, 35. *nescio, negligentia in hoc, an solicitudo sit peior.* Cic. ad Fam. 2, 5. *unum illud nescio gratulerne tibi an timeam, quod mirabilis est exspectatio reditus tui.* Haec quamquam aequalia esse videntur, Cicero inclinat ad negationem, non item Quinctilianus. Ne tamen caussam in vocula *ne*, quae interrogationi cuicumque inservit, frustra quaeras, confer exempla a me antea allata.

Liv. 3, 47, 7. *passurine haec isti sint, nescio.* i. e. non spero esse passuros illos, qui arma habent. Caes. B. G. 5, 54. *idque adeo haud scio mirandumne sit, quum compluribus aliis de caussis, tum maxime, quod* etc.

3. Tertium genus est, quo, reiecta atque omissa parte sententiae priori, contrarium, vel id, quod ex aliena opinione probari debeat, ponimus: de qua re iterum nobis dicendum erit, quum ad interrogationes pervenerimus. Dicitur igitur *nescio an*, *haud scio an*, et illud *an*, quod ex disiunctiva sententia desumptum est, duplicem habet rationem. Omittitur enim illa prior pars, dum in altera, quae verbis exprimitur, maior vis insistit, per oppositionis potestatem aucta: ideoque *an* accipi potest pro *an contra*, *an potius:* quod ipsum dictum est a Tacito Ann. 3, 53. *nescio, an suasurus fuerim, omittere potius praevalida et adulta vitia, quam hoc assequi, ut palam fieret, quibus flagitiis impares essemus.* Nulla tamen est attractio, qua Gernhardus existimavit posterius interrogationis membrum (ita enim ille vocabat) ad verbum *nescio* accedere, sed orationis inversio. Sed omissa disiunctionis pars aut affirmationem aut negationem in se habet, quo fit, ut verba *nescio an* rei, quae dicitur, aut improbationem aut approbationem adiiciant.

Improbationem sive negationem exhibent apud Cic. de Harusp. resp. 11, 22. *quod ni tu Megalesia illo die spectare voluisses, haud scio, an vivere nobis atque his de rebus iam queri liceret.* i. e. non puto. Caecin. ad Cic. 6, 7, 6. *ac nescio, an tibi gratius opportuniusque acciderit.* Senec. Ep. 25. *an profecturus sim, nescio: malo successum mihi quam fidem deesse.* i. e. *ob ich dagegen etwas ausrichten werde, weifs ich nicht:* quod est, nihil me profecturum esse magis arbitror, tamen successum deesse malo etc. Nat. qu. 3. Praef.

4. *festinemus, et opus nescio an superabile, magnum certe, sine aetatis excusatione tractemus.* ubi Spalding. coniecit *insuperabile.* Val. Max. 3, 6, 1. *nec hac re segniores punicis exercitibus manus intulit, sed nescio an ideo alacriores, quia vegeta et strenua ingenia quo plus recessus sumunt, hoc vehementiores impetus edunt.* 9, 3, 1. *sed nescio, an eiusdem fuerit hoc dicere et sic vincere.* Quinctil. 6, 3, 6. *tum varia hominum iudicia in eo, quod non ratione aliqua, sed motu animi quodam, nescio an enarrabili, iudicatur.* Spalding. temere mutat *inenarrabili.* Plin. Ep. 7, 19, 4. *doleo enim maximam feminam eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris.* Fronto ad Anton. 4, 3. p. 96. Alia vid. p. 305. quae cur plurima in recentiorum scriptorum libris reperiantur, caussa iam exposita est. Hoc sensu verbum *nescio* fere semper postponi, quod observavit Beierus p. 337. id equidem non cognovi. Cic. Acad. 2, 40, 126. *ne exaedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo: atque haud scio, an ita sit.* quae huius generis essent, si probari posset Goerenzii explicatio: ne hoc quidem verum existimo: vel potius nescio, an ita sit. Cicero autem ex suo moro dicit: atque re vera ita esse videtur.

Affirmationem sive approbationem significant Cic. ad Fam. 13, 1, 13. *nescio, an ignoscendum sit huic, si tantopere laborat.* quod est proprie: nescio, utrumne non ignoscendum, an potius, s. an contra ignoscendum sit. 9, 18, 4. *extremum illud est, quod tu nescio an primum putes.* Terent. Heaut. 5, 2, 46. *etiam haud scio, anne uxorem ducat, ac Syro nihil gratiae.*

Transitus, quo a negatione ad affirmationem deflectimus, apparet praesertim in iis, quibus aliquid certe affirmatum additur, veluti Plin. Ep. 8, 14, 24. *nescio an iure, certe aequitate postulationis meae victus — accessit releganti.* et Apulei. Met. 7. p 196, 32. *fortunae nutus hilarior, nescio an futuris periculis me reservans, certe praesente statutaque morte liberans.* Cuius generis etiam ea sunt, quae formam interrogationis induunt. Virgil. Aen. 1, 328. *o dea certe: an Phoebi soror, an Nympharum sanguinis una?* Quod viri docti si accuratius perpendissent, non tantopere dubitassent de constituendo loco Plin. Ep. 2, 12, 1. *λειτούργιον illud — nescio an satis, circumcisum tamen et abrasum est.* de quo disputavit Kreyssigius in Diss. de codice Plin. Lips. 1812. edita p. 21.

4. Ambiguitatem in his offendamus interdum, necesse erit. Sic apud Terentium, quum dicitur Andr. 3,

2, 44. *non impulit me, haec nunc omnino ut crederem. Atque haud scio an, quae dixit, sint vera omnia.* sensus esse potest: non credo haec omnia vera esse: et ita perperam explicuit Bergmann. in Annot. ad Elog. Hemsterhus. p. 312. tamen Chremes haec vult: non impulit me, haec ut crederem, atque (i. e. et item, sive et adeo) omnia vera esse possunt. Nam *an* indicat alienam et contrariam sententiam, quam nos exprimimus verbis *ob vielmehr*, et interposita, quae grammaticos saepe fefellit, negatione *ob nicht vielmehr*. Et habemus huius offensionis luculentum exemplum in Terent. Phorm. 5, 2, 9. D. *Etiam idne dubium est?* G. *Haud scio, hercle, ut homost, an mutet animum.* D. *Hem mutet autem?* G. *Nescio. verum si forte, dico.* Haec igitur ambiguitas ne perspicuitati noceret, prudenter caverunt constanti quodam usu antiquiores scriptores: in quibus id ante omnia tenendum, *an* non significare simpliciter *ob*, sed in recentioribus tantum minui istam vim disiunctivam. Plautus quatuor locis a nobis allatis usurpavit *nescio* in bimembri disiunctione: nusquam dixit *nescio an:* bis dixit *haud scio an:* Mostell. 3, 2, 96. *nunc hunc haud scio an colloquar. congrediar.* Epid. 4, 1, 16. *haud scio an congrediar, si haec ea est.* ubi loquuntur in cunctatione haesitantes, sed ad rem agendam inclinantes. Etiam Terentius numquam dixit *nescio an*, sed quatuor locis *haud scio an.* Andr. 3, 2, 45. Phorm. 5, 2, 9. Adel. 4, 5, 33. *qui infelix haud scio an illam misere nunc amat.* Heaut. 5, 2, 46. *etiam haud scio an uxorem ducat.* ubi Westerhovius bene observavit, esse formulam verecunde et timide asseverantis. Cicero, Livius et alii scriptores *nescio an*, et *haud scio an* ita dixerunt, ut affirmationem ponerent non modo ex aliena aut ironice dicta sententia, quam nos reddimus verbis, *ich weiſs doch nicht*, sed ob urbanitatis moderationem et in adhibenda prudentiae cautione. Nam verecundiae et urbanitatis et prudentiae caussa ea, quae, si animum declarare et ingenue loqui deceret, nobis affirmanda essent, ad dubitationem et simulatam inscitiam referimus, quasi nesciamus vel dubitemus, utra e duabus rebus probari debeat, tamen alteri rei, quae aliena, aut aliis hominibus minus probabilis esse videatur, maiorem probabilitatem tribuamus. De quo usu rhetorico, iam Manutio (ad Cic. Epist. 9, 9.), Lambino (ad Cic. Lael. 6.), Ernestio aliisque bene

cognito, disputavit Gernhardus in Excursu ad Cic. Lael. p. 249. neque amplius dubitabitur, hac dictione antiquorum scriptorum plurimorum communi, tantum non omni dubitandi vi remota, id significari, quod verum et probum videatur, affirmarique cum verecunda haesitatione. Quare explicuerunt per verba *fortasse*, *opinor*, *arbitror*. Atque variae sunt caussae huius modestiae vel urbanitatis, quas Gernhardus diligenter exposuit in Comment. p. 9. et in Exc. p. 251. Nam acerbitatem sententiae mitigat Cicero Lael. 12, 43. *quod quidem, ut res coepit ire, haud scio, an aliquando futurum sit*: cavet, ne vulgari opinioni adversari videatur, in Tusc. 2, 17, 41. *crudele gladiatorum spectaculum et inhumanum nonnullis videri solet: et haud scio an ita sit, ut nunc fit.* Et sic in reliquis, in quibus prudenter is, qui loquitur, certam affirmationem cohibet, ne aut alios secus statuentes offendat, aut indignationem invidiamve moveat, aut sua sententia nimium discessisse videatur a vulgari more et opinione. Cic. Tusc. 3, 8, 16. *sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit.* in quo loco Gernhardus Append. p. 21. ad superiora verba *veri simile illud est* respicere iubet, quae quidem diversa atque aliena sunt. Frequentem imprimis usum observasse sibi visus est Gernhardus in iis, quae comparationem instituunt: veluti Cic. Verr. 1, 15, 41. *haud scio an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis.* Et ita de Nat. d. 3, 27, 69. p. Marc. 9, 29. Liv. 21, 43, 3. 22, 39, 4. Florus 3, 12. At ratio non in ipsa comparatione quaerenda est, sed in significatione cuiusque maioris vel maximae rei. Nam utuntur hac formula, qui verentur, ne, quum maiora aut maxima commemorent, nimii fiant et iustum modulum excedant, nec tamen in minoribus nominibus acquiescere possunt.

Cic. ad Fam. 9, 15. *est id autem magnum, atque haud sciam an maximum.* Tusc. 3, 23, 55. *neque tamen genus id orationis in consolando non valet: sed id haud sciam an plurimum.* Liv. 23, 16, 15. *sive tanta, sive minor victoria fuit, ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit.* Cic. p. Flacc. 26, 63. *cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio cunctis gentibus anteponendam dicam.*

Sunt tamen multa, in quibus non agnoscas verecundiae ac prudentiae cautionem, sed intelligas haesitantem opinionem, quae

in possibilitate acquiescat: veluti Cic. ad Fam. 9, 19. *extremum illud est, quod tu nescio an primum putes.*

Quae idem Gernhardus in Exc. p. 254. disputat de particulis *et*, *ac*, *sed* cum verbis *nescio an* coniunctis, non ipsam hanc formulam attingunt, sed ad naturam istarum particularum pertinent: quamquam in iis sunt, quae vix probari possint, veluti, *et* minus frequens esse, quippe quod non aptum sit ad iungendas res dissimiles et ad indicandam oppositionis vim. Quod utrumque non confirmatur experientia. Nec particula *sed* rectam oppositionem semper exprimit. Cic. Tusc. 3, 8, 16. *sed haud scio an recte ea virtus frugalitas appellari possit.* in quo loco fallitur et Gernhardus, qui anacoluthon esse arbitratur (nam v. *veri etiam simile est* significant nomen *temperantis* propius accedere ad rei veritatem), et Weberus, qui in v. *sed* caussam temere quaerit, cur sententia intelligatur negativa: ipse Cicero suam sententiam affirmat 17, 36. Ceterum vim huius dictionis alii explicuerunt per verba *opinor*, *arbitror*, alii per *fortasse:* quod an non ubique fieri possit, ob metus notionem interdum admixtam dubitat Gernhardus in Comm. p. 10. Scilicet vocabulum *fortasse* spem indicaret approbationis et coniecturam iudicii ad ipsam rem relatam, quasi diceremus *fieri potest*, *ut.* Cic. Brut. 41, 151. *atque haud scio an par principibus esse potuisset: sed fortasse maluit — in iure civili esse princeps.* Illud modestius affirmando reiicit dubitationem, hoc coniecturam colligit ex ipsa re. Cic. in Catil. 4, 5, 9. *si eritis sequuti sententiam C. Caesaris, — fortasse minus erunt, hoc auctore et cognitore huiusce sententiae, mihi populares impetus pertimescendi: sin illam alteram, nescio an amplius mihi negotii contrahatur.* i. e. vereor, ne contrahatur. Tamen in vocabulis *forsitan*, *forsan* inest ipsum cognatum *an.* Quod vero Gernhardus in explicatione formulae interdum substitui iubet ad Cic. Cat. 16. p. 108. *vereor ne*, *vereor ut*, quodammodo admitti potest ob eam, quam p. 313. diximus, praeoccupatam opinionem.

De discrimine verborum *nescio an* et *haud scio an* nuper demum quaerere coeperunt grammatici. Et Stallbaumius ad Ruddimann. T. 2. p. 237. magnum putat esse discrimen, quod quum plerique omnes neglexissent, eos in varios errores incidisse: ipsum tamen quod sit illud, non exponit. Gernhardus in Comment. p. 11. in

Exc. p. 252. et in Seebodii Sylloge p. 104. et in Nova Syll. p. 33. observat *haud scio* esse *prorsus non scio*, *ich weifs durchaus nicht*, idque verecundiae ac timoris sensum apertius significare, et ad animi vehementius commoti sententiam expromendam aptius visum esse quam *nescio*, quo mentis iudicium et consilium, quod alteri des, non certissimum, aut cum modestia quadam indicetur: Ciceronem de simulata inscientia pene constanter, vel certe multo saepius *haud scio* usurpare, quam *nescio an*, quod minus vehementer neget: Livium raro usum esse verbis *haud scio an*, ut 3, 60, 2.: adde 9, 15, 10. apud Plinium, Senecam, Quinctilianum, Tacitum, Florum, Valerium M., Curtium vix inveniri *haud scio an:* de vera dubitatione *haud scio an* non dici nisi a Plauto et in uno loco Cic. Acad. 2, 40, 126.: neque tamen umquam post *haud scio an* poni duplicem dubitationem per *utrum — an* et per *ne — an* exprimendam. In quibus quae de significatione voc. *haud* dicuntur, fateor me non satis intelligere. In Cicerone vero non numerari, sed explicari debent loci: de Plauti usu diximus p. 316. de loco Ciceronis p. 315.: bimembrem vero sententiam post *haud scio* nusquam inveniri, id proprietatem horum verborum in hac rhetorica formula comprobat: quae eadem caussa est, cur nemo dixerit *haud scis* secunda persona. Equidem vero, ne multum tribuam discrimini verborum *nescio* et *haud scio* in hac quidem formula, certam video caussam in natura vocabuli *haud*, quod eam tantummodo vim occupat, ut negatio ipsi, cui additur, nomini inhaereat, et cum eo unam constituat notionem, quae eadem est ratio in verbo *nescire*. Quo fit, ut in aliis verbis negatio gravior et concinnior exsistat, in *haud scio* idem exprimatur quod in *nescio:* neque Ciceronis ullus est locus, in quo non utramque formam commutare possis. Atque hoc, quod pene nullum erat, discrimen cum ipso usu verborum *haud scio* post Augusti tempora prorsus concurrit. Praeterea Gernhardus in Append. p. 23. distinguit usum verbi *anne* eo, quod *haud scio anne* dicatur, ubi festiva accedat suspicio, id fieri, quod vix exspectari possit, affertque Terent. Heaut. 5, 2, 46. *etiam haud scio, anne uxorem ducat*. Conf. quae nos infra.

Sed habet haec formula certam conditionem. Nam eo, quem declaravimus, sensu atque usu non nisi prima verborum *nescio*, *haud scio* persona ipsam formulam

efficit, nec Gernhardus mirari debebat Exc. p. 252. quod nusquam reperisset *nescias* vel *nesciat*. Alii quoque confuderunt exempla secundae et tertiae personae, quae ad hanc urbanitatis formulam non attinebant: quamquam in iis, ut demonstravimus, sententia etiam ad affirmationem inclinare poterat. Non inclinat apud Cic. de Orat. 2, 13, 56. *ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur*. i. e. ut dubium sit. Inclinat vero apud Horat. Carm. 2, 4, 12. *nescias, ante generum beati Phyllidis flavae decorent parentes: regium certe genus et penatis moeret iniquos*.

Restat ut de coniunctivo et de negatione in hac loquutione vel necessaria vel non necessaria dicam. Ac coniunctivi ratio non abhorret ab universo usu huius modi. Nam quod a Cicerone in libris de Oratore saepe dicitur *haud sciam an*, profectum est ab auctoris magna modestia et ab ea urbanitate, qua gratissimum colorem his maxime libris adiecit. In reliquis Ciceronis scriptis nusquam legitur.

De Orat. 2, 17, 72. *in caussarum contentionibus magnum est quoddam opus atque haud sciam an de humanis operibus longe maximum*. 2, 52, 209. *par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae: sed haud sciam an acerrimus longe sit omnium motus invidiae*. 1, 60, 255. Liv. 9, 15, 10.

Ille vero coniunctivus, qui post *haud scio an* et *nescio an* ponitur, ad eam rationem referamus necesse est, quam in omnibus sententiis non rem exponentibus, sed, cogitatione intercedente, ab animi notione pendentibus grammaticorum doctrina illustrat. Nam quae ab Hermanno ad explicandum hunc coniunctivum proposita sunt (quae vide apud Beierum Exc. p. 337.), vereor ne a nemine probentur. Nimis subtilia, nec vera sunt, et ex ea opinione orta, qua ille ubique interrogationem supponere conatus est. Sed quemadmodum fit in aliis verbis, in hac quoque loquutione vocabula in unam notionem, quae modestae affirmationi inserviat, ita coeunt, ut pro adverbio posita videantur, nec verbi modum regant. Quare oratio pergit saepe, uti instituta est, per indicativum, quem non erat quod Vorstius p. 239. et Weberus p. 13. reprehenderent. Gernhardus graecum usum verborum δῆλον ὅτι, οἶδ' ὅτι comparavit. Bremius in libro: *Philolog. Beiträge aus der Schweitz.*

Vol. 1. p. 189. ellipsin obscuram verbi *dicam* nuncupat, quam iure reiecit Beierus ad Cic. de Off. 1, 21, 72. Cf. Ruddimann. T. 2. p. 348. Vocabula autem una notione contenta distrahi loco non possunt.

Terent. Ad. 4, 5, 33. *qui infelix haud scio an illam misere nunc amat.* Ita e codd. Faernus et Bentleius restituerunt pro *amet.* Cic. de Off. 3, 29, 105. *quorum quidem testem non mediocrem, sed haud scio an gravissimum, Regulum, nolite, quaeso, vituperare.* 2, 18, 64. *conveniet autem quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum, — a litibus vero, quantum liceat, et nescio an paullo plus etiam, quam liceat, abhorrentem.* de Leg. 2, 22, 57. de Nat. d. 2, 4, 11. Plin. Ep. 4, 11, 8. *dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam innocens, ducta est.* Valer. Max. 2, 7, 15. *sed quum aliquoties senatus pro militari disciplina severe incubuerit, nescio an tum praecipue, quum milites — carcere inclusit.*

Non possunt haec infringi comparatis locis Plauti Mil. 4, 6, 43. *nescio, ubi hic prope adest, quem expeto videre.* (ita vulgo interpunguntur male) et Merc. 2, 3, 35. et 4, 1, 18. Ibi enim construenda sunt verba aliter: adest hic prope nescio ubi, i. e. alicubi, quem expeto videre.

Quare non opus esse videtur, ut in aliis locis cum Gernhardo censeamus coniunctivum ex superioris enuntiationis verbo intelligi debere.

Cic. de Orat. 2, 15, 62. *videtisne, quantum munus sit oratoris historia? haud scio an flumine orationis et varietate maximum.* ubi Gernhardus p. 257. supplet *sit.* ad Att. 14, 11. *ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem.* in quibus intelligit *fecerit.* Et ita de Or. 2, 17, 72. Tusc. 3, 23, 25. de Leg. 1, 21, 56. ad Fam. 9, 15. Valer. Max. 5, 4, 6. In Cic. in Verr. 1, 48, 125. *is mortuus est C. Sacerdote praetore, nescio an ante, quam Verres praeturam petere coeperit.* verba *nescio an* ad unum *ante* pertinent.

Id autem bene observat Gernhardus, orationem rectam in obliquam ita transire, ut indicativus e verbo cum *nescio an* cohaerente, quae est anacoluthorum conditio, intelligi possit ac debeat.

Cic. p. Flac. 26, 63. *cuius ego civitatis disciplinam atque gravitatem non solum Graeciae, sed haud scio an cunctis gentibus anteponendam dicam.* Bremius l. l. haec notat: „scilicet ista, quae videtur, dubitatio proprie quidem non verbum

attingit, sed vel verbi subiectum vel obiectum. At quum isthaec formula sua natura ad verbum referatur, atque etiam ipsa relatione ad verbum, quae sensui nullo modo repugnat, modestia loquendi augeatur, interdum arripuerunt coniunctivum. Dicendum erat *anteponendam dico.* At id non carebat invidia. Ergo mitigavit scribendo *anteponendam dicam.*" Quae miror a Beiero ad Cic. de Off. 1, 21, 72. probata esse: nam, interposita ista formula, mutata erat cogitatio, quae, remissa superiori sententia, sua potestate procedit. Nihil inest consilii, nihil artis, sed cogitationis volubilitas in aliis quoque anacoluthis probata. Cic. de Off. l. l. *capessentibus autem rem publicam nihilo minus quam philosophis, haud scio an magis etiam et magnificentia et despicientia adhibenda sit rerum humanarum.* ubi nonnullis in mentem venit *adhibenda est.* Beierus hic quoque modestiae consilium agnoscit. At Cicero liberiori orationis genere usus simul concinnitati satisfecit: nam non dixit *et haud scio*, sed iterum incipit quasi se ipse corrigens: *haud scio an.* Liv. 23, 16, 15. *ingens eo die res, ac nescio an maxima illo bello gesta sit.* ubi Freinshem. et Perizon. indicativum restitui voluerunt, a Gronovio reprehensi.

Propter verborum constructionem notanda haec sunt exempla rariora: Liv. 3, 9, 2. *quod si extemplo rem fortunae commisisset, haud scio an — magno detrimento certamen staturum fuerit.* Seneca Cons. ad Marc. 1, 2. *non est ignotum, qualem te in personam patris tui gesseris, quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem: nec scio an et optaveris.*

5. Sententia, cui praemittitur *nescio an*, aut affirmativa est aut negativa. Negatio haec exprimitur vocabulis *non*, *ne — quidem*, *nemo*, *nullus*, *nihil*, *numquam*, *nusquam*, *minus*, quarum vehementiorem vim una illa formula *nescio an* verecundiae vel simulandae inscientiae urbanitate temperare videtur Gernhardo Exc. p. 262. Quamquam haec mitigatio omnino non pertinet ad negationem, sed ad universam iudicii moderationem. Beierus ad Cic. Off. 3, 12, 50. cum Bergmanno in Annot. ad Elog. Hemsterhus. p. 312. animadvertit in negatione post *dubito* et *nescio an* usurpari quidem *nemo*, *nihil*, *nusquam*, sed vix umquam *non.* Cuius rei rationem equidem non perspicio, nec desunt exempla. Auctorem huius observationis Bergmannus laudat Vorstium: at ille de Germanorum errore loquitur, quo affirmatae sententiae inculcare solent illud *an non.*

Cic. Acad. 2, 25, 81. *quaere rationem, cur ita videatur: quam ut maxime inveneris (quod haud scio an non possis): non tu, verum testem habere, sed eum non sine caussa falsum testimonium dicere, ostenderis.* Beierus nimis importunum atque insolentem fuisse Ciceronem censet, si quaestionem tam facilem a Lucullo solvi posse negasset, immo eum non dubitasse, quin ratio rei explicandae ab illius sagacitate inveniri posset. Quare eiicit negationem, quae tamen ipsis verbis *ut maxime inveneris* iam indicatur. Conf. ea, quae ad Wopkens. Lect. Tull. p. 35. dixi. De Off. 3, 12, 50. *de eius deliberatione et consultatione quaerimus, qui celaturus Rhodios non sit, si id turpe iudicet: sed dubitet an turpe non sit.* Gernhardus et Beierus ediderunt *an turpe sit, an turpe non sit:* in quibus aperta est librariorum supplendi sedulitas. De Divin. 1, 38, 81. *ego autem haud scio, an nec cardiacis hoc tribuendum sit, nec phreneticis.* Acad. 2, 44, 136. *illi umquam dicerent, sapientes solos reges, — neminem consulem, praetorem, imperatorem, nescio an ne quinquevirum quidem quemquam nisi sapientem?* Lael. 14, 51. *atque haud scio, an ne opus quidem sit, nihil umquam deesse amicis.* quod exemplum Schuppius p. 7. temere adhibuit ad demonstrandam negationem in verbis *nescio an.* Brut. 33, 126. *eloquentia quidem nescio an habuisset parem neminem.* ad Quint. fr. 1, 1, 10. *etenim si in promerendo, ut tibi tanti honores tribuerentur, quanti haud scio an nemini, fuisti omnium diligentissimus.* de Off. 3, 2, 6. ad Fam. 9, 14. Senec. de Clem. 1, 6, 2. *quotus quisque accusator vacat culpa? et nescio an nemo ad dandam veniam difficilior sit, quam qui illam petere saepius meruit.* Cic. Cat. 16, 56. *mea sententia haud scio an nulla beatior esse possit.* Cic. de Leg. 1, 21, 56. *quapropter hoc diiudicari nescio an numquam, sed hoc sermone certe non potest.* Terentii locus, quem Gernhardus affert, Heaut. 2, 3, 104. non potest illis annumerari: nam ibi bimembris est sententia: *nescias, eius sit potestas posthac, an numquam tibi:* quod est: utrum umquam, an numquam.

Iam vero permagna est inter viros doctos dissensio, utrum in negativa sententia ita affirmanda post *nescio an* certa ratione semper requiratur negatio *non, nullus, numquam:* quae erat Ernestii sententia, a Schützio Doctr. Partic. p. 199. et ad Cic. Cat. 16. comprobata: an eo modo, quo Germani dicunt *ich weiſs doch nicht, ob jemals, etwas, jemand sey*, etiam verba *quisquam, ullus, umquam* poni possint. Gernhardus, relicta, quam ad Cic. Cat. 16. defenderat, doctrina Ernestiana,

non tantum id fieri posse nunc concedit, sed caussam rei hanc fingit speciosam. Eius verba in Exc. p. 259. haec sunt: „quum autem haec negantis asperitas non ubique cum illa formula, quae verecundiae speciem prae se fert, consentiret: saepe alterum genus aptius ad istam iudicandi modestiam visum est, quod mediis quibusdam inter affirmationem et negationem positis adverbiis vel pronominibus continetur: quae sunt *quisquam*, *ullus*, *umquam*, *usquam*, quae quum per se nihil habent in sese negationis, facillime vero eam aliunde recipiunt, ex praecedente alia voce negativa, vel conditionali, vel comparativa, vel interrogativa negandi vim suam repetunt.“ Atque verbum *nescio* esse, ex quo ista vocabula negativam vim assumant, eaque recepta, circumspicientis curam et cautionem addant sic, ut *haud scio an ulla res sit suavior* denique pariter neget rei alius, quae uspiam sit, maiorem suavitatem, ac si dixeris *nescio an nulla res sit suavior*. Praeterea Gernhardus observavit *quisquam* rarius inveniri quam *nemo*, pro *nullus* frequentius apud Ciceronem esse *ullus*, neque alibi usquam *nihil* vel *numquam* pro *quidquam*, *umquam* reperiri: cuius rei caussam in eo quaerit, quod in comparatione hominum notiores sint vel possint esse cuiusvis generis excellentiae quam rerum omnium praestantiae, quae latius pateant multitudine et naturae suae varietate. Hanc viam, iam a Cortio ad Cic. Epist. 6, 7. monstratam, aperuit Hermannus, qui eam esse dixerat interrogativorum *quisquam*, *ullus*, *usquam*, naturam, ut in iis recondita lateret negatio, cui alibi solerent iungi. vid. Ephem. Lips. 1819. p. 976. et Beierus in Exc. p. 338. qui Hermannum sequutus existimat, vocabulo *ullus* posito sententiam paullo indefinitius exprimi. Schuppius in libro supra commemorato discrimen prorsus contrarium esse dicit hoc: per *nescio an ullus* modeste, sed certo iudicio negari rem, per *nescio an nullus* non nisi possibilitatem poni et iudicium, quod neget, esse indefinitum: nam verbum *ullus* ampliorem notionem in se habere quam *nullus*. Haec quoque redeunt ad illam reconditam negationem, nec, quomodo ita fiat aut fieri possit, quod dictum est, ullo modo apparet. Sed contra hos viros nuper exstitit fortis sententiae ab Ernestio propositae defensor Matthiae in Miscell. crit. a Friedemanno et Seebodio editis Vol. I. p. 679. et in Seebodii Syllog. 1825. p. 24. Mirum videri, si Latini contraria

etiam formula *nescio an ulla* eodem vel certe non multum diverso sensu usi essent: hanc vero formulam non modo incertam ac dubiam esse, sed in nullo loco, ubi legitur, auctoritate librorum conspirantium confirmari: in Gernhardi praeceptis confundi diversam formularum rationem, neque umquam fieri posse, ut negatio in altero sententiae membro posita ad alterum transferatur: et explicatione vocabuli *an*, quam Gernhardus exhibuit, probata, verba Cic. ad Att. 4, 3. *bonorum qui nescio an ulli sint.* ita esse intelligenda: quos nescio sintne aliqui an ulli: quod absurdum esset: denique de discrimine utriusque formulae nullam institui posse quaestionem, quippe quae ipso suo argumento destituatur in certis testimoniis nusquam apparentibus. Atque ita iam Bremius censuerat ad Cornel. Timol. 1, 1. parum valere auctoritatem librariorum huius rei insciorum, et multitudine exemplorum si quid umquam posset probari, eam in hac quidem re esse adhibendam ad impugnandam adversariorum pertinaciam. Tamen defenderunt suam sententiam Beierus in Ephemer. scholast. 1826. 11, 9, 80. afferens locos, qui emendationis excusationem non admitterent in collisione similium litterarum, et Gernhardus in Appendice, qui legitur in Seebodii nova Sylloge (*Neues Archiv.* 1. *Jahrg.* 1. *Hft.* p. 18.). Aliam ibi ille ingreditur viam, nescio an duce Oehsnero, qui in Cic. Eclogis p. 156. fere eadem, sed magis caute et prudenter disputavit. Vocabula *quisquam*, *umquam*, *ullus*, in certae rei desiderio significare non rem definitam, sed aliquam rem esse posse: quare ea in interrogatione, quae alienam sententiam reiiciat, praemissis verbis *nescio an*, *haud scio an* ita poni, ut res modesto modo et mediate negetur. Distingui igitur debere formulas *nescio an nulli sint*, qua aliquid affirmetur, re vera nullos esse videri, et *nescio an ulli sint*, qua indicetur rem, de qua dubitatur, esse posse. In quibus, praeter id, quod haud facile intelligitur, in formula *nescio an ulli sint* exprimi interrogationem, qua adversariorum sententia reiiciatur, vereor ne inanis pugna committatur, et omnia ea, quae vir doctus antea docuerat, uno ictu destruantur. Nam ipse exposuit usum Ciceronis, quo formula *nescio an* cum affirmationis moderatione usurpatur, nec quisquam negabit, dici posse *nescio an ullum*, ubi nesciendi notio cum dubitatione coniuncta tenetur: at illud unum quaeritur,

utrum Cicero aliique scriptores umquam ita loquuti sint, an a consuetudine sua, qua *nescio an* in modesta et moderata affirmatione ponere solebant, umquam discesserint. Güntherus ad Cornel. Timol. 1. propius accedens ad veritatem haec scripsit: „utrumque recte dicitur suo quidque loco: quum enim voces illae *haud scio an* ita interponuntur, ut verbum non addatur saltem ab iis pendens, pro uno vocabulo *fortasse* usurpantur et negationem, siquidem necessaria est, addi oportet: quum vero ita ponuntur, ut adiectum sit verbum ab iis pendens, sensu primario usurpari solent.“ Inter omnes vero acutissime rem perspexit Ochsnerus, quem miror a nemine, ut par erat, laudari: ille certe, quid in quibusdam quaestionis huius partibus plurimum valeret, unus recte pensitavit, et viam, qua incedendum erat, magis quam ceteri omnes declaravit.

Vniversa res ex mea quidem sententia his praeceptis demonstratur. Primum vocabula *quisquam*, *ullus*, *umquam* non sunt, ut vulgo creditur, negativa, sed plenam in se habent definitae rei affirmationem (nam *ullus* est *unulus*, *unus*, et *quisquam* significat unum ex omnibus: vid. egregiam expositionem Prisciani 17, 7, 46.) et ob ipsam hanc caussam, quod nulla res nisi certa negari potest, in negativa sententia ponuntur, sive addita negationis particula, vel verbo, sive in interrogatione dubitativa: neque etiam in comparatione, in qua grammatici negationem reperisse sibi visi sunt, negatio ipsis his vocabulis exprimitur. Hermannus in Ephem. Lips. 1819. p. 975. obscurius loquitur, *ullus* et *quisquam* sua natura prodere negationem. Ochsnerus autem eum, qui *quisquam*, *umquam* dicat, accedere putat ad negationem, et per verba *nemo*, *numquam* in ipsa negatione versari. At illa vocabula non per se negant, sed rem, quae aliis verbis negetur, constituunt certam. Quare Gernhardus quum etiam ad Cic. Lael. 6, 20. medium quemdam locum his vocabulis assignat, negatque iis esse vim affirmandi aut negandi, quae ex praecedente enuntiatione adsciscatur, et re fallitur et verbis. Nam quae sit ista neutralis et vacua vocabulorum natura, intelligi non potest. *Vllus* et *umquam* negativis *nullus* et *numquam* contraria sunt, igiturque affirmativa, quae distincta sua notione differunt ab *aliquis*, *aliquando*, quae sunt *alius nescio quis*, *alias nescio quando*. Quam ob rem si quis modeste et caute affirmaturus, nullam

rem suaviorem esse, dicat *haud scio an ulla res sit suavior*, sententia corrumpitur: sensus est enim, quem verba significant, opinor ullam rem, sive si ulla res est, eam suaviorem esse. Tum vero negatio, quae non adest, nullo pacto potest e verbis alienis *haud scio, nescio* colligi ac traduci: siquidem in verbis *nego fore ullum hominem* non transfertur negatio, sed in se constat: nam dicitur etiam recte, sed alio sensu, *nego aliquid esse*. cf. Cic. p. Cluent. 41, 113. Deinde quum in Ciceronis operibus vix unus locus reperiatur, in quo aut codices meliores non suppeditent integram scripturam verborum *nihil*, *numquam*, *nullus*, aut verba *ullus* et *umquam* non obtineant proximum post *an* locum, facile potest criticis concedi, librarios compendio scribendi *ānullus* deceptos esse.

Vix operae pretium est hos locos omnibus verbis apponere. Ernestius et alii in corrigendis Cic. libris codices adhibuerunt de Orat. 2, 4, 18. de Sen. 16, 56. de Leg. 1, 21, 56. Lael. 6, 20. ubi sedecim codices praebent *nihil*, viginti duo *quidquam*. Vid. Matthiae in Miscell. crit. p. 679. de hoc criseos genere acute disputans, et Grammat. Parisiens. p. 530.

Restant Epist. ad Att. 4, 3. *magna querela et gemitu non dicam bonorum, qui nescio an ulli sint, sed plane hominum omnium:* ubi egregia est Ernestii observatio: „littera prima absorpta est in libris a finali in *an*, ut aliis locis, vel inscitia latinitatis verae. Vult dicere Cicero, vereor ne nulli vel ut ulli sint, id est manifestum, sed hoc in illa formula est, nescio an nulli sint, quod modeste affirmat.“ Orat. 2, 7. *non enim quaero, quis fuerit, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praestantius, quod in perpetuitate dicendi non saepe atque haud scio an umquam, in aliqua autem parte eluceat aliquando.* Dolabella in Cic. ad Fam. 9, 9. *quod nescio an ulli umquam nostro acciderit imperatori.*

Ex his denique colligitur, in hac formula, ubi aliquid non esse coniicitur vel modeste affirmatur, necessario requiri negativa *nullus*, *numquam*. Atque haec una loquutio placuit Ciceroni. Quum vero *nescio an*, *haud scio an*, quorum duplicem esse rationem vidimus, etiam ab eo dicitur, qui ad non credendum propensior est quam ad credendum, recte dicitur *ullus* et *quidquam*. Ita in verbis Caecinae apud Cic. ad Fam. 6, 7. *ac nescio, an tibi gratius opportuniusque acciderit*

potest quidem affirmando substitui *an nihil gratius acciderit:* at dixit ille negaturus *nescio an gratius quidquam acciderit.* i. e. non puto, Hic erat usus recentiorum maxime scriptorum, qui a Ciceronis consuetudine secedebant. Plinius uti Epist. 7, 19. dixerat, *doleo enim maximam feminam eripi oculis civitatis, nescio an aliquid simile visuris.* i. e. an umquam visuris aliquid simile, dicit etiam Ep. 3, 1. *nescio an ullum tempus iucundius exegerim.* i. e. non puto. Et ita Valer. Max. 5, 2, 9. *multa insignia Pompeio, sed nescio an hoc quidquam admirabilius contigerit.* Corn. Timol. 1, 1. *namque huic uni contigit, quod nescio an ulli.* Quinctil. 9, 4, 1. *cui nescio an ulla pars operis huius sit magis elaborata.* 10, 1, 65. *et nescio an ulla — aut similior sit oratoribus, aut* etc. 7, 2, 41. ubi correxit Spaldingius, sicuti in aliis. Senec. Controv. 3. Praef. p. 120. Gron. *splendor orationis quantus nescio an in ullo alio fuerit.* Gellius 5, 20. *nostri quoque soloecum facile, soloecismum nescio an umquam dixerint.* In Quinctiliano Buttmannus ad 12, 10, 2. nullum exemplum certum invenit, in quo ille formulam *nescio an* iunxerit negationi (nam 7, 2, 40. unus tantum codex habet *numquam*), ipseque suspicatur, Quinctilianum in verbis augentibus, laudantibus, asseverantibus, velut *nescio an plurimum* sensu affirmativo, sed *nescio an ullum, nescio an enarrabile* negativo usurpasse. Quod nimium videtur: tamen in hac re cuiusque scriptoris consuetudinem maximopere curemus et servemus necesse erit. Quinctilianus quidem 12, 10, 2. scripsit: *atque ideo nondum est perfectus orator ac nescio an ars ulla.* in quo loco non tam facilis fuisset correctio. In Ciceronis libris quum duo tantum exempla ad Att. 4, 3. et Orat. 2, 7. inveniantur, in quibus *ulli* et *umquam* ab omnibus codicibus adhuc collatis confirmantur, eorumque corruptio in proxima littera *n* latere videatur, quaeritur, sintne in iis locis, in quibus codices variant, certe aliqui, qui ob sensum verborum necessario requirant *ullum* et *umquam.* Atqui nullus est: immo Cat. 16, 56. non poterat dici, ut nunc Gernhardus existimat: *mea quidem sententia haud scio an ulla beatior esse possit:* nam praemissa verba *mea quidem sententia* monstrant sequi debere verbum opinionis certae, non inscitiae. Et in Orat. 2, 7. ubi iam Iuntina exhibet *numquam,* id unum admitti potest resti-

tuta antiqua scriptura *eluceat:* nam Cicero non poterat dicere: *non saepe et non satis scio an umquam*, sed potius *non saepe et nisi fallor numquam.* Restant igitur tantummodo ii loci, in quibus Cicero non interpositis istis vocabulis *umquam, ullus* per verba *haud scio an* negationem expressisse videatur: de qua re vid. p. 314. At Acad. 2, 40, 126. quo modo explicari debeat, dixi p. 315. alter autem locus in ea oratione de haruspic. resp. legitur, cuius de auctore ob hoc quoque argumentum dubitare licet. Quare unus et firmus constare videtur Ciceronis usus. Illud tamen cavendum est, ne cum Lambino ad Cic. de Amic. 6. et cum Ruhnkenio ad Muret. Op. 1. p. 341. omnibus scriptoribus omnino tribuamus, quod Ciceroni vel uni vel cum paucis proprium erat. Recentiores enim scriptores consuetudini sermonis vulgaris aliquid concessisse videntur, idque se in morem vernaculae nostrae linguae tantopere insinuavit, ut vel ii, qui Ciceronis praecepta ad universam latinitatem referrent, aliquando in pervulgatam viam aberrarent. Sic *nescio an umquam* scripserunt Ruhnken. in notis ad Rutil. Lup. p. 22. Ernestius in Dedicat. Opp. Cicer. p. 55. In Mureti Orat. 19. p. 341. correxit Ruhnkenius, in Ruhnkenii Elog. Hemsterhus. Lindemannus. Vid. Kraftii editio p. 307. et 309. Ceterum mirabili casu factum est, ut in nullo loco apud Ciceronem *an nihil* et *an nullus* non discrepantibus codicibus legatur. Loquutionem *haud scio an non*, in qua si *non* cum verbo coniunxeris, nihil erit, quod reprehendas, Bergmannus in Addendis ad Ruhnkenii Opusc. p. 1023. non ciceronianam videri putat, confusis diversarum rerum momentis. Vide nos p. 322.

12. De verbo *dubito*, quod cum *an* componitur, et a grammaticis ad easdem rationes cum formula *nescio an* refertur, tria sunt notanda. Ac primo hoc verbum *dubito* non abit in formulam tam certam ac stabilem, ut non secunda quoque et tertia persona usurpetur. Deinde omnium temporum communis est usus, quo *dubito an* ad affirmationem simpliciter aut cum aliqua modestia adhibetur, ubi is, qui se dubitare dicit, pronior ad affirmationem, intelligit, parum abesse, quin dicat vel faciat. Vid. Hottinger. ad Cic. de Div. 1, 3. p. 11. Heusinger. et Bremius ad Cornel. Thras. 1, 1. qui modestam affirmationem omni dubitatione exemptam appellat. Atque Heusinger id frequentius fieri narrat in

Observat. Antibarb. c. 5. p. 466. Zumptius autem Grammat. 541. et Gernhardus in Syllog. Seebod. p. 19. adeo contendunt, hunc unum significatum affirmativum inesse in verbis *dubito an*, et quod Germani dicunt *ich zweifle ob*, latinis verbis exprimi *dubito num*. Illam vero affirmativam vim ubique valere negavit Matthiae in Seebodii Syllog. 2, 1. p. 27. Equidem si numero exempla, ea rara sunt propterea, quod scriptores frequentius solebant verbum *dubito* usurpare de re ambigua et non magis probabili. Quod exprimitur per *an*, est *an contra*, *an potius*. *Dubito an non*, quod nusquam se invenisse narrat Ramshornius Gramm. p. 559., recte dicitur ita, ut negatio ad verbum pertineat. Post *non dubito* sequitur *quin*.

Cic. ad Fam. 9, 7. *istuc ipsum de Baiis nonnulli dubitant, an per Sardiniam veniat.* i. e. an potius, *ob er vielmehr durch Sardinien kommen werde.* quod est, opinantur venturum esse: quae nos scilicet reddere solemus: *ob er nicht kommen werde.* Cornel. Thras. 1, 1. *si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito, an hunc primum omnium ponam* Quinctil. 9, 3, 107. *nam consequens an epichirema sit, dubitat.* i. e. suspicatur esse. vid. Spalding. ad 1, 5, 47. Curt. 4, 5, 30 *dicitur acinace stricto Darius dubitasse, an fugae dedecus honesta morte vitaret.* i. e. in eo erat, ut — vitaret. Gellius 1, 3. *id ipsum tamen in fine quoque vitae, an iure posset reprehendi culparique, dubitavit.* Chilo ipse dixerat: *quod metuo ne a culpa non abhorreat.* Hinc cum negatione Cic. de Off. 3, 12, 50. *sed dubitet, an non turpe sit.* Locus Cic. ad Att. 10, 8. *tamenne dubitemus, an ei nos etiam cum periculo venditemus, quicum coniuncti ne cum praemio quidem voluimus esse?* ne dictis adversari videatur, tenendum illud est, esse interrogationem, et ironicam quidem. Intellige: *an potius venditemus.*

Denique recentiori tempore quum, ut exposui, *an* amisisset vim disiunctivam, etiam *dubito an* negativo sensu de re haud probabili usurpari coepit. Significat igitur: parum abest quin negem: dubitatione ad negandum vergente.

Curt. 9, 2, 10. *interdum dubitabat, an Macedones tot emensi spatia terrarum, in acie et in castris senes facti per obiecta flumina, per tot naturae obstantes difficultates sequuturi essent.* 7, 7, 18. Quinctil. 9, 3, 65. *quod totum pendet ex finitione, ideoque, an figura sit, dubito.* Plin. Epist.

2, 4, 1. 9, 2, 5. *habes, ut puto, iustam excusationem: quam tamen dubito, an tibi probari velim.* Sed 6, 27, 1. *dubito, num idem tibi suadere, quod mihi, debeam.*

II. Medium locum inter sententias dubitativas et interrogationes occupant eae enuntiationes, quibus praesumitur aliquem dubitare. Cic. p. Balb. 6, 14. *quasi vero levius sit, quum in tanta republica versere et maximis negotiis praesis, facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire, quid liceat.* Lambinus et Schützius scripserunt *quam omnino nescire.* At dicit orator: quasi quis quaerat, leviusne sit facere aliquid, quod scias non licere, an omnino nescire, quid liceat: quod est, nemo dubitabit, quin gravius sit in tali homine, facere quod sciat non licere, quam omnino nescire, quid liceat. In hunc modum emendandus est Plinii Paneg. 89, 2. *cumque eo, qui adoptavit, amicissime contendis, pulchrius fuisset genuisse talem an genuisse.* Vulgo legitur *pulchrius fuisse:* Gesnerus verum expendens coniecit *pulchriusne fuerit:* sed etiam plusquamperfectum aptum est, et facilior ista emendatio. Nam *contendere* in se habet quaeritandi ambiguitatem.

III. Accedimus nunc ad usum vocabuli AN in interrogationibus frequentissimum, quem si totum complecti et in ipsis principiis perspicere velimus, necesse erit, universam doctrinam, quae interrogationis formas Latinis usitatas continet, paucis verbis exponamus. Nam in ea vertitur maxime illa quaestio, neque ulla est grammaticae pars, in qua viri docti, non certo fundamento nisi, sed opinionibus huc illuc traducti, rem, quae stabilis et perspicua erat, obscuritate offusa magis perturbarent, longiusque a veritatis simplicitate aberrarent. Sed quum ante omnia universae rei cardo teneri debeat, ab ipsa adeo interrogationis natura incipiendum est.

Interrogatio igitur quaecumque comprehendit cogitationem incertam et dubitationi obnoxiam, oriturque ex desiderio conficiendae ac confirmandae cognitionis. Duplex autem eius est genus. Nam aut quaerimus de re incognita, quae sit et cur ea sit, v. c. *quis ille est homo? cur negas?* aut interrogamus, sitne res id, quod dicimus, an non, sive aliud. Illud primum genus inservit cognitioni, quae adhuc nulla est, conformandae: hoc alterum exprimit dubitationem, in qua haesitantes nos pronuntiare non audemus, nec possumus, utrum

res sit talis, an alia. Sententia igitur haec disiunctiva est, ipsaque interrogatio hoc modo facta duplicem habet partem, sive verbis expressam, sive non significatam. Nam qui quaerit *paucine sunt*? et *an ita existimas?* cogitat haec plena: pauci, an non pauci sint nescio, utrum aliter, an ita existimes dubito: quare decerne, utrum sit. Respondenti igitur semper ex duabus vel pluribus rebus una est eligenda, illeque aut affirmat, aut negat. Contrahitur autem haec quaerentis oratio, nec plena verbis exponitur iis omissis, quae facile ex altera sententiae parte intelliguntur.

In latino sermone distinguimus triplex huius interrogationis genus: id quod ipsa dubiae cogitationis natura fieri iubet. Primum enim proponuntur duae res aeque dubiae, quarum alteramutram esse decernatur. Hoc plene exprimitur verbis *utrum — an*, vel, omissa in priori parte particula interrogationis, ponitur disiunctivum vocabulum *an*, vel in breviata ac contracta oratione significatur per voculationem aliquanto suspensam, v. c. *infelix est Fabricius, quod rus suum fodit?* Senec. de Prov. 3. *Ne*, quod pro *utrumne* ponitur, simplex est interrogationis nota, nec quidquam aliud significat.

In hac vero ambigua dubitatione quum animus ex duabus rebus unam eligere et comprehendere tendat, facile ad alteram partem deflectit, et in qua parte probabilitatis pondus magis gravescere videt, affirmationem vel negationem ante occupat, quam de veritate decretum est. Talis igitur interrogatio alterum probabilius ac verum esse praesumit, sibique admixtam habet affirmationem vel negationem, quam, qui quaerit, ex sua sententia propositam, etiam ab aliis confirmatam habere vult et exspectat. Quo quidem modo alteri parti pondus probabilitatis additur, alteri detrahitur. Atque hanc iudicii occupationem Latini, ubi ad affirmationem propius accedunt, prioremque interrogationis partem efferunt, verbo *nonne* exprimunt, sive *an* sequatur, sive non sequatur, et omisso vocabulo *non*, verbis *ne — an* vel una voce *ne:* velut *putasne me hoc fecisse?* quod est, ex mea opinione putas: itane est? In hac igitur interrogatione prior pars efferitur, secunda recedit: quare plerumque haec omittitur etiam. Vbi autem negationem ante occupatam habent, et exspectant illud, quod quaerunt, non esse, sed magis valere alterum, quod secundo

loco additur, usurpant *num — an*, quod est *numne — an*, vel omissa vocula *num*, simplex *ne*, quod, ne ambiguitas exsistat, inversa oratione ei verbo adiicitur, in quo maxima sententiae vis inhaeret: velut *num me*, sive *mene fecisse putas?* ubi exspectamus responsionem: *non puto.* Hoc iam interrogatione indicatum erat. Nec deest caussa, cur in altero genere negatio *non*, in altero affirmativum *num*, quod est *nunc*, locum habeat. In hoc, quod ad affirmandum vergit, genere rara sunt exempla interrogationis per duo membra expressae: nam affirmatione ante occupata, nihil attinet contrarium vel oppositum commemorare. Sed potest omitti etiam altera prior pars, ubi rei probabilitatem e contraria vel aliena sententia designamus, ipsi nostram sententiam cohibentes. Atque in ea interrogatione, cuius, si plena verbis conciperetur, prior pars negationem ante occupatam in se haberet, per *num — an* exprimendam, secunda pars, quae contrarium continet, ita intendi potest, ut, omissa priori, ipsa potior fiat, et in locum negandae rei succedat. Neque aliter in interrogatione ad affirmationem inclinata. Haec vero dicendi forma ad id genus pertinet, quod ironiae nomine appellamus. Vbi enim rem probabilem vel affirmandam vel negandam potius censemus, hoc indicamus simulata vel dissimulata probabilitate (quae est ironia) ex aliena sententia, tribuimusque alteri secundae parti interrogationis gravius pondus, quo fit, ut *an* idem valeat quod *an potius, ob vielmehr*, et interrogationis, quae non nisi disiunctionis ope conficitur, primum membrum omitti possit. In hac vero sententiarum transmutatione necesse est mutari negativam et affirmativam formam. Dicunt igitur Latini, quum ad affirmationem inclinant, pro *nonne hoc verum est?* etiam *an non verum est? an falsum est?*, et ubi negationem ante occupant, pro *num quid est amplius?* etiam *an quid est amplius?* quorum illud significat *es gibt doch nicht wichtigeres?* hoc *gibt es vielmehr wichtigeres?* sive *oder gibt es etwa w.?* Hoc igitur tertium est genus interrogationis in colloquiis eo frequentius adhibitum, quo magis vel modestiae vel urbanitatis caussa ad alienam sententiam respicimus, eique orationem nostram accommodamus. Quum Cicero ad Attic. 3, 15. scribit: *sed quid Curio? an illam orationem non legit?* dicit: legitne illam orationem, an non legit? probabilior videtur sententia, Curionem legisse orationem et

irasci: an non ita est? Quod quomodo differat a verbis *nonne legit?* in promptu est. His enim, qui quaerit, simul ex sua sententia affirmat, illis contrariam rem ponit, de eius veritate quaerens. Quare ii, qui *an* reddunt per *etwa: hat er etwa nicht gelesen?* non minus aliquam significationis partem comprehendunt, quam ii, qui *an* dicunt esse *an potius: oder aber hat er nicht gelesen?*

Haec, quae vereor ne ob brevitatem expositionis obscuritate quadam laborare videantur, clarius ut demonstrentur exemplis, apponam formarum interrogationis tabulam.

I. Interrogatio ex utraque parte dubia:

utrum — an, *utrumne — an.* Cic. Acad. 2, 29, 95. *utrum ea vestra, an nostra culpa est?* Terent. Eun. 4, 4, 53. *utrum taceamne an praedicem?*

— an. Plin. Epist. 2, 8. *studes an piscaris?*

ne — an. Cic. pr. Rosc. Am. 41, 119. *quaero abs te, iine qui postulabant, indigni erant qui impetrarent, an iste non commovebat, pro quo postulabant, an res ipsa tibi iniqua videbatur?*

Contracta oratione Cic. ad Fam. 8, 14. *scis Appium censorem hic ostenta facere?*

II. A. Interrogatio ad affirmationem inclinans.

non — an, *nonne — an*, *ne — an.* Terent. Andr. 1, 2, 30. *hoc intellextin, an nondum etiam ne hoc quidem?* i. e. nonne hoc intellexisti, an ne hoc quidem?

nonne —, *non —.* Cic. de Nat. d. 1, 35, 97. *canis nonne similis lupo?* Plaut. Epid. 4, 2, 18. *non patrem ego te nominem, ubi tu tuam me appelles filiam?*

ne —. Cic. Acad. 2, 18, 57. *videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo?*

B. Interrogatio ad negationem inclinans.

numne — an, *num — an*, *ne — an.* Cic. de Orat. 1, 58, 249. *num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut imperandum villico sit, Magonis Karthaginiensis sunt libri perdiscendi, an hac communi intelligentia contenti esse possumus?* ad Fam. 2, 5. *unum illud nescio, gratulerne tibi an timeam?*

numne —, *num.* Cic. de Nat. d. 1, 31, 88. *deum ipsum*

numne vidisti? ad Fam. 11, 27. *num quidnam novi? es ist doch nicht etwas vorgefallen?*

ne —. Cic. ad Fam. 2, 11. *putaresne umquam accidere posse, ut mihi verba deessent?* de Orat. 1, 52, 226. *potestne virtus servire?*

III. Interrogatio ex aliena vel contraria sententia.

— an. Terent. Adel. 3, 4, 21. H. *nondum audisti, Demea, quod est gravissimum?* D. *an quid est etiam amplius?* quod idem ac si ex sua sententia dixisset: *num quid est amplius?* i. e. nihil amplius esse putabam.

His contraria docuisse videtur Gernhardus, cui quae prae ceteris placuerit sententia, in tam variis explicandi periculis haud facile perspicias. Atque primo in Comment. gramm. Part. 2. p. 7. distinguit tria genera interrogationis, quae sint in disiunctione, in contrariarum rerum oppositione, in oppositione per negationem significanda. Quorum omnium rationem nondum satis perspexi, eaque ab ipso auctore nunc improbari suspicor. In Excursu Laelio addito p. 247. posuit, in interrogatione bimembri eam sententiam, quae posteriore parte continetur, praefixa particula *an*, potiorem semper et ab affirmatione profectam esse, eam autem interrogationem, quae per *nè* indicatur, pene parem esse negativae sententiae. Quod refellitur illis, quae attulimus, exemplis, in quibus illud: *videsne, ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo?* non significat *num vides?* sed *nonne vides?* Et in eo, quem ipse affert, Terentii loco Adelph. 3, 4, 21. *an quid est etiam amplius?* si vera esset haec doctrina, Demea diceret de sua sententia, se putare esse aliquid amplius. At contraria eius erat sententia, ex qua dicebat: nonne gravissimum illud est, an aliquid amplius? Sed omissa priori parte ex sententia Hegiae quaerebat, an aliquid an plius esset. Nec, si Gernhardum sequimur, intelligitur, quo pacto illud *putaresne umquam accidere posse?* etiam exprimi possit verbis, *an putares umquam accidere posse?* Tenendum erat ante omnia, in quacumque interrogatione hypothetica inesse disiunctionis rationem, neque unam alteram partem, quae *an* praefixum habet, intendi ac potiorem fieri posse, sed utramque. In Seebodii Nova Sylloge p. 20. Gernhardus de ordine membrorum quaerit, et, si quid probabilius esse videatur, id semper secundum locum obtinere putat. In exemplis

comparatis est Liv. 2, 40, 5. *sine, priusquam complexum accipio, sciam ad hostem an ad filium venerim?* At inverte verba *sciam ad filium an ad hostem venerim?* et habebis eumdem sensum: immo quum pergit Veturia: *captiva materne in castris tuis sim?* vocularione distinxisse videtur nomen *hostis:* nam si probabilius ei visum fuisset se ad filium venire, cur in ipso complexu rursus quaesivisset de hac re dubia? Denique vir doctissimus, quum nuperrime a Matthiae impugnaretur, perfugium sibi apertum vidit in praeceptis illis, quibus in Append. p. 23. doceret, esse interrogationis duplex genus, alterum in confirmanda aliqua sententia, alterum in reiicienda adversariorum falsa opinione adhibitum. Quod tantum abest, ut assensione comprobemus, ut ita censeamus: quamcumque interrogationem per *an* formatam inservire aliquo modo oppositioni, sive adversasius aliquis reiiciendus, sive contraria sententia proferenda, sive aliud quid rhetorica inversione efficiendum sit. Nam pertinet totus hic usus ad artem rhetoricam, nec diversa dictionis genera ponamus necesse erit. Illud tamen miror, Gernhardum non quaesivisse de indiciis istius discriminis. Nam quid impedit, quo minus verba Terent. Phorm. 2, 2, 44. *nostran' culpa ea est, an iudicum?* ita accipiamus: nonne nostra culpa, an iudicum? et illud Cic. de Orat. 3, 29, 114. *naturane ius sit inter homines an opinionibus* pro his: num natura ius sit, an opinionibus? Qui enim fit, ut hoc sensu dicere oporteat, *opinionibusne an natura?* quod Gernhardo videtur. Cur scripsit Cicero Phil. 10, 2, 5. *quaerere non poterat: eum Antoniine similem malis, an Bruti?* Deest igitur ratio: neque ista, quae affert Gernhardus exempla, in se habent, quo adversarii reiiciantur, sed rem ex utraque parte dubiam. Alia etiam decreta Hermannus fecit in Ephemerid. Lips. a. 1812. p. 103., quae latinis verbis reddidit Beierus ad Cic. Off. 1, 14. p. 116. Ille enim interrogationem, qua quis non tam quaerit, quod nescit, quam id, quod ipse ait aut negat, ab aliis confirmatum vult, rhetoricam appellat, sed cur ista sententiae confirmatio non nisi per contrariae sententiae negationem fiat, non declarat, neque etiam exponit, quo rhetorica interrogatio, qua qui quaerit non suam sententiam, sed contrariam pronuntiet, ab ea differat, quae cum ironia coniuncta etiam contrariam sententiam proponat. Sed haec ironia communis

est cuiusque orationis forma, nec peculiare constituit interrogationis genus: de qua re postea dicam. Quartum autem, quod invenisse sibi videtur Hermannus interrogationis genus, quo is utatur, qui aliquid improbet et per simplicem inscitiae interrogationem indicet, sibi non constare de eo, quod aliis certum fuerit visum: id, si quid video, nullam habet proprietatem, sed ad usum interrogationis pertinet in significanda admiratione, indignatione, acerbitate, iracundia, aliave animi commotione, cuius tamen nullus est locus in oratione obliqua. Sed revertamur ad singula capita exemplis et distinctiore expositione illustranda.

I. 1. Bimembris igitur omnis est interrogatio, in qua *an* alteram rem alteri opponat, idque significet, quod extra dubitationem indicat *aut*. Quare etiam in interrogatione praecedunt *utrum*, *utrumne*, *ne* vel omittitur in prima parte particula. Responsione ex propositis rebus alterautra constituitur: utraque ei, qui quaerit, pariter incerta videbatur. In his *an* pluries poni potest ob multiplicem disiunctionem.

Plaut. Cas. 2, 4, 11. *sed utrum nunc tu coelibem esse te mavis liberum, an maritum servum aetatem degere?* Cic. Verrin. 1, 47, 122. *in plebem vero romanam utrum superbiam prius memorem, an crudelitatem?* quo loco Gernhardus demonstrare voluit, alterum, quod quaeritur per *an*, gravius, non aeque dubium esse: id quod Cicero ipse indicasset adiectis verbis *sine dubio crudelitas gravior est et atrocior.* At ille haec non addidisset, nisi aequabilitas in interrogatione expressa hac responsione fuisset reiicienda. Cic. ad Fam. 7, 13. *utrum superbiorem te pecunia facit, an quod te imperator consulit?* Liv. 21, 10, 6. *utrum hostem, an vos, an fortunam utriusque populi ignoratis?* in Verr. 3, 36, 83. *utrum impudentius a sociis abstulit, an turpius meretrici dedit? an improbius populo romano ademit? an audacius tabulas publicas commutavit?* ad Att. 9, 2. *utrum hoc tu parum commeministi, an ego non satis intellexi, an mutasti sententiam?*

Plin. Hist. n. 17, 1, 1. *Crassus, utrumne igitur ego sum, inquit, quaeso, Domiti, exemplo gravis ab ipsa mea censura notandus, qui in domo, quae mihi hereditate obvenit, comiter habitem, an tu qui H - S millies sex arbores aestimes?*

Cic. p. Rosc. Am. 27, 74. *indidemne Ameria, an hosce ex*

urbe sicarios? ad Att. 16, 8. *Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum fugiam?* et 16, 10. *tria sunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam.* 13, 20. Plaut. Pers. 4, 3, 64. *tacesn', an non taces.* Terent. Hec. 4, 1, 43. *roga, velitne, an non uxorem.* Cic. Phil. 1, 5, 11. *solusne aberam, an non saepe minus frequentes fuistis?*

Cic. p. Mil. 20, 54. *quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes?* Verrin. 2, 77, 188. *postulo, mihi respondeat, qui sit iste Verrutius, mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius: in Sicilia sit, an iam decesserit.* In his critici vulgo supplendum censebant in priori parte *utrum* et *ne*, et quod ineptum erat, *an.* Sed vid. Burm. ad Quinctil. Inst. 5, 13. ad Vellei. P. 2, 86. ad Lucan. 5, 569. Oudend. ad Caes. B. G. 7, 5. Schwarz. ad Plin. Pan. 40, 5. 89, 2.

Distinguendae sunt, quae multos fefellerunt, eae interrogationes, in quibus *an* non alterum constituit membrum, sed aliud verbum annectit, ipsum pro *aut* positum. Sic Iuvenal. 2, 121. *o proceres, censore opus est, an haruspice nobis?* quod non est: utrum censore an haruspice, sed: utrum non opus est, an opus est censore aut haruspice?

2. Vbi interrogatio inclinat ad affirmationem, addi quidem potest in altero membro *an*, sed rara esse exempla ob ipsam rei naturam, supra exposuimus. Nam quam rem affirmandam esse suspicamur, ei contrarium addere nil attinet.

Terent. Andr. 1, 2, 30. *hoc intellexistin, an nondum etiam ne hoc quidem?* i. e. *du hast doch dies gehört, oder nicht einmal dies?* Sicuti Cicero ad Att. 12, 24. *velim, me certiorem facias, P. Crassus — vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post.* Ter. Phorm. 5, 6, 13. *sed isne est quem quaero, an non? ipsust.* Neque aliter Ad. 5, 2, 6. *non manum abstines, mastigia, an tibi iam mavis cerebrum dispergam hic?*

Ita explicandus est locus Horatii Art. p. 265. a criticis vehementer vexatus: *idcircone vager, scribamque licenter, an omnes visuros peccata putem mea, tutus et intra spem veniae cautus?* quorum sensus est: nonne igitur ob hanc caussam negligenter scribam, an, qui tutus a reprehensione sim, potius putem omnes visuros esse mea peccata?

3. Si negatio ipsa interrogatione occupatur, addi-

tur *an* praemissis particulis *num*, *numne*, *ne:* nam *ne* pro *numne* dicitur. vid. Bremi ad Cic. Fin. 2, 19, 60. Tunc vis probabilitatis augetur in secunda parte, et dicitur illud non verum, hoc autem verum videri.

Cat. 7, 23. *num philosophorum principes — coegit in suis studiis obmutescere senectus, an in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit?* ubi Gernhardus (utor Beieri mei verbis) nulla prioris interrogationis ratione habita e nonnullis codd. rescripsit *an non:* sed cf. de Orat. 1, 58, 249. de Leg. 2, 2, 5. ad Att. 1, 3, 2. de Fin. 2, 31, 102. *idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? certe non potest. an eiusdemmodi? ne id quidem.*

Cic. de Orat. 3, 33, 135. *num, quia ius civile didicerat, caussas non dicebat? aut quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat?* Si scripsisset *an*, significaret hoc alterum verum videri: at neutrum erat negaturus: ut bene intellexit Matthiae ad orat. p. Rosc. 21, 59.

4. Ita praemissa negativa interrogationis parte, addi potest altera cum quodam correctionis indicio: quo fit, ut *an* pro *an vero*, *an potius* positum accipias post *num* et *ne*. Non item praecedente vocabulo *utrum*, quod Goerenzius videtur concessisse ad Cic. Fin. 2, 19, 60. Tunc enim vocabulum, quod oppositionem exprimat, addendum est.

Cic. de Fin. 2, 33, 107. *ea, quae dixi, ad corpusne refers? an est aliquid, quod te sua sponte delectet?* i. e. an est aliquid contra, quod etc. Additur *potius* in Terent. Eun. 2, 3, 90. *an id flagitium est, si in domum meretriciam inducar — atque eas itidem fallam, ut ab illis fallimur? an potius haec patri aequum est fieri, ut a me ludatur dolis?* Post *utrum* dicitur *an potius* apud Plaut. Trin. 2, 2, 25.

His non repugnat Verr. 3, 48, 113. ubi scribendum est: *erravit —, an potius insanivit Apronius?* Neque enim dicitur: num erravit, an potius insaniit: sed transit oratio recta in interrogationem, qua aliud vocabulum substituatur *erravit: an dicam insaniit?* Coniici etiam potest *ac potius*, ut de Off. 1, 20, 68. In prima parte nihilominus additum legitur *potius* apud Cic. de Fin. 2, 32, 102.

5. In hac bimembri interrogatione mutatur forma ad eum modum, ut in locum prioris partis per *utrum* vel per *num* designandae succedat alia quaestio per *quid* vel *cur* formata. Cic. in Verr. 1, 48, 127. *utrum ne*

his quidem testibus crederetur? an haec ad rem non pertinent? — quid est, Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non sit? an id, quod dicunt, leve est? Interrogationes sibi respondent: utrumne, sive num caussa dubitationis cernitur in testium auctoritate, an quod haec ad rem non pertinent? utrumne, s. num testibus nullus hic locus est, an id, quod dicunt, leve est? Haec inter se opponuntur tamquam varia argumenta. Plura infra dabimus.

6. Sed distinguenda sunt ea exempla, in quibus *an* praemissa alia interrogatione anaphorae inservit. Hoc enim modo duae res disiungi possunt, quae non sibi contraria sunt.

Catull. 29, 15. *parum expatravit? an parum helluatus est?* Liv. 41, 24, 8. *opportuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus? an infirmissimi omnium, tamquam, quos nuper subiecit, Dolopes?* Ita enim interpungendum est.

7. In bipartita interrogatione saepe negatio opponitur per verba *an non* et *necne*. Sed quaeritur et de discrimine horum verborum, et de constructione. Atque Ernestius ad Cic. Tusc. 2, 12. observavit, Ciceronem posito *necne* numquam idem verbum repetere: unde regulam confecit Zumptius p. 554. quae quod aliunde efficiatur, non ipsam caussam spectat. Ramshornius p. 502. et Schulzius p. 590. ita distinxerunt: in altero membro quum negatio poneretur, aut dici rem non esse posse, aut eam non esse: illud exprimi vocabulo *necne* de opinione dicto, hoc particulis *an non*. Cuius discriminis rationem, qualem viri doctissimi substruxerint, et quo pacto illud *necne* ad id, quod esse non posset, retulerint, nemo intelligit, neque utriusque generis interrogationes ab universa regula discedunt. Nec enim in *necne* non disiunctivam potestatem habet, sed copulativam, eoque posito continuatur una quaestio per adiectam negationem: veluti quum quaero, illud fiat necne fiat, duo comprehenduntur uno nomine, fieri et non fieri aeque et simul dubium esse. Vbi autem oppositio contrarii fit, et disiunctionis ratione res negatur, sive notiones simpliciter opponuntur, rem esse aut non esse, sive altera pars maiorem recipit probabilitatem, rem esse aut potius non esse, dicamus *an non*, i. e. *aut non*, necesse est. Quibus omnem huius loquutionis proprietatem complectimur. Illa igitur interrogatio, in qua, ut demonstravi,

quaerentis sententia praeoccupata ad alteram partem affirmandam flectit, non potest non admittere *an non*. Veluti Ter. Phor. 5, 6, 12. *isne est quem quaero, an non? ipsust*. In *necne* nulla omnino est oppositio, sed aequalis in utraque parte dubitatio. Cic. p. Mur. 11, 25. *posset agi lege necne, pauci quondam sciebant*. i. e. pauci sciebant, posset agi lege et non posset. Horat. Sat. 1, 4, 45. *quidam, comoedia necne poema esset, quaesivere*. i. e. esset et non esset, utrumque quaesivere. Si scripsisset *an non*, quod potuit ob ea, quae adduntur, sententia negantium indicata esset. Haec eadem caussa est, quapropter *necne* non nisi in obliqua interrogatione poni soleat, *an non* plerumque in recta, rarius in obliqua. Qui enim recta oratione quaerit, certam adhibet distinctionem, et tantum non semper occupatam sententiam tenet. In narratione et in quocumque dubitationis vel quaestionis factae indicio, quod exprimitur oratione obliqua, diversae res, de quibus dubitatur, simpliciter nominantur, aequalique modo nectuntur: quare recte componuntur per copulativum *necne*. Atque ita fit, ut posito *necne* idem verbum rarius in negatione iterum repetatur quam omittatur: id quod Ernestium tantopere fefellit, ut ad Cic. Tusc. 2, 12, 29. et de Nat. d. 3, 7, 17. regulam incredibilem conficeret, quasi Cicero numquam in hac loquutione idem verbum bis posuisset, et scripsisset *hoc doce, doleam necne, nihil interesse*, non *doleam, necne doleam*. Nam quando notio verbi cum distinctiori vi intelligitur, etiam Cicero bis ponit verbum, nec quidquam ipse Ernestius mutavit in libr. de Divin. 1, 39, 86. Vid. Davis., Heindorf. et Moser. ad Cic. de Nat. d. 3, 17. Bremi ad Cic. de Fato p. 54. Goerenz. ad libr. de Fin. 5, 16, 45. Liv. 8, 13, 14.

II. Haec quidem de interrogatione, in qua duo membra verbis exprimuntur. Sed omitti potest prima pars disiunctionis. Hinc exsistit interrogatio per unam particulam *an* formata, cuius vim ac proprietatem non uno modo constituerunt grammatici. Tursellinus et Pareus ei tribuerunt vim instandi negandique vehementius: Schwartzius etiam vim occupandi, quam alienam esse notavit Ernestius, sed temere. Etiam Hermannus aliquando opinabatur, *an* proprie requirere responsionem negativam. Contrarium docuit Schützius his verbis: „Particula AN primum praeponitur interrogationi

directae eique simplici, ubi Germani eam prorsus omittunt. Deinde ponitur in interrogatione directa, sed eadem vehementiore, et cum quodam animi affectu pronuntiata, praesertim quum id interrogamus, quod vel alteri affirmandum esse certo scimus, vel ab eo negari mirandum esset." Ramshornius in Gramm. 174. *an*, per *etwa* reddens, in interrogatione dubitantis et suspicantis poni dicit, ubi animus eius, qui quaerit, dubitet quidem contrariam sententiam approbare, tamen magis inclinet, ut eam accipiat. Quae omnia quum non nativam particulae vim comprehendant, satisfacere non possunt. Nam affirmationem in tali interrogatione exspectari eique adiici, multa exempla et res ipsa declarant. Nusquam autem ponitur *an* in simplici atque recta interrogatione, neque dubitatio in contrariam sententiam inclinans una esse potest, qua eiusmodi interrogationem ab aliis distinguamus. Atque in ipso, quod Ramshornius e Cic. Tusc. 3, 1. affert, exemplo non erat, quod Cicero veritatem caussae prolatae negaret. Inter omnes igitur grammaticos unum Zumptium video rem acute perspexisse, quum et disiunctivam vim particulae et duplicem, qua interrogatio constat, partem ubique supplendam teneret. Quamquam ille ipse secum pugnans ait, *an* nihil significare, sed formam interrogationis explere. Illud vero imprimis addendum est, hanc interrogationem de aliena aut contraria sententia confici, quo fiat, ut simulationis sive ironiae ratio accedat. Sed nos usum per singulas partes persequamur.

1. Quaecumque interrogatio per disiunctivum *an* formata altera est pars interrogationis bimembris, cuius prima pars aut expressa est in sententia antecedente, quae in interrogationem transit, aut intelligitur ex verbis aliis, quae praecedunt, vel ex totius orationis progressu. Veluti apud Plaut. Asin. 5, 1, 10. De. *credam ego istuc, si esse te hilarum videro.* Ar. *an tu esse me tristem putas?* sententia haec est: hilarumne me vides, an me tristem putas? Quare desideratur semper aliquid oppositum vel contrarium, quod in interrogantis animo supprimitur. Nam quod, quum interrogat, proponit, illud est, quod ex aliena sententia dici cogitarive possit. Neque *an* umquam significat *fortasse*, *etwa*, sed *aut*, *oder:* et vocabulum *etwa* in reddendis verbis adhibere possumus propterea, quod, quae dicuntur, simulate et per alienae sententiae coniecturam di-

cuntur. Quae eadem est caussa, cur plerumque requiratur negativa responsio. Nam inest ironia. Apud Terent. Eun. 4, 5, 7. quum loquuntur Chremes: *sed Thais multo ante venit.* Pythias: *an abiit iam a milite?* (ita enim scribendum est) plenam habemus hanc sententiam: putaveram Thaidem esse apud militem: nonne igitur apud militem adhuc est, an abiit iam ab eo? Atqui talis interrogatio semper cohaeret cum iis, quae antecedunt. Ita interposita responsione pergit oratio apud Plaut. Amph. 3, 3, 7. *iam vos redistis in concordiam?* Iv. *Derides, qui scis haec iam dudum me dixisse per iocum.* So. *An id ioco dixisti?* 2, 2, 111—113. Plaut. Bacch. 1, 2, 12. *an deus est ullus suavis suaviatio?* Haec referri debent ad superiora, *quid tibi commercii est cum diis damnosissimis*, quae negaturus erat Pistoclerus.

Quod Schützius de Partic. p. 68. docet, *an* simplici interrogationi praeponi, ubi Germani nullam particulam ponant, falsissimum est, et abhorret ab omni ratione. Nemo unquam incipere potest sermonem ab interrogatione per *an* formata. Quamquam grammatici olim in quacumque interrogatione particulam *an* desiderare solebant, et ipse Gernhardus in Comm. gram. p. 6. de serioris aetatis scriptoribus narrat, apud eos non raro priorem interrogationem aperiri per *an*, et Beierus in Exc. p. 336. de primitiva vi particulae obsoleta loquitur. Ille affert exemplum Quinctiliani 3, 5, 6.: sed id obliquae est interrogationis, ideoque alieni generis. Falsa etiam sunt, quae Krebsius docuit in Art. latine scrib. doctr. p. 339.

2. Inversa igitur est haec interrogatio, ut supra demonstravimus, qua ex aliena et contraria sententia id dicimus, quod ex nostra sententia per *num*, vel quod pro eo ponitur, per *ne* exprimendum esset. Id non satis perspectum habuit Ernestius ad Cic. de Fin. 2, 19. n. 13.

Varro de Re r. 3, 2, 11. *anne dulcior est fructus apud te ex bubulo pecore, unde apes nascuntur, quam ex apibus, quae ad villam Seii in alveariis opus faciunt? et num pluris nunc tu e villa illic natos verres lanio vendis, quam hic apros macellario Seius?* In his *anne* et *num* idem significant: nam sunt diversae unius interrogationis partes ac formae: *nonne aeque dulcis, an dulcior?* et *num pluris, an aeque multos? An putas*, quod Cic. de Nat. d. 1, 27, 77. dixit, idem est quod ad Fam. 2, 11. *putaresne?* i. e. num putares. Plaut. Bacch. 5,

2, 43. *an amas?* non est: amasne? *liebst du?* sed num amas? *du liebst doch nicht?* s. *oder liebst du gar?* Cic. de Leg. 3, 15, 33. *an etiam id dubium est?* quod Terent. Phorm. 5, 2, 9. *etiam idne dubiumst?* Hinc Plautus variata dictione Trin. 4, 2, 77. *an Chares? an Charidemus? num Charmides?* Lactant. Epit. 29, 1. *cur ergo verus deus patitur haec fieri? an potius malos vel summovet, vel exstinguit?* explicant *cur non*, Davisius corrigit *ac potius*, Bünemann. *nec p.* At *an potius* idem est quod *num potius.* Cic. Parad. 5, 2, 36. *an ille mihi liber, cui mulier imperat?* Vincent. Bellovac. et duo codd. a Goerenzio collati *numquid.* de Fin. 2, 19, 60. ubi conf. not. Bremii et Goerenzii.

3. Sed eodem modo etiam id quaerimus, quod ex nostra sententia cum affirmatione essemus interrogaturi per vocabulum *nonne.* Ex Hermanni praeceptis id negabitur, sed perperam. Saepe interponitur *credo.*

Plaut. Men. 5, 5, 59. *an, qui perperam insanire me aiunt, ipsi insaniunt?* i. q. nonne ipsi insaniunt. Est vero, si totam sententiam exprimis: estne illud non verum, an ipsi insaniunt? Ovid. Her. 17, 247. *an fera Centauris indicere bella coegit Atracis Haemonios Hippodamia viros?* ubi alii *an* pro *annon* positum esse existimaverunt, Hermannus autem negationem quaesivit in verbis, quae sequuntur: *tu fore tam iusta lentum Menelaon in ira — putas?* At ibi neque illa recondita latet, neque haec verba constituunt alteram interrogationis partem, neque etiam sensus est verborum: poteratne Hippodamia bellum movere, ego autem non? *An* idem exprimit quod *nonne*, sed inversa oratione, quae plena haec est: ibitne per gladios noster amor, an coegit Hippodamia viros etc. sed posito *nonne* cur non addatur altera pars, supra indicavimus.

Vt Cic. de L. agr. 1, 6, 19. *vos haec, nisi evertere remp. cuperetis ac vobis novam dominationem comparare, credo, quam perniciosa essent, non videretis.* ita etiam Sulpic. ad Cic. 4, 5. *an illius vicem, credo, doles?* quod non explicandum: num eius vicem doles? uti Matthiae voluit, sed: nonne vero illius vicem doles? Id bene sensit Manutius, cui magis placuit: *at illius vicem, credo, doles.* Alia est et contraria ratio in ironia, cuius exemplum vide apud Lucret. 5, 175. cf. Fabric. ad Virgil. Aen. 7, 297.

4. Ex his autem facile colligitur, quo iure *an* pro *annon* positum esse critici censuerint. Nusquam enim *an* pro *annon* dicitur, et qui ita fieri opinabantur, falsi sunt vernacularum linguarum usu. Wopkens. Lect. Tull.

p. 36. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 15, 5. 3, 17, 2. Hottinger. ad Cic. de Div. 2, 13. p. 199. Wolf. ad Sueton. Octav. 54. Gernhard. ad Cic. Off. p. 59. Goerenz. ad Cic. de Leg. 2, 2, 5.

Cic. de Off. 1, 15, 48. *quodsi ea, quae utenda acceperis, maiore mensura, si modo possis, iubet reddere Hesiodus: quidnam beneficio provocati facere debemus? an imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt quam acceperunt?* de quo loco disputavit Hermannus in Ephemerid. Lipsiens. 1812. p. 103. quem etiam Beierus sequitur, quamquam ipse vulgatam excusari posse putat eo, ut post praecedentem interrogationem: *quidnam facere debemus?* intelligatur *nonne idem*, et ad *an* in altera interrogatione *potius*. At nemo ita umquam loquutus est: nonne idem faciamus, quod Hesiodus iubet, ut maiore mensura acceptum reddamus, an potius imitari agros, qui multo plus efferunt quam acceperunt? Codices alii praebent *an non*, idque Hermanno necessarium esse videtur. Et recte quidem, si hunc sensum statuamus: quidnam facere debemus? nonne imitari agros? Illud autem maxime miror, Beierum eam explicationem, quam ipse attigit, non fortiter comprehendisse. Nam defendi potest *an* praecedente alia interrogatione de re constituenda: quo quidem exsistit haec sententia, *quidnam* pro *num aliud quid* accepto: num aliud quid beneficio provocati faciamus, an imitari agros fertiles? Cic. de Leg. 2, 2, 5. *numquid duas habetis patrias? an est una illa patria communis?* i. e. an potius. Ernestius et Wyttenbach. necessarium esse putabant *an non*, quod, nisi praecederet *numquid*, scribi posset. Verum perspexerunt Hermannus et Beierus. De loco Ovid. Her. 17, 247. iam loquutus sum p. 344. Cic. de Div. 2, 13, 31. *an hoc eiusdem modi est, quale pherecydeum illud, quod est a te dictum?* ubi Hottinger explicat *annon*. de Orat. 1, 58, 249. olim scribebatur: *num igitur, si cui fundus inspiciendus, — Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi? an hac communi intelligentia contenti esse possumus?* nunc autem Müllero auctore: *num — perdiscendi, an possumus?* Non item factum est Cat. 7, 23. de quo loco infra.

5. Plurimus huius concisae interrogationis usus in vulgari sermone cernitur, ubi qui loquitur, contrarium esse praesumit, vel optat, et ipse miraturus esset, si hoc, quod non esse existimat, affirmatum tamen videret. Quod quidem explicari potest per verba *metuo credere, nolo putare, ich will nicht glauben, dafs.* Cic. Brut. 49, 184. quum dixisset: *sed audies ex me*

fortasse, quod non omnes probent. Atticus: *an tu, inquit, id laboras, si huic modo Bruto probaturus es?* In eius enim animo plena haec versabatur cogitatio: utrum putas non omnes te probaturos esse, an potius, quod mirum esset, laboras, uni Bruto ut probes. Sic *an credis?* nos dicimus *du glaubst doch nicht gar?* Vtimur autem fere hac loquutione in quacumque vehementiori animi commotione, veluti in irrisione, in metu, in ira, in indignatione. Atque hac ipsa ratione differt *an* ab *num*. Illud enim vim rhetoricam exserit, qua urgere solemus rogando: quod bene cognovit Reisigius ad Soph. Oed. Col. Comment. p. 309.

Cic. Tusc. 4, 24, 54. *est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere quam constans? an quisquam potest sine perturbatione mentis irasci?* ad Att. 8, 11. *an censes, nihil inter nos convenire?* Brut. 50, 186. de Fin. 2, 28, 92.

Terent. Andr. 5, 2, 8. S. *quid istic tibi negoti'st?* — D. *modo ego introivi.* S. *quasi ego quam dudum rogem.* D. *cum tuo gnato una.* S. *anne est intus Pamphilus?* i. e. *oder ist wol gar P. drinnen?* Cohaerent: *quid istic tibi negotii est? anne est intus P.* Plaut. Amph. 2, 2, 141. *an etiam id credis quae in hac cistellula tuo signo obsignata fertur?* i. e. *du glaubst doch wol nicht gar?* sed plene: *nonne aliam intelligis pateram, an etiam id credis?* Merc. 5, 4, 20. *an abiit?* i. e. *er ging doch nicht gar?* quod aliquantum differt a verbis Pers. 1, 1, 51. *iamne abis?* Poen. 5, 4, 57. *an patruus est, Agorastocles, tuus hic?* 5, 2, 30. Mi. *vin' appellem hunc punice.* Ag. *An scis?* quod mirans dicit cum quadam irrisione: *verstehst denn du es?* Terent. Hec. 5, 4, 38. *an temere quidquam Parmeno praetereat, quod facto usus sit?* Senec. Phoen. 449. *ego utrumque peperi. ponitis ferrum ocius? an dico, et ex quo?*

6. Quare componuntur cum hac interrogatione particulae exclamationis et vocabula, quibus mirantes et indignantes orationem suam intendere solent, *amabo, obsecro.*

Plaut. Most. 2, 2, 23. *eho, an tu tetigisti has aedes?* i. e. *du hast doch nicht dieses Haus berührt?* 5, 1, 35. *eho, an negavit sibi datum argentum, obsecro?* Mil. 2, 3, 30. *eho, an non domi est?* i. e. *wie? er wäre nicht zu Hause?* 3, 2, 9. 3, 2, 27. Cist. 1, 1, 70. Quae ita intelligi possunt, quasi praecedat: *quid dicis?* de qua structura infra. In laeta ex-

spectatione Plaut. Bacch. 2, 2, 22. *eho, an invenisti Bacchidem?* Trin. 4, 2, 144. *eho, quaeso, an tu is es?*

Plaut. Cist. 2, 3, 22. *an, amabo, meretrix illa est, quae illam sustulit?* Merc. 3, 1, 41. *amabo, an maritus est?* Pseud. 1, 1, 27. *an, obsecro, hercle habent quoque gallinae manus?* Poen. 2, 29.

7. Huius interrogationis proprius est locus, ubi a nostra sententia ad alienam, sive in argumentatione a re proposita ad universam, quae contraria est, rem transgredimur, ut per eam negandam et refutandam illius veritatem confirmemus, et obiectionem inanem ac falsam occupemus. Quasi interponatur haec interrogatio: estne hoc verum, an aliter res se habet? an putatis illud esse posse? Ita simulate et cum ironia interrogantes comparatione contrariorum adversarios nostros ad absurdum deducimus. Saepe interponitur *vero*, quod sensum non mutat, sed vim tantum addit in efferendo eo, quod, si esset, miraremur.

Cic. in Pison. 5, 10. *neque vero multum interest praesertim in consule, utrum ipse perniciosis legibus, improbis concionibus rempublicam vexet, an alios vexare patiatur. An potest ulla esse excusatio, non dicam male sentienti, sed sedenti, cunctanti, dormienti in maximo reip. motu consuli?* in Verr. 1. Act. 9, 27. expositis, quae consilia a Verre iam inita et constituta fuerint, pergit: *an me taciturum tantis de rebus existimavistis?* i. e. *oder glaubtet ihr* etc. cf. 1, 39, 102. de Off. 3, 29, 105. *nam quod aiunt minima de malis, id est, ut turpiter potius quam calamitose: an est ullum maius malum turpitudine?* Tusc. 4, 23, 52. *nescio, ecquid ipsi nos fortiter in republica fecerimus. si quid fecimus, certe irati non fecimus. An est quidquam similius insaniae, quam ira?* h. e. concedisne, me, si quid fortiter fecerim, iratum non fecisse, an putas quidquam similius insaniae esse ira? de Div. 1, 14, 24. *quae tandem id ars non habet? — An medicina ars non putanda est?* Ovid. Her. 17, 165. *Sic meus hinc vir abest, ut me custodiat absens. An nescis longas regibus esse manus.* quod non est, uti Schützius reddidit: mirarer, si nescires, *weifst du denn nicht?* — sed: hoccine non verum videtur, an nescis —: *oder weifst du nicht?* Cic. Tusc. 4, 25, 55. *oratorem vero irasci minime decet, simulare non dedecet. An tibi irasci tum videmur, quum quid in caussis acrius et vehementius dicimus?* p. Cluent. 22, 60. *an vero illi sua per se ipsi iudicia rescinderent* etc. p. Milon. 23, 62.

8. Quare utuntur hac dicendi formula oratores etiam in reiicienda adversarii sententia. Tunc saepe addunt *vero*, non tamen particulam adversativam. Oppositio enim fit ipsa interrogatione.

Terent. Eun. 2, 3, 91. PA. *flagitium facimus.* CH. *an id flagitiumst, si in domum meretriciam deducar?* Plaut. Asin. 3, 3, 125 *quem te autem deum nominem?* LE. *Fortunam atque Obsequentem.* AR. *Iam istoc es melior.* LI. *An quid est olim homini salute melius?* Trin. 2, 2, 90.

Cic. p. Rosc. Am. 41, 120. *in dominos quaeri de servis iniquum est. Anne quaeritur? Sex. enim Roscius reus est.* hoc est: at non quaeritur: sive, *num quaeritur?* sed proprie: meane constat sententia, an putas quaeri? in Verr. 2, 48, 119. Philipp. 2, 2, 3. *contra rem suam me nescio quando venisse questus est. An ego non venirem contra alienum pro familiari et necessario meo?*

Cic. p. Mil. 12, 33. *an vero, iudices, vos soli ignoratis? vos hospites in hac urbe versamini?*

9. In argumentatione ita interrogat is, qui sententiam suam tam certam esse innuit, ut contrarium ne cogitari quidem possit. Vnde exsistit verborum formula *an potest quisquam dubitare?*

Cic. p. Ligar. 2, 5. *quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille, si potuisset illinc ullo modo evadere, Vticae quam Romae, cum P. Accio quam cum concordissimis fratribus, cum alienis esse quam cum suis maluisset?* Ita enim legendum esse demonstravit Ed. Wunderus in Var. Lect. Praef. p. 24. 12, 34. *quodsi penitus perspicere posses concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum iudicares fuisse. An potest quis dubitare, quin* etc.

10. Ironiae vis, quae quamcumque interrogationem de aliena sententia quaerentem regit, coercetur aliquantum et mitigatur, ubi interposito *non*, quo fit *an non*, i. e. nonne, certam rem esse statuimus, et addito vocabulo *potius* contraria magis valere indicamus.

Varro de L. L. 4, (5,) 1, 6. *non enim videbatur consentaneum, quaerere me in eo verbo, quod finxisset Ennius, caussam, neglegere, quod ante rex Latinus finxisset. — An non potius mea verba illa, quae haereditate a Romulo rege venerunt, quam quae a poeta Livio relicta?* Potuit omitti *potius*, sed additur in compensandam utramque sententiam.

11. Sed ab hac ironia inversae orationis omnino ea

differt, quae cuicumque orationi illusionis vel irrisionis caussa iniicitur. Haec enim non efficit novum ac singulare genus interrogationis, sed ad artem rhetoricam pertinet. Sententia enuntiationis in contrarium excipitur.

Huius ironiae exemplum Hermannus deprehendisse sibi visus est in Sueton. Octav. 54. *Antistius Labeo senatus lectione, quum vir virum legeret, M. Lepidum, hostem olim eius et tunc exsulantem legit: interrogatusque ab eo, an essent alii digniores, suum quemque iudicium habere respondit.* quasi Augustus cum irrisione dixisset: nimirum hic est dignissimus qui legatur: *gibt es denn andere würdigere?* Quod quidem ab Augusto dici poterat: sed unum illud non credam, tali ironiae pronuntiationi aptum locum esse in narratione et in obliqua orationis forma. Quare Stephanus assentiente Ernestio non male scripsit *an non.* Reizii coniectura *anne* nihil efficitur. Terent. Hec. 4, 4, 40. *censen' te posse reperire ullam mulierem, quae careat culpa? an quia non delinquunt viri?* ubi Donatus: *εἰρωνείᾳ dictum: non enim non delinquunt.*

12. Accedo ad alios oratorum usus. *An* et *an vero* usurpant saepe in ea sententia, in qua, novum argumentum superioribus addituri, a re certa et confessa ad rem respiciunt dubiam et negatam, sed illi similem, ut ad comprobandam alteram ex altera priori fiat conclusio. Logici vocant argumentationem a minore ad maius. Eumdem sensum nos exprimimus vernaculis verbis: *oder aber sollte jenes statt finden, und dieses nicht?* Requiruntur igitur res aequales vel aeque possibiles, quarum ne altera dubia videatur, quaeritur, quomodo fieri possit, ut ea non exsistat, quae aequo vel maiore adeo iure locum teneat, et eiusdem sit rationis. Altera re concessa concluditur alteram secundam etiam veram esse. Attamen hoc ipsum non significatur vocabulo *an*, quod modo indicat, haec, quae dicuntur, aliis praemissis opponi, sive ex iis tamquam contraria colligi. Etenim, non posito *an*, idem exprimitur verbo *ergo.* vid. Cic. Tusc. 1, 14, 31. Beier. ad Cic. de Off. 1, 31. p. 245. Coniunctio utriusque sententiae autem ea est, qua duae res caussae vel rationis nexu ita cohaerentes, ut in eo explicando adhiberi possit *quum* vel *si*, aequo loco et ἐκ παραλλήλου componuntur: de quo, ut nunc, quum haec scripta mea typographo trado, video, nuperrime Wolfium sequutus subtiliter disseruit Madvigius, Emen-

dat. in Cic. libros de legibus p. 39, in plurimis mecum consentiens. Ex iis aliquot exempla addam.

Cic. Tusc. 5, 32, 90. *an Scythes Anacharsis potuit pro nihilo pecuniam ducere: nostrates philosophi facere non poterunt?* de quo loco vid. ad Wopkens. Lect. Tull. 1, 1. p. 2. 5, 14, 42. *an Lacedaemonii Philippo minitante per litteras se omnia, quae conarentur, prohibiturum, quaesiverunt, num se esset etiam mori prohibiturus: vir is, quem quaerimus, non multo facilius tali animo reperietur quam civitas universa?* de Fin. 1, 4, 12. *an, partus ancillae sitne in fructu habendus, disseretur inter principes civitatis —: haec, quae vitam continent omnem, negligentur?* in quibus, quod recte intellexit Madvigius, Cicero non disputationes de iure civili institutas vituperat, sed iniquum esse ait, quum talia disserantur, haec, quae vitam continent omnem, negligi. de Nat. d. 2, 6, 18. 2, 38, 97. in Verr. 1, 42, 109. Tusc. 4, 14, 42. p. C. Rabir. 5, 16. *an vero servos nostros horum suppliciorum omnium metu dominorum benignitas una vindicta liberabit: nos a verberibus, ab unco, a crucis denique terrore neque res gestae, neque acta aetas, neque nostri honores vindicabunt?* in quo loco quamquam codex rescriptus et Lagomarsiniani plurimi exhibent *vestri honores*, i. e. a vobis dati, etiam *nostri*, i. e. nobis perhibiti, habet, quo se commendet. Cicero ad Att. 10, 8. scripsisse videtur: *anne valide hoc absentis solus tuli scelus, eiusdem cum Pompeio et cum reliquis principibus non feram?* Quinctil. 12, 1, 21. *an vero M. Antonius neminem a se visum eloquentem, quod tanto minus erat, professus est: ipse etiam M. Tullius quaerit adhuc eum, et tantum imaginatur ac fingit: ego non audeam dicere, aliquid in hac, quae superest, aeternitate inveniri posse eo, quod fuerit, perfectius?* 6, 2, 30. *an vero inter otia animorum et spes inanes et velut somnia quaedam vigilantium, ita nos hae, de quibus loquor, imagines prosequuntur, ut peregrinari, navigare, proeliari, populos alloqui, divitiarum, quas non habemus, usum videamur disponere, nec cogitare, sed facere: hoc animi vitium ad utilitatem non transferemus?* 2, 5, 16. *an vero declamabit quidem praeceptor, ut sit exemplo suis auditoribus: non plus contulerint lecti Cicero ac Demosthenes?* ubi Spaldingius haec notavit: „sunt coniunctae illae quaestiones: hoccine fiet, non autem illud? ubi posterius altero etiam est verosimilius.“ 10, 3, 29. *an vero frequenter etiam fortuita hoc cogitatio praestat, ut obvios non videamus, et itinere deerremus: non consequemur idem, si et volueri-*

mus? 5, 12, 21. 11, 2, 88. 12, 1, 21. 10, 2, 5. ubi vid. Frotscher.

Cic. de Divin. 2, 59, 123. *an Aesculapius, an Serapis, potest nobis praescribere per somnium curationem valitudinis: Neptunus gubernantibus non potest? et si sine medico medicinam dabit Minerva: Musae scribendi, legendi, ceterarum artium scientiam somniantibus non dabunt?* Walkerus et cum Davisio Ernestius abiecerunt *si*, Hottingerus de necessitate correctionis dubitat, non Madvigius: recte quidem. Etiam Drakenborch. in Liv. 5, 52, 8. addere iubet *si*.

In his omnibus sequitur negatio *non:* quare Goerenzius ad Cic. de Fin. 1, 2, 5. et 2, 27, 88. contendit, necessario cohaerere verba *an non*, et *si* vel *quum* omissum esse: nam alias construi verba *an*, *si — non? an*, *quum — non?* Haec exempla vellem addidisset: quae equidem novi, ipsum discrimen demonstrant: nam quae in his caussalis et conditionalis est enuntiatio, ipsi interrogationi implicatur. Ita etiam Madvigius iudicat p. 43. Illud vero de verborum constructione probari non potest. Nam non ubique negativa fit oppositio, sed quaecumque alia admittitur, in qua, altera re posita, aequo modo et multo magis alteram concedi debere per suppressam conclusionem appareat.

Cic. Cat. 1, 1, 3. *an vero vir amplissimus P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum mediocriter labefactantem statum reipublicae interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus?* quae bene explicuit Matthiae: quum P. Scipio Tib. Gracchum privatus interfecerit, multo magis Catilinam consules interficere oportebat. Liv. 5, 52, 8. *an ex hostium urbibus Romam ad nos transferri sacra religiosum fuit: hinc sine piaculo in hostium urbem Veios transferemus?* quae Gronovius correctione turbavit: nam ne Drakenborchii quidem coniectura *an, si ex hostium* etc. opus est.

Clarior fit sententia, ut vidit Spaldingius ad Quinctil. 2, 5, 16., quum in secunda parte, quae apodoseos locum obtinet, additur *autem*, *vero*, vel alia particula oppositionis. Vid. Cic. de Fin. 1, 2, 5. *quae autem.* In Catil. 1, 1, 3. alii codices *Catilinam vero.* Ea tamen saepe omittitur. Davisius in Cic. de Nat. d. 2, 6, 17. inseruit *ergo*, quod absonum esse, iam indicavit Heindorfius, quem vide.

Ita explicandum Cic. de Fin. 2, 27, 88. *an dolor longissimus quisque miserrimus, voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit?* i. e. an concedatur dolorem longissimum quemque esse miserrimum, non autem concedatur diuturnitatem facere voluptatem optabiliorem?

Atque ex his ipsis exemplis colligitur, in secunda sententiae parte plerumque poni futurum vel coniunctivum: etiam interposita conditionali sententia. Plin. Ep. 1, 16, 8. *neque enim debet operibus eius obesse quod vivit. An, si inter eos, quos numquam vidimus, floruisset, non solum libros eius, verum etiam imagines conquireremus: eiusdem nunc honor praesentis et gratia quasi satietate languescet?* ubi Heusingerus probavit *languescit.* Indicativus praesentis legitur in restituto loco Cic. p. Planc. 20, 49. *an tandem una centuria praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo umquam prior eam tulerit, quin reruntiatus sit aut iis ipsis comitiis consul, aut certe in illum annum: aedilem tu Plancium factum miraris —?* Plin. Ep. 8, 12, 3. *an, si litibus tererer, obstrictum esse me crederem obeunti vadimonia mea: nunc, quia mihi omne negotium, omnis in studiis cura, minus obligor tanta sedulitate celebranti?*

Madvigius p. 44. hanc dictionem ait interdum in anacoluthis usurpari. Sed ubi unam tantum rem complectitur interrogatio, ea in se sufficit, et in exemplis allatis nihil desideratur, nisi quod in quacumque de contraria sententia instituta interrogatione cogitatur. Cic. Tusc. 5, 26, 73. *an Epicuro — dicere licebit?* Non addendum erat: *Stoicis non idem dicendum erit?* sicuti Philipp. 1, 7, 17. *an, si cui quid ille promisit, id erit fixum?* non desiderabimus verba *leges eius ratae non erunt?* Quae praeter ista cogitari possint, veluti in albo non nigrum, nihil attinet ad grammaticum argumentum: in quo sufficit animadvertisse *an* esse *an contra.*

13. Praecedit saepe alia interrogatio, qua, quid vel cur aliqua res sit, quaeritur. Tunc posito *an* adiicitur per coniecturam aut aliena et contraria sententia, aut aliis caussis, quae non exponuntur, alia quaedam opponuntur. Nos dicimus *oder.*

Terent. Eun. 5, 6, 16. *quid dixisti, pessuma? an mentita es?* Plaut. Amph. 2, 2, 57. *sed quid huc revortimini tam*

cito? an te auspicium commoratum est? Epid. 2, 2, 39. Cic. ad Att. 3, 15. *sed quid Curio? an illam orationem non legit?* i. e. nonne irascebatur, an illam orationem non legit? Cic. in Verr. 1, 39, 102. *quid proderat tibi, te expensum illis non tulisse? an tuis solis tabulis te caussam dicturum existimasti?* i. e. nihil proderat tibi, te expensum illis non tulisse. num igitur putasti tibi profuturum esse, an existimasti tuis solis tabulis te caussam dicturum? 4, 12, 27. *quid enim actum est? an litteris pepercisti?* Curt. 4, 16, 5. *quid cessatis? an ne fugientibus quidem pares estis?*

De Senect. 6, 15. *a rebus gerendis senectus abstrahit? quibus? an iis, quae in iuventute geruntur et viribus?* i. e. num aliis, an iis, quae —? Tusc. 3, 1, 1. *quidnam esse, Brute, caussae putem, cur, — corporis curandi tuendique caussa quaesita sit ars eius atque utilitas —: animi autem medicina nec tam desiderata sit, antequam inventa, nec tam culta, posteaquam cognita est —? an quod corporis gravitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus?* i. e. sintne aliae caussae, an quod —? Virgil. Ecl. 3, 1 *dic mihi, Damoeta, cuium pecus? an Meliboei?* quod non reddam cum Beiero: *doch wol nicht gar?* sed est *num est alius, an Meliboei?* Ita etiam Graeci. Plat. Parm. 22. *τίς οὖν, εἰπεῖν, μοὶ ἀποκρινεῖται; ἢ ὁ νεώτατος;* i. e. quis mihi respondebit? num alius, an minimus natu? Nec dubito, quin apud Theocritum 4, 1. scribendum sit: *τίνος αἱ βόες; ἤ ῥα Φιλώνδα;* Nam usum verborum *ἤ ῥα* negare non debebat Hermannus ad Soph. Ai. 176. Soph. Oed. R. 622. *τί δῆτα χρῄζεις; ἤ με γῆς βαλεῖν;* ita scribendum esse vidit Hermann. ad Oed. Col. 649., quem non fugit recta ratio in restituendis verbis v. 649. et 826. De loco Cic. Offic. 1, 15. hac ratione defendendo paullo post dicam.

Huc etiam pertinent haec similia: Catull. 80, 5. *nescio quid certe est. An vere fama susurrat —?*

14. Hinc formulae in proponendis caussis *an quod, an quia:* cui oppositum *utrum quod* nisi verbis expressum est, intelligitur tamen. Praecedit enim plerumque alia interrogatio, quae illud involvat.

Cic. Tusc. 3, 2, 5. *utrum quod minus noceant animi aegrotationes quam corporis? an quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?* Acad. 1, 3, 10. *quid enim caussae est, cur poetas latinos graecis litteris eruditi legant, philosophos non legant? an quia delectat Ennius* etc. ubi nihil mutandum, nec verba *quanto magis*, quae sequuntur, accipienda sunt pro

non tanto magis. Verrin. 3, 80, 186. Plaut. Aul. 3, 2, 10. Ovid. Am. 1, 1, 15. *cur opus affectas, ambitiose, novum? An quod ubique tuum?* Conf. Goerenzii not. ad Cic. Acad. l. l. ubi tamen exemplum alieni generis p. Arch. 12, 30. non poterat comparari. Ellipsin, quam Goerenzius in his agnoscit, sine caussa repudiat Gernhardus in Ephemerid. Ienens. 1811. n. 195. p. 383. Nullum locum inveni, in quo *an quum* ita coniungeretur.

15. Sicuti Graeci per ἢ, ita Latini per *an* adiungunt praecedenti interrogationi aliam, qua illa retractatur et corrigitur. Quo sensu *an* fere idem significat quod *aut*, quocum saepe a librariis commutatur.

Plat. Parmen. 57. *οὐκοῦν ἔστι καὶ οὗτος χρόνος ὅτε μεταλαμβάνει τοῦ εἶναι καὶ ὅτε ἀπαλλάττεται αὐτοῦ; ἢ πῶς οἷόν τε ἔσται τοτὲ μὲν ἔχειν τὸ αὐτό, τοτὲ δὲ μὴ ἔχειν;* Sallust. Iug. 14, 17. *nunc vero exsul — quo accedam, aut quos appellem? nationesne, an reges, qui omnes familiae nostrae ob vestram amicitiam infesti sunt? an quoquam mihi adire licet, ubi non maiorum meorum hostilia monumenta plurima sint? aut quisquam nostri misereri potest, qui aliquando vobis hostis fuit?* Ita optimi libri: alii *aut quoquam* et *an quisquam.*

Ita *aut* etiam. Terent. He. 3, 3, 35. (4, 5) *ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egisti, Syre? aut reperisti* (sive ut Bentleius emendavit *aut est*) *tibi, quod placeat, an nondum etiam?* In Cic. de Nat. d. 2, 44, 115. dubia est scriptura: *haec omnis descriptio siderum atque hic tantus coeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursitantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? Aut vero alia quae natura mentis et rationis expers haec efficere potuit?* Heindorfius e cod. Glog. recepit *an vero alia quaedam natura.* bene quidem, sed vulgata non poterat ipsa reprehendi.

16. Nec tantum interrogationi praemissae adiungi potest talis correctio, sed cuicumque sententiae, praesertim si accedit ironia, cuius eadem est vis, quae interrogationis: ut recte sequatur *an*, tamquam interrogatio praecessisset. Hoc bene observavit Heindorf. ad Cic. de Nat. d. 1, 24, 67.

Cic. Brut. 46, 155. *ita, credo, hoc illi nesciebant: an dabat hanc licentiam consuetudo?* Ita distinguenda sunt verba. Atque eodem modo explicandum esse locum Verrin. 2, 48. diximus p. 348. de Nat. d. 1, 24, 67. *sed ubi est veritas? in mundis, credo, innumerabilibus, omnibus minimis tempo-*

rum punctis aliis nascentibus, aliis cadentibus. An in individuis corpusculis tam praeclara opera, nulla moderante natura, nulla ratione fingentibus?

Ovid. Her. 12, 91. *vidi etiam lacrimas. An pars est fraudis in illis?* 2, 51. *credidimus lacrimis. An et hae simulare docentur?* ex Pont. 1, 6, 25. *quidquid id est, ut non facinus, sic culpa vocandum. Omnis an in magnos culpa deos scelus est?*

17. Interdum cum occulta vi disiunctionis gravescit oppositio sententiarum, eaque exprimitur per vocabulum *an*. Quo factum est, ut librarii *at* corrigerent.

Cic. de Fin. 2, 31, 102. *quid, idemne potest esse dies saepius, qui semel fuit? certe non potest. an eiusdemmodi? ne id quidem, nisi* etc. ubi Bremius coniecit temere *at*.

18. Possunt plures interrogationes aequales coniungi, per quas oratio aut uno tramite producitur, aut adscendit ad graviora. In iis quum nulla insit oppositio, *an* plus semel ponitur, tamquam ἀσυνδέτως. Vid. exempla apud Cic. p. Balb. 23, 54. ad Att. 16, 8. Acad. 2, 28, 91. bene restituit Goerenz. p. Rosc. Am. 41, 119. Verr. 3, 80, 186.

19. Ceterum notandus est etiam construendi verborum ille modus, quo interrogatio per *an* dicta ita continuat orationem, ut quae alteram partem interrogationis expleant, ex antecedentibus repetantur.

Cic. de Fin. 2, 15, 50. *quid nunc honeste dicitur? idemne quod iucunde? ergo ita, non posse honeste vivi, nisi honeste vivatur. an, nisi populari fama?* i. e. an dicit Epicurus, non posse vivi honeste nisi populari fama? cf. Goerenz. ad h. l. Acad. 2, 17, 54. *si enim res se ita habet, ut nihil intersit, utrum ita cui videatur ut insano, an sano.* i. q. an cui videatur, ut sano.

20. Interrogatio recta quamvis modum requirat indicativum, aliae tamen intercedere possunt caussae, vel ab opinione incerta vel a modestia profectae, quae orationem invertant et coniunctivum postulent. Haec a grammaticis exposita notasse sufficit.

Cic. de Leg. 1, 13, 35. *an mihi aliter videri possit?* i. e. quasi quaeras, an mihi aliter videri possit. Horat. Ars p. 265. *an omnes visuros peccata putem mea.* i. e. *oder sollt' ich glauben.* vid. p. 333. Plaut. Stich. 2, 1, 22. *an vero nugas censeas?*

21. *Anne* ponitur pro *an*, cui adhaeret vocula *ne* interrogativa sive dubitativa, non mutata ipsa significatione, sed ubi intendenda vel acuenda videtur vis interrogationis. Id non solis poetis proprium est, ut existimabat Noltenius. p. 1331. Et non tantum in prima parte interrogationis ponitur, cuius generis multa iam a nobis allata sunt exempla, sed etiam in secunda.

Cic. de Fin. 4, 9, 23. *quid enim interest, divitias, opes, valetudinem bona dicas, anne praeposita.* ubi Ernest. „delerim *ne*," inquit, „quod sic addi in altera parte non solet." Sed Acad. 2, 15, 48. *ut non modo non internoscat visa, vera illa sint, anne falsa.* Orat. 61, 206. *quaerendum, utrum una species et longitudo sit earum, anne plures.* in Pis. 1, 3. Acad. 2, 29, 93. ad Att. 12, 15. vid. Schelleri Observ. p. 197. p. L. Man. 19, 57. *quo mihi etiam indignius videtur obtrectatum esse adhuc Gabinio dicam, anne Pompeio.* ubi vid. Matthiae. Plaut. Amph. 1, 1, 19. *nec aequom anne iniquom imperet, cogitabit.* Virgil. G. 2, 158. vid. Bentlei. ad Horat. Carm. 1, 12, 35. Erant, qui particulae *ne* vim tribuerent negativam, quasi *anne* diceretur pro *annon.* Hermannus in Ephem. Lips. 1819. p. 976. *anne* existimavit poni, ubi dubitationi admixta esset aliqua probabilitas: quod non constat usu.

22. Ex ea ratione, quam inversam esse diximus, intelligitur, quomodo *an* coniunctum cum negatione *non*, quod alii scribunt *annon*, pro *nonne* ponatur. sicuti *an* pro *num* saepissime dicitur. Sed in his aut omissa est prior pars sententiae disiunctivae, aut alia enuntiatione expressa est. Vtrumque vocabulum uno accentu in *an* posito continetur, neque adhaeret negatio verbo, nisi ubi propria vis oppositionem intendit. Additur *vero*, ut in reliquis, ad augendam vim.

Terent. Andr. 3, 5, 15. *quo fretus sim? an non dixi esse hoc futurum?* i. e. num quo fretus sim, an non dixi etc. Varro de L. L. 4, 1, 5. vid. p. 335. Cic. p. Caec. 17, 50. *eos enim vere possumus dicere esse deiectos. An non, quum voluntas et consilium et sententia interdicti intelligatur, impudentiam summam aut stultitiam singularem putabimus, in verborum errore versari —?* de Rep. 3, 25. apud Augustinum. Liv. 2, 38, 2. *hodiernam hanc contumeliam quo tandem animo fertis, qua per nostram ignominiam ludos commisere? an non sensistis, triumphatum hodie de vobis esse?* Curt. 7, 1, 29. *is apud te fuit, cuius gratiam expetere et iram timere possemus. An non propemodum in tua verba tui omnes, te*

praeeunte, iuravimus —? i. e. *oder haben wir nicht geschworen?* Plaut. Capt. 2, 2, 7. *an vero non iusta caussa est, ut vos servem sedule?* Virgil. Ecl. 3, 21. *an mihi cantando victus non redderet ille — caprum.* Charisius non errat p. 203. *an* pro *num* accipiens, negatione cum verbo tam arcte coniuncta, ut *non redderet* esset *recusaret.* Sed ipse addit: *nisi ὑπακούμενον sit anne, quum videatur. Sed Martius Salutaris, vir perfectissimus, pro ergo rectius sensit.* Cic. Cat. 7, 23. *num igitur hunc, num Homerum, num Hesiodum, num Simonidem — coegit in suis studiis obmutescere senectus? an non in omnibus his studiorum agitatio vitae aequalis fuit?* alii libri *an in omnibus:* quod non reiicere debebant critici Ciceronis more cognito. vid. p. 333. Graviore vi nihil opus erat.

Cic. de Fin. 2, 3, 7. *an haec ab eo non dicuntur?* quod quomodo differat ab *annon haec dicuntur?* in promptu est, et ex iis quae antecedunt, intelligitur.

23. Et potest in hac dictione intercedere alia sententia conditionalis vel caussalis, ut *non* longius removeatur ab *an.* Quod erant qui negare vellent.

Plin. Pan. 83, 8. *an, quum videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non et ipsa cum silentio incedat* etc.? In eumdem modum Ernestius emendavit orat. p. Arch. 12, 30. *an, quum statuas et imagines non animorum simulacra, sed corporum studiose multi homines reliquerint, consiliorum relinquere ac virtutum nostrarum effigiem non multo malle debemus, summis ingeniis expressam et politam?* Sed omnes codd., etiam Erfurt. *nonne multo:* quod si restituendum, etiam *an* in *at* mutandum erit, uti Ilgenius et nuper Elvenichius in Museo rhenan. 1, 3. p. 221. viderunt.

24. Quod legitur apud Arnobium adv. gent. 6. p. 115, 36. Elm. *an numquid dicitis forte praesentiam vobis quamdam his numinum subexhiberi simulacris?* 2. p. 40, 8. *an numquid nostris ex divisionibus colligemus, quid aut fieri possit, aut non possit?* et alibi 3. p. 63, 40. 2. p. 52, 28. factum est perverso usu, quo scriptores istius aetatis in conserendis synonymis elegantiam et gravitatem dictionis aucupari solebant.

III. 1. De interrogatione, quam obliquam vocant, multae sunt grammaticorum regulae et disputationes, quarum argumentum, quamquam largam disserendi copiam suppeditaret, a nostro consilio tamen alienum esset. In eo plurimi errarunt vehementer, quod omnes

enuntiationes per *an* formatas uno obliquae interrogationis nomine appellabant. Nam ea tantum sententia ita vocari debet, in qua, quid quaestum fuerit, narratur, aut quid quaerendum sit, indicatur. Reliquas enuntiationes ad dubitativum genus referamus necesse erit, in quo quam vim habeat particula, satis a nobis expositum est. Sed in ipsa, quae recte vocatur, obliqua interrogatione particulae natura et potestas non alia est aut esse potest, quam in recta, neque *an* umquam ponitur in simplici interrogatione, sed in ea, quae oppositionem in se habet vel verbis expressam, vel intelligendam. Ita certe antiquus usus iubet. Quod non satis perpenderat Schützius, quum in Doctr. Partic. doceret, „*an* usurpari in interrogatione obliqua, v. c. quaero, an argentum ei dederit." Inter recentiores scriptores tamen nonnulli erant, qui *an* simplici sensu dubitativo usurpantes, etiam obliquam interrogationem in hunc modum conformabant, quo Tacitus Ann. 2, 9. *quaesitoque, an Caesar venisset.* Talia in Cicerone nusquam occurrunt.

Obliquae interrogationis haec sunt: Cic. Orat. 61, 204. *in quo quaesitum est, in totone circuitu illo orationis, — an in principiis solum, an in extremis, an in utraque parte numerus tenendus sit.* ad Att. 12, 24. Sallust. Iug. 85, 16. *Ac si iam ex patribus Albini aut Bestiae quaeri posset, mene an illos ex se gigni maluerint.* Cic. in Verr. 2, 77, 188. *postulo mihi respondeat, qui sit iste Verrutius: mercator an negotiator, an arator, an pecuarius: in Sicilia sit an iam decesserit.*

Petronii verba Sat. 51. *postquam illi dixit: num quid alius scit hanc condituram vitreorum?* Io. Sarisberiensis Policrat. 4, 6. reddidit ita: *quaesivit enim Caesar, an alius sciret hanc condituram vitrorum.*

De corrupto loco Cic. Catil. 2, 6, 12. *quaesivi a Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam fuisset.* dixi p. 309. Cic. in Verr. 4, 12, 27. *quum quaesissem, numquid aliud de bonis eius pervenisset ad Verrem, respondit istum ad se misisse, ut sibi mitteret Agrigentum peripetasmata. Quaesivi, an misisset: respondit, — misisse. — Rogavi, pervenissentne Agrigentum: dixit pervenisse. Quaesivi, an domum revertissent: negavit adhuc revertisse.* Haec ita cohaerent recta oratione: numquid aliud de bonis tuis pervenit ad Verrem, an peripetasmata misisti? (sicuti paullo ante: quid

enim actum est? an litteris pepercisti?) Perveneruntne Agrigentum, an domum reverterunt? (uti p. Rosc. Am. 41, 119.) Sed plurimi codices exhibent *quemadmodum revertissent*, omisso voc. *quaesivi*. Curt. 7, 10, 7. *tum rex, quaero itaque, inquit, an vivere velitis non inimici mihi, cuius beneficio victuri estis.* i. e. an contra vivere, non mori velitis. Ita 6, 5, 31. *Alexander, an cum ipso militare vellet, interrogat.* in quibus *velle* idem est quod *malle*.

2. In obliqua interrogatione, ubi verbum cohaereat cum antecedente aliquo verbo, coniunctivum requiri, in promptu est. Fuerunt tamen, qui indicativo quoque hanc sedem concederent, nullo argumento, sed decepti falsa interpunctione verborum. Ramshornius in Grammat. p. 497. et varia miscuit, et rationem, quae una est, in diversas partes distraxit, et denique corruptis exemplis usus est, veluti Cic. in Verr. 3, 26, 64. Plaut. Merc. 1, 2, 34. *dic mihi an boni quid usquam est, quod quisquam uti possiet sine malo omni.* Interpunctio post *mihi* ponenda erit, ut indicetur, interrogationem rectam per se stare, nec pendere a verbo *dic*. Ita scribendum Terent. Andr. 1, 1, 18. *quin tu uno verbo dic: quid est quod me velis?* Terent. Ad. 2, 1, 41. *nunc vide, utrum vis: argentum accipere, an caussam meditari tuam.* Interpungendum erat ita: *nunc vide: utrum vis, argentum a. a. c. m. tuam?* Simili modo ponitur *vide* Stich. 5, 4, 16. *vide: utram tibi libet etiamnum capere, cape provinciam.* In Cic. p. Rosc. Am. 41, 119. interpunge: *quaero abs te: iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent, an iste non commovebat, pro quo postulabant?* Sicuti in orat. p. Rosc. Am. 43, 125. ubi Weiskius coniunctivum reponendum censuit, Orellius et alii bene correxerunt interpunctionem. Et 30, 83. scribendum est: *desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania: quaeramus, ubi malificium et est et inveniri potest.* vel ut alii codices: *quaeramus maleficium, ubi et est et i. p.* i. e. quaeramus ibi, ubi maleficium est.

3. G. T. A. Krügerus in Disquisitionibus grammaticis (*Untersuchungen aus dem Gebiete der lat. Sprachlehre. Erst. Heft. Braunschw.* 1820.) de infinitivo cum particulis interrogativis in oratione obliqua coniungendo novam quaestionem subtiliter instituit: in hac obliqua oratione coniunctivum poni, ubi aliquid re vera quaesitum et responsionem exspectatam esse narretur, infini-

tivum cum accusativo autem usurpari, ubi non interrogationem propositam, sed, sententia ante occupata, mirationem per interrogationis formulam significatam esse dicatur. In recta oratione nihil differre has dicendi formas, atque utramque et interrogationem, quae responsionem requirat, et exclamationem, quae responsionem in se habeat praesumptam, uno modo exprimi: at in oratione obliqua distingui illam sententiae ante occupatae definitionem. Quare quum Liv. 6, 37. scripsisset: *an iam memoria exisse, — quatuor et quadraginta annis neminem ex plebe tribunum militum creatum esse?* eum non quaesivisse, utrum memoria exisset necne (quod esse deberet: *an iam memoria exisset)*, sed pro comperto posuisse, iam memoria exisse. Et sic in reliquis, in quorum explicatione tria sunt, quae desideremus. Primum in exemplis Liv. 7, 4. *quod naturae damnum utrum nutriendum patri, an castigandum ac vexatione insigne faciendum fuisse?* et quae sunt huius generis, necessario exspectatur responsio, etiamsi ea non verbis expressa legitur. Tum mirum videtur, id, quod in recta oratione nullum haberet discrimen, in obliqua distinctum esse. Denique in iis quoque interrogationibus, quae rhetoricam modo vim habent, saepe coniunctivus ponitur, veluti Caes. B. Gall. 5, 29. *postremo, quis hoc sibi persuaderet?* quamquam c. 28. dixerat: *postremo quid esse levius aut turpius?* Quamobrem Krügerus ipse p. 23. concedit, utramque dicendi formam eodem sensu usurpari. Regula igitur aliter constituenda est in hunc modum. Interrogativa sententia potest in narratione referri duplici modo, aut servata interrogationis forma, quae, quum pendeat e verbo aliquo vel expresso vel intellecto, per coniunctivum effertur, aut induit eam formam, qua infinitivus cum reliquis verbis unam constituit notionem, quae vel nominativi vel accusativi loco additur verbo alicui. Hoc alterum magis convenit interrogationi rhetoricae, qua sententia exprimitur ante iam occupata, quamquam etiam in ea servari potest interrogationis primaria forma.

* *An* a librariis saepe commutatum est cum *aut*. vid. Drakenb. ad Liv. 5, 3, 7. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 304. 432. 578. Burm. ad Claud. VI. Cons. Hon. 192. Interp. ad Sallust. Iug. 46. interdum cum *ac*. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 270. 285. Critici ad Stat. Silv. 4, 6, 43.

cum *at*. Schwarz. l. l. p. 422. 583. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 18, 56. cum *nam*. Wernsdorf. ad Cic. Phil. 2, 3.

ANTE.

De origine vocabuli ANTE Vossius in Etymologico p. 37. ita: „ANTE quidam κατ' ἀντίστοιχον dici censent ab ἄρτι, id est *nunc*, vel *paullo ante*. Scaligero de Causs. L. L. c. 155. fieri placet ex *am* et *te* syllabica adiectione: quae et in *tute*. Sed significatio repugnat, quia *am* est *circum*. Itaque omnino est ab ἄντα: quo eapse significatione usus aliquoties Homerus." Quarum sententiarum una ultima comprobari potest: ceterae ineptae sunt: ne commemorem Scheidii perversam opinionem, qui ad Sanct. Min. p. 224. *ante* deducit ab obsoleto vocabulo *antis*, quod eminentiam significet, ut *ante* sit *in eminentia*, *in fronte*. Communem originem non tantum in graeco usu, sed, credo, in humano ingenio, similium vocabulorum inventore, sibi vindicant haec ἀντί, *anti*, in *antidea* usurpatum, ἄντα, *ante*, quae proprie dicuntur de loco, in quo aliquid ex adverso et a fronte ponitur. Quem significatum Graeci in verbis ἄντα et ἄντην et in iis, quae cum ἀντὶ composita erant, tenuerunt, in ipsa praepositione ἀντὶ mutarunt.

ANTE, quod adverbium est in legitimum modum formatum, cum nominibus coniunctum fit praepositio, quae quominus cum ablativo coniungatur, nulla impedit ratio, sed usus, et quae ab eo constituitur norma. Veteres grammatici utrumque casum, et accusativum et ablativum adscisci putabant. Charisius Instit. gr. p. 209. de praepositionibus *ante*, *post*, *inter*, *penes*: *postponi solent*, *accentum utique mutant aliquo modo et casum*, *quale est paucis ante diebus*, *item paucis post annis*, *item arma inter iuvenum*, *item illum penes*: *ut si penes illum*, *ante et post paucos dies*, *inter arma iuvenum*. Existimaverat igitur Charisius, simul cum anastrophe etiam casum immutari. Atque ex hoc argumento Servius ad Virgil. Ecl. 1, 30. *longo post tempore venit*. notat: *aut ἀρχαϊσμὸς est*: *antiqui enim post*, *ante*, *circum etiam ablativo iungebant*: *quod hodie facere minime possumus*: *aut longo post una est pars orationis*. Meliora docet Priscianus p. 976. (14, 1, 4.) et p. 989. (14, 3, 32.) *ante et componitur et*

separatur, *antepono*, *ante domum*, *et significat* πρὸ *graecam*, *localem et temporalem*, *ut anteeo*, προπορεύομαι, *ante annum*, πρὸ ἐνιαυτοῦ. *Invenitur etiam sine casu*, *in quo loco adverbii accipitur*. *Significat enim antea*, *quod est apud Graecos* πρότερον. Recentiores doctores ablativum a praepositione regi aut negabant, ut Bangius p. 1189., aut affirmabant ambigua quidem sententia: nam Ruddimannus Tom. I. p. 291. hunc ablativum explicat addito *in*. Res ipsa ita se habet. Latini locum rei antepositae et tempus antegressum designabant notione directionis in certum terminum, quae accusativo notatur. Quae interposita sunt spatio vel tempore, exprimebant ablativo casu, quo rerum locus et temporis pars significatur. Quare aliquantum differunt sensu hae dictiones *ante quatuor annos*, *quatuor ante annis*, et quod apud Livium legitur 40, 52, 1. de templis, *quae bello Ligustino ante annis octo vovisset* non idem est quod *ante octo annos*, quamquam ita dici poterat, sed *antea anno octavo*. de qua re paullo post dicam. Quod in veteribus lapidibus legitur *ante fronte*, aut compendium habet oblitteratum, aut eorum inscitiae debetur, qui scribere solebant *cum coniugem suam*, *a latus*. vid. Salmas. ad Capitol. Ver. 9. p. 431.

Maximus Victorinus p. 1953. *ante quum gravi accentu pronuntiatur*, *praepositio est*, *ut: ante focum*, *si frigus erit*. *Si autem acuto*, *fiet adverbium temporis*, *ut: ante equidem summa de re statuisse Latini*. In praepositione enim cum nomine coniuncta minuitur accentus vis, fitque gravis in ultima syllaba: ipsa autem vocabuli natura non mutatur.

I. 1. Vsus vocabuli ANTE, ut iam ab Gesnero factum est, ad tria capita referri potest. Nam usurpatur aut de loco, aut de tempore, aut de comparatione rerum praestantium. Ac quum de loco dicitur, id significatur: quod ex adverso et a fronte positum est. Opponitur id, quod post et a tergo positum, et quod circum est. Graeci dicunt πρό, nos *vor*.

Sulpic. ad Cic. 4, 5, 9. *post me erat Aegina*, *ante Megara*, *dextra Piraeeus*, *sinistra Corinthus*. Sueton. Caes. 20. Liv. 9, 32, 9. *ante signa circaque omnes ceciderunt*. conf. 42, 58, 13. 27, 18, 5. *fluvius ab tergo: ante circaque velut ripa praeceps oram eius omnem cingebat*. 7, 33, 12. *dextra laevaque*,

ante se quisque memorandum proelium cient. Cic. p. Mil. 10, 27. *profectus pridie est, ut ante suum fundum — insidias collocaret.* 29. *fit obviam Clodio ante fundum eius.* Lentul. ad Cic. Ep. 12, 13, 10. *castra habet ante oppidum Laodiceam posita.* Cum *pro* coniunctum Sueton. Galb. 10. *propositis ante se damnatorum occisorumque a Nerone quam plurimis imaginibus.*

Nihil frequentius occurrit quam apud comicos verba *ante ostium*, *ante aedes* (Plaut. Amph. 1, 1, 250. 2, 1, 56.), frequenter etiam apud historicos *ante moenia* (Liv. 21, 41, 15.), *ante portas*, *ante portam*, quod alibi dicitur *ad portam.* vid. Drakenborch. ad Liv. 4, 31, 9. Cornel. Alcib. 3, 2. de herma, *qui ante ianuam erat Andocidi.* conf. Vorst. de Latin. falso susp. p. 225. Cic. in Verr. 5, 20, 50. *ne in freto ante sua tecta et domos navigarent.* de Off. 3, 14, 58. *ante suos hortulos.* — Quod Salmasio videbantur recentiores dixisse *ante se* pro adverbio *ante*, ut Trebell. Poll. Galien. I. 18. *ita ut primus ordo pilas haberet et ante se columnas cum statuis.* id non adhiberi poterat in defendenda antiqua scriptura apud Lamprid. Heliogab. 33. *fecerat et altissimam turrim substratis aureis gemmatisque ante se tabulis.*

Argutabantur critici, quum in Eleg. ad Liviam Aug. 463. audacter mutabant integra verba: *et quo me officio portaverit illa iuventus, quae fuit ante meum tam generosa torum.* quod est circa torum, ad torum. Sed quod Marklandus in Propert. 2, 14, (11,) 27. *has pono ante tuam aedem exuviae.* explicuit *in tua aede*, male factum erat. vid. Künoel. ad h. l.

Ovid. Fast. 1, 113. *nunc quoque confusae quondam nota parva figurae, ante quod est in me, postque videtur idem.* Alii de capitis anteriore et posteriore parte, alii de praeteritis et futuris explicuerunt. Ianus vero loquitur: olim moles fui informis et confusa figura, cuius adhuc conspiciuntur parva documenta in eo, quod eadem forma in me videtur ante et post.

2. Et quum anterior pars ea vocetur, quam conspicimus et ad quam accedimus, ita per praepositionem *ante* etiam locus designatur, cuius in conspectu aliquid fit vel positum est. Quare saepe significat id, quod verbis *ad* et *apud* exprimitur.

Cic. p. Rosc. Amer. 5, 12. *hic in foro, ante tribunal tuum.* de Divin. 1, 33. 72. *quum ille in agro nolano immolaret ante praetorium* etc. Virgil. Ecl. 5, 70. *ante focum, si frigus erit, si*

messis, in umbra vina — fundam. Curt. 3, 6, 10. *proiectis amiculo et litteris ante lectum.* Cic. in Verr. 4, 3, 5. *item ante hosce deos erant arulae.*

3. Omnibus notae sunt formulae *ante oculos*, *ante pedes*. *Ante oculos* dicitur non solum de praesentia et de iis, quae in conspectum veniunt, sicuti *in oculis*, sed etiam ad animum relatum, de rebus experientia et certissima cognitione percipiendis, et de imaginibus animo obversantibus.

Cic. p. Rosc. Am. 5, 13. *ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur.* Plaut. Rud. 4, 4, 3. *quae me pellices adduxisse dicet ante oculos suos.* ut nos dicimus *vor ihren Augen.* Eodem modo Terent. Eun. 4, 7, 24. Heaut. 5, 4, 18. Ovid. Her. 9, 121. Fast. 3, 483. Cic. de Off. 3, 14, 58. *cymbarum ante oculos multitudo.* Sed aliter de Orat. 1, 43, 192. *omnia enim sunt posita ante oculos, collocata in usu quotidiano.* de Leg. 1, 18, 48. *sequitur id, quod ante oculos ex iis est, quae dicta sunt*, etc. ubi Moserus ridendo castigavit Rathium, qui non intellexisset *ante oculos* esse perspicuum: at insolentiam dictionis non admodum elegantis nemo non sentiet. Adiiciuntur interdum vocabula *coram*, Terent. Eun. 4, 7, 24. *palam*, Cic. in Verr. 5, 26, 65. De exspectatione non dubia Curt. 7, 10, 5. *caussam tam effusae laetitiae, quum supplicium ante oculos haberent, requirens.* Quod Vorstius negaverat, addi posse pronomina *meos, suos*, bene vindicavit Drakenborch. ad Liv. 5, 30, 2.

Virgilius aliique poetae dixerunt *ante ora.* veluti Aen. 4, 62. *ante ora deum pinguis spatiatur ad aras.* 1, 95. *ante ora patrum.* de quo conf. Priscian. p. 976. (14, 1, 4.). In Cic. de Rep. 3, 9. legitur *ut esset posteris ante os documentum Persarum sceleris sempiternum.* Moserus emendavit *ante oculos*, immemor, Anton. Augustinum approbantibus optimis criticis restituisse in Philipp. 8, 7, 20. *ante os oculosque legatorum tormentis Mutinam verberavit.* Sic in Verr. 2, 33, 81. *quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt.* coll. p. Rosc. Am. 6, 16.

Ovid. Trist. 3, 4, 57. *ante oculos errat domus, urbs et forma locorum.* ita etiam cod. Erfurt., nec quidquam mutandum. conf. ex Pont. 1, 9, 7.

De formula *ante oculos habere* vid. Vorstius de Lat. falso susp. p. 224. Nolten. Lex. Antib. p. 1336. Etiam dictionem *ante pedes* probae latinitati vindicat Vorstius p. 224. Conf. Gebhard. ad Cic. Tusc. qu. 5, 37. Burmann. ad Petron. 30.

Cic. p. Rosc. Am. 5, 12. Dicitur de iis quoque, quae in promptu sunt. vid. Parei Lex. crit. p. 98. sed quem ille affert, Propertius 3, 6, 32. *poena erit ante meos sera, sed ampla pedes.* de procumbente ante pedes loquitur. — Apuleius Met. 2. p. 129, 9. dixit *ante ipsa vestigia mea.*

4. Denique ad homines et ad personam refertur, quo fit, ut praeter positionem rerum, etiam praesentiam et saepe id, quod *coram*, significet. Cuius usus nullum in comicis inveni vestigium: aliquot exempla occurrunt apud Ciceronem. Recentiores *ante aliquem esse* dixerunt de ministris eorumque obsequio.

Liv. 42, 58, 10. *ante se statuit funditores.* Sueton. Calig. 28. *membra et viscera hominis — ante se congesta.* Curt. 9, 5, 8. 4, 15, 3.

Cic. in Verr. 1. Act. 3, 9. *qui, dum hic, quae opus essent, compararet, caussam interea ante eum diceret* i. e. apud iudicem. Conf. Libr. ad Herenn. 1, 14. mox afferendus, sed dubius locus.

Iuvenal. 5, 56. *flos Asiae ante ipsum.* Conferri potest formula *ante pedes* de ministris dicta, quam illustrant interpretes Iuvenal. 7, 143.

5. Rara sunt exempla, in quibus hoc vocabulo adhibito agitur de motu et de cursu: quamquam accusativus, qui additur, non terminum directionis, sed propinquitatem loci designat.

Plaut. Asin. 3, 3, 70. *tu, ut decet dominum, ante me ito inanis.* Caes. B. Civ. 1, 55. *unamque cohortem, quae temere ante ceteras extra aciem procurrerat, seclusam a reliquis circumveniunt.* 2, 34. Liv. 7, 41, 1. *T. Quintius ante signa progressus.* 8, 10, 2. Libr. ad Herenn. 1, 14, 24. *ergo in iudicium non venit: at in senatum aut ante imperatorem et in consilium talis caussa potest venire.* in quibus verba *ante imperatorem* Schützio videbantur suspecta, neque immerito. Cornel. Dat. 3, 2. *sinistra copulam, qua vinctum ante se Thyum agebat.* nos *vor sich hintreiben.* Liv. 45, 40, 6. *in catenis ante currum victoris per urbem hostium ductus.*

6. Haec omnia etiam adverbio exprimuntur sive de loco, in quo aliquis consistit, sive de eo, qui petitur, aut ad quem tenditur. Tamen in his non omnibus scriptoribus omnia placuerunt. Alii enim non nisi formulas *ponere ante* et *ire ante* usurpabant. Tibullus hoc vocabulo maximopere delectabatur.

Liv. 22, 5, 8. *animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat.* Columell. de Re r. 6, 2, 4. *simulatque iras contuderint, mane producantur, ita ut et aliquis ante et a tergo complures, qui sequuntur, retinaculis eos contineant.* Liv. 27, 18, 5. *fluvius ab tergo: ante circaque velut ripa praeceps oram eius omnem cingebat.* sed 28, 33, 2. *campus ante montibus circa septus erat.* Tibull. 2, 1, 23. *turbaque vernarum — ludet, et ex virgis exstruet ante casas.* ubi alii codices inepte *arte.* Respicitur focus v. 22 dictus: est igitur *davor.* conf. 1, 1, 14. 2, 5, 98. *coronatus stabit et ante calix.* 3, 1, 10. de membranis laevigandis: *pumex et canas tondeat ante comas.*

Cic. de Fin. 5, 12, 35. *si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro.* i. e. *vorwärts.* Tibull. 2, 5, 65. *haec cecinit vates et te sibi, Phoebe, vocavit, iactavit fusas et caput ante comas*: explicant comas fusas ante caput. Scaliger correxit *iactavit fusa sed caput ante coma.* in quibus cur Huschkius usum adverbii reprehendat, non perspicio: immo probare debebat, quo modo latine dici posset *fundere comas ante caput.* Illud *sed* magnopere displicet. Si quid video, Tibullus scripsit *iactavit fusis et caput ante comis.* Librarii nomen aptarunt praepositioni. Virgil. Ge. 3, 552. *pallida Tisiphone morbos agit ante metumque.* vid. Wunderlich. ad Tibull. 1, 1, 14.

Anastrophes exempla in verbis *ponere ante* praeter antiquos poetas, veluti Ennium apud Cic. de Off. 1, 24., apud Ciceronem inveniuntur haec sensu metaphorico dicta. de Off. 3, 17, 71. *malitia mala bonis ponit ante.* p. Sulla 8, 25. *gaudeat suo generi me meum ante non ponere.* vid. Menckenii Observ. lat. ling. p. 57.

In Liv. 21, 5, 10. *peditum agmen in ripa, elephantos ante quadraginta disposuit.* Sigonius aliique, vitiosa dictione offensi, aut *ad* scribi, aut vocabulum abiici iusserunt. Meliores libros sequor, quum ita emendo: *peditum agmen in ripa* (*elephantes autem quadraginta erant*) *disposuit.* De forma *elephantes* vid. 44, 41, 3. 31, 36.

II. 1. Nunc de tempore. Atque res in tempore cognoscendas distinguimus eadem prorsus ratione, qua res in spatio sitae concipiuntur. Opponitur igitur ei, quod ante est, et id, quod eodem tempore factum est, et id, quod post factum est. Quum vero in hac designatione duo temporis puncta, vel duae res inter se

conferantur, *ante* ponitur pro *prius*, quod differt ipsa hac comparatione expressa.

Iustin. 2, 10, 1. *decedit relictis multis filiis, et in regno et ante regnum susceptis.* Liv. 39, 42, 7. *qua* (oratione) *si accusator ante notam, non censor post notam usus esset* etc.

2. Designatur autem tempus duplici modo, aut nominibus temporum in vita humana certis terminis distinctorum, annorum, dierum, quibus quum additur numerus, plures partes eiusdem magnitudinis complectimur, aut nominibus hominum et rerum in tempore apparentium earumque rerum, quae aliquando actae sunt. Inter illa conspicuae sunt formulae, quibus diei et anni partes notantur. Vulgares dictiones suppeditant lexica: nobis eae tantum commemorandae videntur, in quibus aliqua proprietas cernitur.

Plaut. Amph. 2, 1, 55. *ut dudum ante lucem a portu me praemisisti domum.* Cas. 2, 8, 51. Cic. de Or. 2, 64, 259. *si ad te bene ante lucem venisset.* ubi nihil mutandum. Sic enim de Inv. 2, 4, 15. *multo ante lucem surrexit.* Plaut. Bacch. 3, 3, 20. *ante solem exorientem nisi in palaestram veneras.* Horatius dixit Ep. 2, 1, 112. *prius orto sole vigil.* Iuvenal. 10, 339. *pereundum erit ante lucernas.* 9, 108. *proximus ante diem caupo sciet.* i. e. ante lucem: quam dictionem tamquam non latinam immerito damnat Noltenius p. 1335.

3. Homines nominantur ad designandum, quo ipsi vixerunt, tempus aut ad ordinem significandum. In his *ante* saepe idem est quod *prius*.

Cic. Acad. 1, 12, 44. *iam ante Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pene veteres.* Virgil. Ge. 1, 125. *ante Iovem nulli subigebant arva coloni.* Cic. in Verr. 1, 44, 115. *Minucius quidam mortuus est ante istum praetorem.* in Catil. 4, 3, 5. *qui honos togato habitus ante me est nemini.* Sallust. Cat. 51, 9. *qui ante me sententias dixerunt.* Cic. in Verr. 1. Act. 3, 9. *qui — caussam interea ante eum diceret.* Sueton. Caes. 26. *munus populo epulumque pronunciavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo* Tacit. Hist. 1, 50. *solusque omnium ante se principum in melius mutatus est.*

4. Rerum nomina, quibus tempus antegressum notatur, imprimis munera et negotiá spectant. In vulgari sermone alia quoque ita usurpantur. Poetae interdum

quaesitam brevitatem adhibebant, conspicuis rerum imaginibus delectati.

Cic. ad Att. 12, 17. *mihi enim ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio.* Florus 4, 2, 66. *quod alias numquam ante imperium ducis.* Iustin. 2, 10, 1. vid. p. 367. Virgil. Ge. 2, 536. *ante etiam sceptrum dictaei regis.*

Plaut. Mil. 4, 8, 64. *ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessumum.* Cic. ad Fam. 13, 17, 4. *si quam* (voluntatem) *in illum ante has meas litteras contulisti.* Liv. 1, 59. *per hunc castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro.* 39, 42. *qua* (oratione) *si accusator ante notam — usus esset.* Cicero in orationibus nusquam ita loquutus esse videtur, nisi addito participio.

Val. Flacc. 7, 10. *non haec mihi certe nox erat ante tuos, iuvenis fortissime, vultus.* i. e. antequam te videram. Claudian. in Ruf. 1, 333. *ante tubas ferrumque.* conf. Sil. Ital. 9, 52. ubi Drakenb. Virgil. Aen. 11, 424. Iuvenal. 1, 169. Stat. Silv. 3, 2, 73. *ante rates pigro torpebant aequora somno.* i. e. antequam rates essent. Lucan. 6, 144. *castrorum in plebe merebat ante feras Rhodani gentes.* Oudend. et Burmann. explicant: antequam gentibus bellum illatum esset. Est igitur, ante rem cum feris gentibus Rhodani actam. 6, 550. *et quacumque iacet nudum tellure cadaver, ante feras volucresque sedet.* i. e. prius quam ferae insideant voraturae cadaver.

Ante hoc dixerunt Lucanus 6, 116. et Tacitus Germ. 13, 3. *ante hoc domus pars videntur, mox reipublicae.*

5. Substantivis additur participium praeteriti et futuri passivi, quo substituitur temporis notio, duaeque res comparantur. Cuius loquutionis caussa non quaerenda est in ambiguitate evitanda, sed in ipsa indole latinae linguae, quae abstracta, ut vocant, nomina usurpare recentiori demum tempore adsuesceret.

Cic. de Div. 1, 39, 86. *neque ante philosophiam patefactam, quae nuper inventa est, hac de re communis vita dubitavit* i. e. ante quam philosophia patefacta erat. Tuscul. 5, 3, 7. *cuius temporibus Homerus etiam fuisse ante hanc urbem conditam traditur.* de Divin. 1, 45, 101. Liv. 3, 15, 3. *id negotii datum — ut iuventutis tribuniciam potestatem e republica tolleret, formaque eadem civitatis esset, quae ante sacrum montem occupatum fuerat.* 3, 53, 4. *ante decemviros creatos.* Sallust. Iug. 110, 2. *et hercle, Sulla, ante te cognitum, multis orantibus, aliis ultro egomet opem tuli.* Gaius

Instit. 3, 86. *ante aditam vero hereditatem cedendo nihil agit.*

6. Sunt quaedam substantiva nomina, quae, cum hac praepositione coniuncta, peculiarem usum ac sensum habent. Harum formularum exempla cognoscere haud pigebit.

Ante rem de bello ac pugna Liv. 9, 40, 5. *nitentia ante rem, deformia inter sanguinem et vulnera.*

Ante finem de re nondum peracta: *vor Ende.* Plin. Ep. 1, 13, 2. *nec tamen permanent, sed ante finem recedunt.* i. e. antequam recitatio finita esset.

Ante annum pro ante unum annum. Plin. Ep. 8, 23, 7. *erat uxor, quam ante annum virginem acceperat. Ante suos annos* pro ante vitae legitimum finem, de immaturo fato dixit Ovidius Am. 2, 2, 46. *ante suos annos occidit.*

Ante tempus, intellige legitimum, concessum, more vel iure vel pacto praestitutum. Cic. de Amic. 3, 11. *qui consulatum petivit numquam, factus est consul bis, primum ante tempus, iterum sibi suo tempore, reipublicae pene sero.* Eodem modo Sueton. Aug. 26. Tum dicitur de immaturo tempore Liv. 31, 36, 3. *duces caetratae cohortis, non satis exspectato signo, ante tempus excitatis suis, occasionem bene gerendae rei amisere.*

Ante diem: intelligitur dies fato destinatus. Ovid. Met. 1, 149. *filius ante diem patrios inquirit in annos:* quod explicant de quaerendis astrologis: sed incerta est interpretatio in loco a librariis interpolato. Art. am. 3, 739. *ante diem morior.* Soph. Antig. 461. *εἰ δὲ τοῦ χρόνου πρόσθεν θανοῦμαι.* Vid. Lud. de la Cerda ad Virgil. Aen. 4, 697. De rebus anticipatis, non legitimo tempori reservatis. Ovid. Art. am. 1, 184. *caesaribus virtus contigit ante diem.* Stat. Silv. 2, 1, 108. *tener ante diem vultu gressuque superbo vicerat aequales.* Silius 3, 13. *hinc omen coeptis et casus scire futuros ante diem, bellique vices novisse petebat.* Val. Flacc. 6, 438. *haec etenim Minyas ne iungere marte peracto monstra satis iubeat cadmei dentibus hydri, ante diem, timet.* i. e. ante tempus, quod Iunoni placuerat. Interpungendum enim est ita, ut feci: verba *ante diem* interposita sunt tamquam in epexegesi: *haec* intellige *monstra.* — *Ante hunc diem numquam* pro prius quam hodie, quam nunc, Plautus dicit Epid. 3, 4, 60. 4, 2, 7. Capt. 3, 4, 101. quod est Trin. 5, 2, 17. *ante nusquam prius.* Et Terent. Hec. 4, 4, 19. 5, 4, 23.

7. De re ante acta vel ante agenda duplici modo loquimur. Primo ipsum tempus antepositum spectamus sive per se constituendum, sive ex eo, quod nos tenemus, temporis puncto commetiendum ita, ut rem actam ad illud tempus, una notione comprehensum, transferamus, et ipsum tempus tamquam rem antepositam consideremus. Nam quum dicimus *ante lucem, ante biennium*, *ante decem annos*, intelligimus tempus ipsum ante exortam lucem, antequam biennium et decem anni transacti sint, definita temporis duobus terminis conclusi notione, quae etiam rei nomine exprimi potest, veluti *ante bellum:* transscendimusque ad ipsum huius temporis terminum. Quare qui ita loquitur, rem nominandam transfert ad illud antepositum tempus, idque cum suo tempore, vel cum tempore, in quo qui rem factam narrat versatur, componit. Tum vero alia est ratio, quum duas res actas comparamus, earumque distantiam temporis nomine designamus. Dicimus enim *decem ante annis*, *zehn Jahre vorher*, ut sententia sit: decem annis antequam illud factum est: *paucis ante diebus* i. e. paucis diebus ante haec. Quum priori illa dictione utor, versor in ipso tempore, cuius certum terminum teneo in praesentia: per hanc alteram comparo duas res temporali ratione, quam Latini et per ablativum et per accusativum exprimunt, sicuti dicunt *abhinc decem annis* et *abhinc decem annos.* In illa *ante* est praepositio, in hac adverbium: nam elliptica sive breviata est orationis forma. Atque eum, qui narrat, ubi ad suum tempus refert aliquam rem actam, dicere oportet *ante aliquot dies*, *vor einigen Tagen.* Sed ubi rem aliquam ad alteram rem priorem confert, *aliquot diebus ante.* Quare illa, quae Bremius ad Cornel. Dat. 11. subtiliter animadvertit, plurima ex parte vera sunt, neque ea exempla obstant, quae contraria esse Schmidtius nuperrime in Ephemerid. Halens. an. 1826. n. 259. commemoravit: sunt enim ea omnia de tempore ipso dicta. Illud vero ante omnia ponendum erat tamquam quaestionis principium, ubi de ipso tempore agatur, idque notione una et absoluta comprehendatur, ob eam caussam, quam exposui, etiam in rebus praeteritis usum praepositionis concedi, neque discedere ab universa ratione Velleium 2, 112, 7. *hoc vero tempore Agrippa, qui eodem die, quo Tiberius, adoptatus ab avo suo naturali die et iam ante biennium, qualis*

esset, *apparere coeperat — patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi.* Biennium enim per se intelligitur tamquam res, sive tempus rebus repletum, magisque definita est notio quam in *decem annis.* Sic nos distinguimus *Jahrzehend* a *zehn Jahre.* Ita dixit Columella de Arbor. 4, 2. *si scrobibus aut sulcis vineam posituri erimus, optimum erit ante annum scrobes vel sulcos facere.* quod 16, 2. comparata re expressit his: *qui arbustum constituere volent, ante annum, quam deponant arbores, scrobes faciant. Ante annum* est *vor Jahresfrist.* Ita Iustinus 18, 3, 5. *Tyron urbem ante annum Troianae cladis condiderunt.* Non dici poterat *ante decem annos Troianae cladis.* Tacit. Agr. 45. *nobis tam longae absentiae conditione ante quadriennium amissus es.* quod non est *vor vier Jahren*, sed *vier Jahre zuvor.* In his vero ambiguitas removetur distinctione accentus, qui, ut diximus p. 362., in adverbio acutus, in praepositione gravis est.

Praepositionis exempla iam a me allata sunt multa, in quibus omnibus una est ratio temporis absoluti, et ad aliud certum tempus relati, quod ei, qui loquitur, aliud esse non potest nisi praesens. Nemo igitur dixit de tempore ante acto *ante aliquot dies venit* pro *aliquot ante diebus venit*, nisi oratio de praeteritis agit tamquam de praesentibus. Cornelius si Datam. 11, 2. scripsit: *huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliquot dies venit, compluribusque locis separatim gladios obruit.* aut nimiam vim tribuit historico praesenti, aut adverbium ambiguo quidem sensu, sed non praeter grammaticam rationem ante accusativum posuit, aut denique male scripsit. Neque conferri possunt alia exempla, in quibus legitur *aliquot ante dies.* In iis enim *ante* est adverbium, non praepositio per anastrophen transposita. Nam sicuti recte dicitur *horum pater abhinc duo et viginti annos est mortuus* Cic. Verr. 2, 9, 25. ita etiam Liv. 31, 24, 5. *eademque negligentia erat, quae Chalcidem dies ante paucos prodiderat* et Sueton. Caes. 81. *paucos ante menses* et Tacitus Ann. 14, 9. *hunc sui finem multos ante annos crediderat Agrippina contempseratque.* Quamquam non negaverim inveniri quaedam traiectae praepositionis exempla. Nam leguntur apud Cornel. Chabr. 3, 1. *diem certam — quam ante domum nisi redisset*, apud Vellei. Pat. 2, 91, 2. *hoc ante*, ubi vid.

Ruhnken., et apud Plin. Hist. n. 35, 10, 36, 8. *omnia ante* ex emendatione Gronovii, quem vide. Et quod ad accusativi potestatem attinet, equidem non ignarus sum eorum decretorum, quibus quum alii grammatici, tum nuper Wüllner in libro de Casibus et modis germanice scripto p. 52. docuit, accusativo non nisi temporis perpetuitatem indicari, ut *paucos menses* significaret per paucos menses. Sed Latini dixerunt *abhinc duos annos mortuus*, *triginta annos natus*, et Graeci eodem modo *καὶ χθὲς δὲ καὶ τρίτην ἡμέραν τὸ αὐτὸ τοῦτο ἔπραττον*. Xen. Cyrop. 6, 3, 11. Demosth. Olynth. 2. p. 29. *μέμνησθε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ὅτ' ἀπηγγέλθη Φίλιππος ὑμῖν ἐν Θράκῃ τρίτον ἢ τέταρτον ἔτος τουτί.* Quae omnia in eo conveniunt, quod antecedens tempus accusativo designatur propterea, quia eventus rei aliquando factae per interpositum tempus valuit, illiusque spatium conspicitur continuum.

Plin. Hist. n. 15, 18, 20. *atqui tertium ante diem scitote decerptam Carthagine.* dubium est, utrum vertas *vor drei Tagen*, an *drei Tage vorher.* Sueton. Tiber. 61. *scriptaque abolita, quamvis probarentur ante aliquot annos etiam Augusto audiente recitata.* ut nunc legitur: sed alii codices et inter eos Cuiacii liber praebent *aliquot ante annos:* quod idem est atque *aliquot ante annis.* Illud tamen probari potest, si una notione comprehendamus verba *ante aliquot annos recitata.*

Cic. Acad. 2, 5, 13. *qui legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tribunus plebis tulerit.* Quod veteres editiones habent *aliquot annos ante* non appellaverim cum Goerenzio vitiosum, sed inelegante dictum. Cic. de Senect. 14, 50. *qui quum sex annis ante, quam ego natus sum, fabulas docuisset.* alii libri *sex annos:* utrumque bonum est.

8. Adverbium, aut cum accusativo, aut cum ablativo compositum, semper confert rem aliquam praeteritam cum altera re praeterita, elapsi temporis ratione interposita, neque refertur umquam res ad praesens tempus. Perizonius ad Sanctii Min. T. 2. p. 72. coniungere nos iubet ablativos cum praepositione, Ruddimannus T. 2. p. 291. substituit *in.* Neutrum probari potest.

Cic. Tusc. 5, 3, 7. *itaque et illos septem, — et multis ante saeculis Lycurgum — accepimus fuisse et habitos esse*

sapientes. intellige multis ante septem sapientes annis. ad Fam. 4, 9. *etsi perpaucis ante diebus dederam Q. Mucio litteras ad te pluribus verbis scriptas — : tamen quum Theophilus libertus tuus proficisceretur, — sine meis litteris eum ad te venire nolui.* Bene observavit Stallbaumius ad Ruddimann. l. l. Ciceronem non sui habuisse rationem, sed Theophili proficiscentis, ut sensus esset perpaucis ante, quam Theophilus proficisceretur, diebus. Liv. 3, 51, 12. *quo* (magistratu) *anno iam ante abissent.*

In hac dictione adverbium non unum locum obtinet, et vel post vocabulum numerale, vel post substantivum cum adiectivo coniunctum, vel, quod rarius factum est, ab initio. Nullum inveni exemplum, in quo substantivum praecederet, adiectivum sequeretur.

Cic. Tusc. 1, 29, 71. *paucis ante diebus.* Liv. 41, 11, 1. 6, 37, 9. *paucis ante annis.* ubi duo cod. *paucis a. ante.* Tacit. Ann. 2, 9. Liv. 40, 4, 3. *multis ante annis.* 31, 1, 8. *decem ferme ante annis.* Cic. p. Cluent. 16, 46. *multis iam ante annis.*

Cic. Philip. 2, 40, 102. *quo erat paucis diebus ante deducta.* Liv. 39, 21, 2. *biennio ante.* 41, 27, 2. 40, 40, 13. *qui biduo ante venerat.* 40, 52, 4. *voverat eam annis undecim ante L. Aemilius Regillus.* Cic. Lael. 12, 42. *viginti annis ante.* ad Att. 4, 7. Liv. 34, 6, 9. ubi alii libri *viginti ante annis.* Drakenborch. ad 6, 37, 9. demonstrare voluit, quum Livius solitus fuisset praepositionem mediam collocare inter adiectivum et substantivum, hunc ordinem servari debere etiam in adverbio. Sed 5, 33, 5. *ducentis annis ante.*

Liv. 40, 57, 2. *quae bello Ligustino ante annis octo vovisset.* quod Guil. Ernestius mutandum censuit. 38, 52, 7. *ad quem ante annis septemdecim exercitum et classem habentem tribunos plebis aedilemque mittere in Siciliam ausi sumus.* sed codices fere omnes *antea exercitum:* nonnulli *ante annos:* recte.

9. Expressa comparatione aut eodem modo ponitur adverbium sequente *quam*, aut mutatur in praepositionem ita, ut accusativum attrahat.

Cic. de Orat. 2, 37, 154. *qui annis permultis ante fuit, quam ipse Pythagoras.* Sueton. Aug. 101. *ante annum et quatuor menses, quam decederet.* Ner. 56. *ante paucos, quam periret, menses.* Aug. 9. Senec. ad Helv. 15, 2. *quod te ante tertium demum diem, quam percussus sum, securam — regredi voluit.* Columel. 5, 5, 1. *ante annum fiant quam*

vineta conserantur. Et ad rem relatum Cic. ad Att. 6, 9. *quos puto ante venturos quam nostrum Saufeium.* Reliqua vide in ANTEQVAM.

10. Et cum praepositione et cum adverbio coniunguntur vocabula *multo, paullo, tanto, aliquanto:* quae non necesse est explicemus intellecto nomine *tempore.* Priscian. 18. p. 1191. (25, 245.) *Attici dicunt ὀλίγον πρότερον καὶ ὀλίγῳ πρότερον. nos quoque ante paullum et paullo ante Cicero in I Invectivarum: et voces paullo ante exaudire potuisti.* Cuius observationis immemor Schwartzius ad Tursellin. monet: „cave dicas *tantum ante, multum ante, aliquantum ante.* Subintelligitur enim *tempore* vel simile quid.“ Ipse tamen adscripsit locum Cic. ad Fam. 3, 11, 2. *etsi permultum ante certior factus eram litteris* etc. Haec vocabula, quae praecedere solent, interdum post adverbium *ante* posita sunt.

Liv. 27, 42, 13. *multoque ante noctem copias reduxit.* Cic. ad Fam. 4, 3, 3. *multo ante tamquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram.* Sueton. Tib. 67. Curt. 8, 5, 24. *videsne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paullo ante ridebas.* Sueton. Caes. 21. *paullo ante Bibulum impugnaverat.* Cic. Philipp. 2, 33, 83. *quod tu iam calendis ianuariis futurum esse praevideras et tanto ante praedixeras.* in Verr. 5, 34, 89. *quod si Cleomenes non tanto ante fugisset.* de Orat. 1, 7, 26. Quinctil. 2, 4, 28.

Cic. de Sen. 2, 6. *ante multo a te didicerimus.* de Rep. 2, 4. *quae ante paullo perbreviter attigi.*

11. Adverbium, quod, ut vidimus, comparationem indicat verbis non expressam, saepe etiam ita usurpatur, ut significet *antea, olim, iam olim,* oppositaque habeat praesentis vel alius temporis vocabula *nunc, hoc tempore, tum,* alia. Nos dicimus *früher, ehedem.* Facciolatus in Epistola Meieri Schwartzium propterea impugnaverat, quod hae vocabulorum coniunctiones non postularent novam regulam: nam eas non ipsa particula effici, sed sensu. Ille se defendit in Appendice, sed caussam non accurate egit. Scilicet observanda erat particulae indoles, quae semper aliquam oppositionem requireret: ea vero duplex est, vel absoluti temporis vel consequutionis cohaerentis.

Plaut. Most. 1, 3, 42. *rem vides, quae sim, et quae fui ante.* Cic. de Nat. d. 2, 23, 61. *quas in Capitolio dedica-*

tas videmus proxime a M. Aemilio Scauro: ante autem ab Atilio Calatino erat Fides consecrata. Plaut. Capt. 3, 1, 14. *ipsi obsonant, quae parasitorum ante erat provincia.* i. e. antiquo tempore.

Cum *prius* coniunxit Plautus Trin. 5, 2, 17. *quem ego nec qui esset noram, neque eum ante usquam conspexi prius.* Apud recentiores scriptores cum substantivis coniungitur simpliciter. Curt. 10, 10, 7. *quippe paullo ante regis ministri, specie imperii alieni procurandi, singuli ingentia invaserant regna.*

Varro de Lat. L. 4, 1. *multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.* Cic. ad Fam. 15, 14, 5. *sed tamen et feci ante et facio nunc.* ad Quint. fr. 3, 9. *quod quidem bonum mihi nunc denique redundat, ut his malis reipublicae, licentiaque audacium, qua ante rumpebar, nunc ne movear quidem.* ad Att. 9, 6. *ante sollicitus eram et angebar, — nunc autem — non angor, sed ardeo dolore.* 7, 11, 1. *nisi ante Roma profectus esses, nunc eam certe relinqueres.* Liv. 44, 38, 5. *quantum numero nos praestent, neminem vestrum nec ante ignorasse, et hesterno die implicatam intuentes aciem animadvertisse certum habeo.*

Liv. 2, 52, 7. *fervidi animi vir, ut in publico periculo ante, sic tum in suo.* Ovid. Met. 1, 5. *ante mare et tellus et, quod tegit omnia, coelum unus erat toto naturae vultus in orbe.* Ita edidit Heinsius. Quod si ob vim poeticam probamus, *ante* dictum est pro *ab initio rerum, ante rerum originem.* Sed pro *olim* posuit poeta Fast. 1, 337. *ante, deos homini quod conciliare valeret, far erat.* Her. 1, 44. *at bene cautus eras ante mei.*

12. Consequutionem constituunt vocabula *ante* et *post*, *postea*, *tum* et alia, quae rebus contineri tempus indicant. In his *ante* vertimus *vorher*, *vorerst*. Poetae id adeo usurpant, ut significet *ab initio*, *anfangs*. Sed alii quoque scriptores ponunt pro *prius*.

Celsus 8, 10, 7. p. 541. *cetera et ante et post eadem facienda, quae supra scripsi.* 6, 15. *quoties autem medicamentum iniicitur, et ante et post os diluendum est.* Columel. de Re r. 11, 1, 32. *si persuasum habuerit, modo ante, modo post, interdum etiam stato die orientis vel occidentis competere vim sideris.* Cels. 8, 10, 1. *si ante reposita ossa non sunt, post eam reponenda sunt.* alii *postea.* Liv. 24, 32, 5. *precibus agebant, ne proderent patriam tyranni ante satellitibus et tum corruptoribus exercitus.* 22, 22, 6. *Abe-*

lux erat Sagunti nobilis Hispanus, fidus ante Poenis: tum — cum fortuna mutaverat fidem. 30, 34, 6. *uti paullo ante non adiuti, et tunc exclusi.* conf. 44, 4, 3. Celsus 3, 19. *si cibum non accipit, perunctum ante perfundere aqua frigida convenit, et tum dare.* 7, 26, 3. *at calculus arenosus et ante manifestus est: — et in ipsa curatione.* ubi non dicemus cum Schwartzio opponi *ante* et *in*, sed prius tempus posteriori. Plin. Hist. n. 33, 1, 6. *ut plane affirmare possimus, nummos ante apud nos, mox coepisse anulos.*

Valer. Flacc. 6, 664. *ac velut ante comas ac summa cacumina silvae lenibus alludit levis auster: at illum protinus immanem miserae sensere carinae.* i. e. initio.

Cic. de Fin. 2, 10, 30. *discipulos quaerere videtur, ut, qui asoti esse velint, philosophi ante fiant.* ad Fam. 6, 3, 4. *si id vel ante acciderit.* i. e. prius, citius.

Valer. Flacc. 6, 261. *si quis avem summi deducat ab aëre rami, ante manu tacita cui plurima crevit harundo.* int. antequam deducat. Eodem modo Tibull. 2, 6, 23. *haec laqueo volucres, haec captat arundine pisces, quum tenues hamos abdidit ante cibus.* Saepissime hac dictione utitur Tibullus 2, 1, 78. 2, 1, 24. 1, 3, 89. Virgil. Ecl. 6, 80. *quibus ante infelix sua tecta supervolitaverit alis.* i. e. antequam deserta peteret. Ne coniungas *ante sua tecta*, ut fecit Mancinellus.

13. Recentiorum scriptorum quidam hanc ob caussam *ante* usurpabant in enarranda rerum consequutione, ubi alias dicebant *primum*, sequentibus vocabulis *deinde, tum.*

Celsus 7, 29. p. 492. *tum id agendum est, ut ante caput, deinde reliqua pars auferatur.* Plin. Hist. n. 34, 13, 34. *purgatur ante penna, dein crassiore lotura.* ubi tamen scriptura dubia est. Celsus 5, 26, 1. *et ante dicam de his, quae in quamlibet partem corporis incidunt: tum de his, quae certas partes infestant.* 6, 18, 8. 6, 6, 8. p. 354. *sed ante tonderi ad cutem convenit: deinde in balneo aqua calida quam plurima caput atque oculos fovere, tum utrumque penicillo detergere.* De loco Plauti Mil. 2, 2, 66. dixi p. 242.

14. Formulae constituuntur verbis *nemo ante, numquam ante, numquam ante alias* s. *alias ante*, quibus Livius adeo saepe usus est, ut Aug. Guil. Ernestio particulas nimium studiose vel praeter necessitatem vel ex imitatione Graecorum accumulasse videretur. Dictionem *ante hunc diem numquam* supra notavi.

Plin. Pan. 54, 6. *nemo ante tantus fuit, ut crederetur noluisse decerni.* Quod Goerenzius ad Cic. Acad. 1, 11, 41. sibi persuasum habet, Ciceronem non dixisse praemisso nomine *ante nemo*, sed aut *antea nemo*, aut *nemo ante*, non prius disceptabimus, quam, quibus locis Cicero *nemo ante* dixerit, demonstratum erit.

De formula *ante omnia*, *ante omnes* infra dicemus.

15. Sed comparatio temporum etiam verbis exprimitur. Pergit enim oratio per *quam*, de quo suo loco dicam in ANTEQVAM. Eodem modo *quum* usurpari notavit Schwartzius in Tursellino, et attulit locum Livii 38, 8, 7. *non plus mali meritos Aetolos Antiochi bello quam boni ante, quum adversus Philippum bellatum sit, fecisse.* Facciolatus in Epist. Meieri p. 14. „quid, inquit, si pro *quum* Livius scripsisset *quo tempore?* sed si recte cogitabis, tu ipse facile intelliges, totum hoc alterum membrum, tamquam parenthesi clausum, per se ipsum stare, et sensum quidem explicare, constructionem autem nullo modo afficere.“ Ei assentitur Ernestius: per *quum — est* explicari *ante*, et tempus accuratius definiri. Quamquam non cohaerent comparationis ratione, tamen notanda sunt exempla, in quibus, praemisso *ante*, ipsum hoc tempus distinctius nominatur. Wunderlichius si illum Livii locum considerasset, non omnino negasset dictionis veritatem.

Liv. 27, 28, 5. *paullo ante hic nuntius consulis Salapiam venerat, quum litterae ab Hannibale allatae sunt.* Sigonii liber cum Oxon. *quam:* quod Wunderlichius ad Tibull. 1, 3, 9. quasi in multis ita legeretur, restituendum censebat. Equidem mutare non ausim. Tibull. 1, 3, 9. omnes editores Dousam sequuntur: *Delia non usquam: quae me quam mitteret urbe, dicitur ante omnes consuluisse deos.* ubi antea legebatur *quum:* quod non male, sed eleganter dictum est.

16. Absoluti usus peculiare exemplum conspicimus in formula *quod ante dixi*, *sicut ante dictum est*, in qua etiam *antea* ponitur. Librarii haec saepe confuderunt, sed nullo significationis discrimine. Sic apud Cic. de Nat. d. 1, 15, 39. *eum, quem antea dixi aethera.* codices non pauci exhibent *ante.* de Lege Manil. 6, 16. omnes libri *ut antea dixi.* In Orat. p. Tull. 5. *quod antea nihil in istum dixi* significat actionem priorem.

Plaut. Capt. Prol. 17. *fugitivus ille, ut dixeram ante*, etc.

Liv. 26, 39, 5. *classem viginti navium, sicut ante dictum est, effecit.* Multa collegit Drakenborch. ad 37, 6, 4.

17. Saepe coniungitur particula *iam*, qua augetur oppositio temporum. Nos *schon früher*, *schon ehedem.*

Plaut. Epid. 1, 1, 30. *at iam ante alii fecerunt idem.* Trin. 4, 1, 9. *atque hanc gloriam iam ante auribus acceperam.*

18. Interdum adverbium ita positum est ante nominum accusativum, ut ambiguitas quaedam, vel certe obscuritas exsisteret. In his veteres erant non nimium curiosi.

Virgil. Ge. 3, 552. *pallida Tisiphone morbos agit ante metumque.* Plin. Pan. 75, 3. *ut experimento cognosceretur, et ante nos gratos, sed miseros fuisse.* ubi Lipsius coniecit *ante non ingratos.* Liv. 21, 14, 4. *armati nullum ante finem pugnae quam morientes fecerunt.*

19. Redeamus ad quasdam alias formulas. In nominanda certa anni die Latini utuntur vocabulo *ante* duplici modo: primum eo, quo *ante* opponitur verbo *post*, ut terminus certus ponatur, quousque res producatur vel prolatetur. Sic Coelius ad Cic. Ep. 8, 8, 24. *se ante cal. mart. non posse sine iniuria de provinciis Caesaris statuere: post cal. mart. se dubitaturum.* Tum ipsum diem, quo aliquid factum sit vel fiat, designasse videntur per vocabulum *ante.* Nam Cicero tertiam Philippicam recitaverat die XIII ante cal. ianuarias: eam in orat. 14, 7, 20., ut vulgo scribitur, his verbis commemorat: *memoria tenent, me ante diem XIII calendas ianuarias principem revocandae libertatis fuisse.* Haec formula, in epistolis Ciceronis aliorumque saepissime obvia, quantopere exercuerit ingenia grammaticorum, inter omnes constat. Agmen ducit Manutius ad Cic. Epist. Fam. 3, 12. demonstrans *ante diem tertium nonas* esse tertio die ante nonas. Eum in hac explicatione sequuti sunt Sigonius ad Liv. 27, 23, 7. Perizonius ad Liv. 41, 16, 5. Salmasius in Epistola 124. Cortius ad Cic. Epist. 2, 17. aliique. Tum interpretes de caussa quaerentes in diversas partes discesserunt. Altera enim pars *ante diem tertium calendas* intelligi putabant tertium diem ante calendas, eumque dici per anastrophen pro *tertio die ante calendas.* Id demonstratum iverunt And. Schottus in Observat. 5, 31.

et alii; quod quum ratione destitutum esset, praepositionis vim defendit Salmasius in Epist. p. 280. Alii tamen, qui vocabulum *ante* etiam in iis locis deprehendisse sibi visi erant, in quibus non additum esset nomen dierum calendarii, ipsi praepositioni tribuebant potestatem certi temporis designandi. Eorum sententiam primum exposuit Bosius ad Cic. Ep. ad Att. 1, 1. sed multo distinctius Norisius in Cenotaph. Pisan. Diss. 2, 17. p. 342. demonstrans *ante diem* significare, antequam dies prorsus finitus esset, quod esset, ipso die. Hanc sententiam comprobaverunt interpretes iuris ad Digest. de verbor sign. 233, 1. et de verb. obl. 13. et 56, 5. Dodwell. de Cyclis Diss. 4. sect. 16. Duker. ad Liv. 27, 23. Garaton. ad Philipp. 14, 7. et 10, 11. Quare aliis in promptu erant expositiones: *ante exactum diem*, *ante finitum diem*. Vid. Antonin. Augustin. Emendat. 4, 6. Schwartzius in Tursellino, Ruddimann. T. 2. p. 291. Beierus ad Cic. p. Scaur. p. 121. Ramshornii Gramm. p. 247. In qua opinione nescio utrum magis ellipseos analogiam, an aptam notionis conformationem desiderem. Ad subtiliora confugit Drakenborchius: nullum traiectionis esse locum, sed in formula *ex ante diem quintum idus* ellipsin expleri debere per verba *ex die ante diem*. Vide eum ad Liv. 45, 2, 12. Similiter I. Fr. Gronovius in Epist. ad Salmas. Syllog. Burmann. 313. T. 2. p. 562. ita praecipit: *ante diem III cal. ian.* concisum esse pro die ante diem tertium ab hoc, quo sunt calendae ianuarii: *calendas* adiungi ad *tertium diem* per appositionem: sed *die tertio calendas* per ellipsin dici vocis *ante:* hanc igitur rationem ab illa diversam esse, non significationem: denique non dici posse *in ante diem*, nisi intelligatur nomen *in die ante diem*. Salmasius autem in Epist. 124. et 125., et ellipsin vocabuli *die* et appositionis, in qua aequalia desiderentur, defectum repudians, quamquam omnia ea ante oculos habuit, quae in rectam viam deducere possent, deflectit tamen rursus ad opiniones falsas et incredibiles: in verbis *die tertio calendas* et *tertium diem calendas* esse *ante* omissum: *ante diem tertium calendarum* significare idem quod *die tertio ante calendas:* denique errore et abusu factum esse, ut utrumque genus, *ante diem tertium calendarum* et *diem tertium ante calendas*, misceretur ac diceretur *ante diem tertium calendas*. Quae omnia ideo commemoro, ut, quo irrito

conatu viri doctissimi rem in vitae commercio notam ad subtiliorem doctrinam retulerint, appareat. Nam quamvis in eius generis formulis per communis consuetudinis usum multa saepe adsciscantur, quae ab omni ratione abhorrere videantur, nihil tamen absurdius esse potest ista sententia de praepositionis anastrophe et de commixtis constructionibus, neque exstat in ullo antiquo libro, neque apud grammaticos veteres documentum, quo comprobemus illo compendio litterarum A D significari *ante diem*, praepositionem cum substantivo coniunctam.

Latini in designandis diebus nominationem fecerunt a distantia. Hinc etiam, ubi nullus adiiciebatur numerus, ita loquuti sunt. Cic. ad Att. 6, 2. *itaque statim dedi litteras, ut ex Cypro equites ante certam diem decederent.* quod, si rem spectas, idem est quod *certo die*, si verba ipsa explicas, *ne longius ibi commorarentur.* Caesar B. Civ. 1, 11. *polliceri, se in provinciam iturum, neque ante quem diem iturus sit, definire.* Etiam in Sallustii Cat. 36, 2. *ceterae multitudini diem statuit, ante quam sine fraude liceret ab armis discedere.* intelligunt *qua die.* At decretum erat, usque ad certam diem licere discessum. In Cic. ad Att. 6, 1. *diem statuo satis laxam: quam ante si solverint, dico, me centesimas ducturum.* non intelligi potest ipsa dies, qua soluturi fuerint, sed terminus temporis, quem ante solvendum esset. Liv. 41, 16, (20,) 8. *ante triduum quam oppugnare coeperat receptam ex hostibus colonis restituit.* Gesnerus cum Norisio non necessariam censet correctionem *intra*, sed dictum esse pro *triduo:* quod cum reliquis verbis omnino non convenit: de qua re postea dicam. In numeris addendis duae erant Latinis formae cum Graecis communes: nam tempus, quo aliquid factum, et ablativo et accusativo notatur. Illud tractum temporis, hoc statum proprie notat: sed usus utrumque confundit, quemadmodum nos Germani vulgari sermone consuevimus. Conf. quae diximus p. 372. Et quae tertio die facta sunt, etiam dici possunt per tertium diem facta esse. Priscianus 18. p. 1210. (30, 298.) *Illi τρίτην ἡμέραν καὶ τρίτῃ ἡμέρᾳ τόδε ἔπραττον, pro nudius tertius. Hinc Romani tertium et tertio calendas, vel nonas, vel idus, vel calendarum, nonarum, iduum, pro in tertio ante calendas, vel nonas, vel idus. Cicero Invectivarum I Memini-*

stineme ante diem XII calendarum novembrium dicere in senatu, fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI calendarum novembrium: pro in diem sextum calendarum novembrium. Ante frequentius tamen accusativo adiungitur, et per ellipsim praepositionis. Nescio quomodo alii extrema haec intellexerint, mihi dixisse videtur Priscianus, frequentiorem esse usum formarum *ante diem sextum cal.* et *sexto calendas:* quod ipse p. 1214. interpretatur *ante calendas.* Sicuti Cic. ad Att. 7, 5. *ita ad urbem III nonas, natali meo.* 13, 42. 11, 23. *pridie eum diem.* Sed ne in his quidem omissam esse praepositionem putaverim: nam omitti potest praepositio, quum eius vis aeque per simplicem casum exprimitur: quod non licet fieri in verbis *ante, post.* Dicebant igitur Latini *tertio* et *tertium* uno eodemque sensu de die, quo aliquid factum, quemadmodum nos *den dritten* et *am dritten* dicimus, addebantque mensis nomen accusativo, quo numerationis ratio, sive temporis progressus exprimeretur: tertio die versus, vel in calendas. Salmasius haud male comparat communem usum verborum *paullo* et *paullum ante.* vid. Priscian. p. 1198. In ista autem formula, in qua *ante* poni solebat, coniungamus necesse est cum nomine suo praepositionem. Dicebatur enim interpositis verbis numeralibus *ante die tertio calendas*, et *ante diem tertium nonas*, quod est, diem tertium ante nonas. Interponitur autem medius inter haec verba numerus, ut rotunda fiat dictionis forma. In antiquis libris omnibus ubique scriptum legitur A. D. sive *a. d.:* quod librarii *ad* esse putabant. vid. Garaton. ad Cic. Phil. 10, 11. et nostram paginam 100. cui adiicias, quae Pareus in Lex. Crit. p. 97. Cort. ad Cic. Epist. 2, 17. Illud vero quum esset *ante die*, vulgo tamen a librariis ubique accipiebatur pro *ante diem:* nec negari potest hoc vulgari usu, ut fieri solet in his formulis, constructione coniuncta esse verba *ante diem.* Nam Plutarchus in Numa p. 61. D. dicit Romam conditam πρὸ δέκα μιᾶς καλανδῶν μαΐων. et in Poplic. p. 101. E. cum Tarquiniis pugnatum esse πρὸ μιᾶς καλανδῶν μαρτίου: sed Dionysius 6. p. 410. τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν δεκεμβρίων, quod apud Livium 39, 52, 4. *a. d. IV idus decembres.* Gellius qui 5, 17. scripsit *ante diem quoque quartum calendas vel nonas vel idus, tamquam ominalem diem pleri-*

que vitant. in ipsa capitis summa, quae non ab aliena manu praefixa videtur, *diem quoque quartum ante calendas.* Alia fit haec ratio adiuncto genitivo. Nam dicunt *ante diem tertium calendarum* eo modo, quo in aliis etiam adverbium cum praepositione commutatur, et *ante annum* dicitur pro *anno ante.* vid. p. 371. Illud igitur significat *ante die tertio calendarum*, quod idem ac *die tertio ante calendas.* Sic *ante paucis diebus* et *ante paucos dies.* Denique, quae est harum communis sermonis formularum conditio, illud *a. d.*, quamquam eam, quam modo exposui, propriam habebat constructionem, substantivum factum est *ante-die*, *ante-diem* per interpositum hyphen ita formatum, ut et ab alia praepositione praefixa regi, et omnem rectionem excedere posset. Quare, ut haec omnia uno verbo complectar, dixerunt Romani *ante die tertio calendas*, et *ante diem tertium calendas* et *ante-diem tertium calendarum*, unde etiam *in ante-diem*, *ex ante-die.*

Iis in locis, in quibus alia accedit praepositio, ambiguum est compendium scripturae *a. d.*, atque Gifanius, tamquam confusae et mixtae constructionis artificium hominibus nostri temporis praelusisset, *exante diem tertium cal.* dictum esse existimavit pro *ex die tertio ante calendas.* Apud Liv. 43, 16, 12. legitur: *in ante dies octavum et septimum calendas octobres comitiis perduellionis dicta dies.* Cic. ad Att. 1, 16. *ita comitia in ante diem VI cal. sext. dilata sunt.* Sed quod scribitur Cic. ad Att. 3, 17. *ex a. d. non. iun. usque ad prid. cal. sept.* et Liv. 45, 2, 12. *ex a. d. V idus octob.* dubium est, utrum legas *ex ante-die*, an *ex ante-diem.* Varro de Re r. 1, 28. Poterat enim nomen immutabile in solemni formula respuere omnem rectionem, veluti dicitur *usque ad pridie nonas maias.* Cic. ad Att. 2, 11. Conf. Liv. 45, 3, 2. Id tamen facilius fit in ablativa forma quam in accusativo. In Plin. Hist. n. 11, 16, 15. Harduinus restituit: *gignitur id maxime arcturi exortu ex ante-pridie idus septembris.*

Liv. 41, 16, 5. *comitia in diem tertium nonas sextiles, latinas ad diem tertium idus sextiles edixit.* Sigonius emendavit *in ante diem tertium — latinas in ante diem.* sed quaeri potest, num utroque in loco recte. Cic. in Cat. 1, 3, 7. *meministine me ante diem XII calendas novemb. dicere in senatu certo die fore in armis, qui dies futurus esset ante diem VI cal. nov., C. Mallium.* primo loco cod. Colon. Modii et Gulielmi *in ante diem*, in secundo Palatini omnes *in*

ante diem. Illud falsum est, hoc bene se habebit, si legeris: *qui dies futurus esset in ante-die VI cal. nov.*

Cic. ad Att. 3, 17. *de Quinto fratre nuntii nobis tristes, nec varii venerant ex ante diem non. iun. usque ad prid. cal. sept.* quasi dictum esset pro *ex nonis:* quod non poterat dici. Excidit numerus *ex a. d. III non.* Sed ad hanc loquutionem defendendam afferunt testimonia iurisconsultorum, Vlpiani in Dig. 45, 1, 13. *qui ante calendas proximas stipuletur, similis est ei, qui calendis stipulatur.* Haec Bosius ad Cic. epist. ad Att. 1, 1. ita accipit, ut ipsae calendae dicantur. At tempus ante calendas opponitur tempori post calendas, illudque comprehendit extremum terminum ad stipulationem solvendam concessum, ipsas calendas. Paullus in Dig. 50, 16, 132. *anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur, et consuetudo loquendi id ita esse declarat: ante diem decimum calendarum, post diem decimum calendarum, neque enim utro sermone undecim dies significantur.* de quo loco innumerae exstant disquisitiones. Sed pertinet hoc ad illam rationem universam, qua Latini in numerandis calendarum diebus simul termini diem computaverunt, et *ante diem decimum calendarum* dixerunt pro *die decimo ante calendas.*

Cur universum hunc usum Latini non in vocabulo *post* admiserint, neque umquam dixerint *post tertium calendas*, ipsis calendis comprehensis, aut *tertio die calendas*, intellecto *post*, frustra quaesivit Salmasius in Epist. p. 279. et 293. ad cautionem, ne loquendi formulae confunderentur, provocans: propterea quod numeratio obtinuerit in praecedentibus, non in subsequentibus, hanc loquutionem non usitatam esse in sequentibus, sive in vocabulo *post.* Gronovius affert in Epist. p. 563. exemplum Digest. de Verb. sig. 233, 1. *post calendas ianuarias die tertio pro salute principis vota suscipiuntur.* hoc est *a. d. III non. ian.* Sed quum veteres a consueto numerandi more discedebant, certa caussa commoti esse debebant.

20. Vix operae pretium esset commemorare Schwartzii errorem, quo opinionem pene absurdam concepit et contra Facciolati reprehensionem vindicavit, *ante* interdum significare *post*, et referendum esse in numerum verborum, quae res contrarias indicant, veluti *altus*, nisi duo exempla allata interpretandi et emendandi variis experimentis tentata essent. Livius 42, 50, 1. *paucos ante dies Perseus, postquam legati ab Roma regressi praeciderant spem pacis, consilium habuit.* quae Schwartzius interpretatur: post reditum legatorum

antequam pauci dies elapsi erant. Ernestio autem *postquam* pro *quam* positum esse videbatur, ut sensus esset: paucos dies ante quam legati regressi praeciderant spem. Neutrum comprobari potest. Si integra est scriptura, verba ita cohaerent: paucis ante diebus quam consul cum omnibus copiis transvectus ad Nymphaeum castra posuisset, Perseus, postquam legati, ab Roma regressi, spem pacis praeciderant, consilium habuit. In altero loco 41, 16, 8. de Mutina urbe, *ante triduum, quam oppugnare coeperat, receptam ex hostibus colonis restituit.* Perizonius aliique corrigunt *intra triduum.* Douiatius explicat: ante tertium diem, postquam oppugnare coeperat, i. e. non totorum trium dierum oppugnatione. Quod etiamsi non alia habeat exempla, tamen verum puto, et ad Livii negligentiam refero.

21. Quod ante aliquod tempus factum esse dicitur, potest, si res antegressum tempus sua continuatione explet, recte etiam dici, usque ad aliquod tempus factum esse. Quare Heusingerus in Observat. p. 221. aliique docuerunt *ante* significare *usque ad.* Cornel. Aristid. 2, 2. *namque ante id tempus et mari et terra duces erant Lacedaemonii.* Timoth. 2, 3. *qui honos huic uni ante id tempus contigit.* Curt. 5, 3, 22. *invictus ante eam diem fuerat.* ubi cod. Palat. aliique *ad eam diem.* At aliud est unam aliquam rem duplici modo exprimi, aliud idem significari duobus vocabulis. *Ante* enim numquam significat *ad.* Ceterum in loco Cornel. Timoth. 2, 3. Bremius frustra quaesivit de discrimine verborum *ante id tempus* et *ante hoc tempus*, negavitque hoc intelligi posse de Timothei tempore: nam aut intelligendum esse Cornelii tempus, aut scribendum *ad id tempus*, ne absurde diceretur: honos uni Timotheo ante Timotheum contigit. Nihil refert, utrum scribas *ad hoc tempus*, an *ad id tempus*, sed, si integra est scriptura, ambiguus ille vitarum auctor formulam solemnem male accommodavit nomini affirmativo, ubi dicendum erat *nemini ante hoc tempus.* Egregie Stephanus: *qui honos huic uni, ante hoc tempus nemini contigit.*

Curt. 10, 8, 21. *ingentem spem indolis, ante eum diem fratris claritate suppressam, ea moderata excitavit oratio.* alii libri *suppressae:* quod praestare videbatur Acidalio, Freinshemio, aliis, non mihi.

III. 1. A vocabulo ANTE distinguimus praepositionem *prae* notione ab ordine desumpta: quapropter haec proprie dicitur de re prius agenda et de quacumque praestantia. At vulgaris usus haec ab antiquissimis iam temporibus miscuit: veluti grammaticorum auctoritas apud nostrum vulgus nondum effecit, ut vocabula *für* et *vor* accurate distinguantur. Igitur *ante* etiam ponitur de eo, quod prius fit, aut prae aliis rebus conficitur: quare coniungitur cum verbis *praeoccupare*, *praeparare*, *praecogitare*, *praescire*, et aliis huius generis, et cum adverbio *prius:* de quo pleonasmo dixerunt Linacer de Emend. struct. 6. p. 476. Vavassor Antibarb. p. 483. Bangius p. 1178.

Liv. 21, 20, 8. *praeoccupatos iam ante ab Hannibale Gallorum animos esse.* ubi vid. Drakenborch. 42, 47, 2. 10, 41, 9. *ad nutum omnia, ut ex ante praeparato, fiunt.* ubi multa alia Drakenb. Quinctil. 2, 4, 28. *nam quid hi possint — qui etiam in iis, quae sunt communia, et in plurimis caussis tractantur, vulgatissimos sensus verbis, nisi tanto ante praeparatis, prosequi nequeant.* i. e. per tam multum tempus antea praeparatis. Liv. 40, 4, 13. *femina ad multo ante praecogitatum revoluta facinus.* 36, 17, 12. *satis undique provisum anteque praecautum est.* ubi vid. Gronov. et ad 21, 32, 7. Terent. Andr. 1, 5, 3. *uxorem decrerat dare sese mi hodie: nonne oportuit praescisse me ante?* Sueton. Tib. 67. Tacit. Ann. 11, 7. *nihil a quoquam expeti, nisi cuius fructus ante praeviderit.* Sed Lactant. de Opif. d. 2, 2. *quemadmodum tamen vita earum tutior esset, ante providit.* Haec omnia etiam cum vocabulo *prius* componi solent. Librarii non raro adverbia omiserunt.

Plaut. Trin. 5, 2, 17. *quem ego nec qui esset noram, neque eum ante usquam conspexi prius.* Hinc *prius ante quam.* Virgil. Aen. 4, 24. *mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, — ante, pudor, quam te violo.* Cic. Philip. 8, 8, 23. *dixitque se non ante renuntiaturum senatui, nisi prius sibi respondisset, quid facturus esset, quam ex illa circumscriptione excederet.* ita plurimi codices: sed omnes critici abiecerunt *non ante* et cum Faerno *renuntiare* explicuerunt de exitu legationis nuntiando. Intelligendum est *legationem renuntiare*, ut Liv. 39, 33, 1. et sententia ita accipienda: dixit non antea loco se discessurum esse ad renuntiandam legationem, nisi rex sibi respondisset prius, quam ex illa circumscriptione excederet.

2. Haec eadem est caussa, quapropter *ante* de re aliis praeferenda et de praestantia usurpatur: unde dicitur *ante aliquem esse* et similia. Cicero nusquam ita loquutus est. Alii adeo *ante* pro *magis quam* posuerunt.

Sallust. Catil. 53, 3. *facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse.* ubi vid. Cortius. Liv. 35, 14, 11. *tum me vero et ante Alexandrum, et ante Pyrrhum, et ante omnes alios imperatores esse.* Curt. 7, 7, 10. *sed necessitas ante rationem est.* ubi vid. Loccen. 8, 7, 13. *si quis deorum ante Iovem haberetur, fastidires etiam Iovem.* Stat. Silv. 2, 6, 35. *illius unus ante decor, quantum praecedit clara minores luna faces.* Iuvenal. 8, 22. *hos ante effigies maiorum pone tuorum.*

Balbus in Cic. Ep. ad Att. 8, 15. *quem ante me diligo.* Ciceronem respiciens Schwartzius tirones monuit, ne hunc usum temere imitarentur: quod reprehensionem Facciolati et Ernestii non capit. Neque, quem hic laudat, Plautus ita ullo loco dixit praeter formulas *ante alios*, *ante omnia.* Nam quod vulgo legitur Casin. Prol. 8. *antiqua opera et verba quom vobis placent, aequom placere est ante veteres fabulas.* non uno nomine suspectum videtur. Interpretantur: prius, magis, potius. Absurdam esse dicit Bothius hanc sententiam: quibus antiqua verba placeant, magis iis acceptas esse debere veteres fabulas, quasi non hae ipsae ex antiquis verbis constent. At dici poterat: quum omnia vetera opera et verba vobis placent, aequum est ante alia placere veteres fabulas, quae novis comoediis pessimis praestant multo. *Ante* igitur esset *ante alia.* Sed Acidalius emendavit *autem*, quod Pareus et Bothius receperunt. Conf. Vorstius de Latin. falso susp. p. 224. Graeci dicunt πρό. vid. Freinshem. in ind. Curt.

3. Recentioribus scriptoribus et poetis communes sunt formulae *ante alios*, *ante omnes*, *ante cunctos*, *ante ceteros*, in quibus Cicero numquam posuit *ante.* Coniunguntur cum adiectivis, pro *magis quam*, et cum comparativo et superlativo in abundantia verborum, sed rarius. Alibi significat *praecipue*, *praesertim.*

Plaut. Trin. 4, 1, 5. *atque ego, Neptune, tibi ante alios deos gratias ago atque habeo summas.* Ovid. Met. 10, 120. *sed tamen ante alios — gratus erat, Cyparisse, tibi.* Plaut. Asin. 5, 2, 8. *scito illum ante omnes minimi mortalem preci.* Liv. 1, 9, 12. *unam, longe ante alias specie ac pulchritudine insignem — raptam ferunt.* Virgil. Aen. 3, 321. *o felix*

una ante alias Priameia virgo. Additur *magis* apud Liv. 5, 42, 5. *tanto ante alios miserandi magis, qui umquam obsessi sunt.* Virgil. Aen. 1, 347. *scelere ante alios immanior omnis.* Cornel. Nep. Att. 3, 3. *quod — unus ei ante alios fuerit carissimus.* Liv. 1, 15, 8. Virgil. Aen. 7, 55. *petit ante alios pulcherrimus omnis Turnus.* Conf. Ruddimann. T. 2. p. 82. 305. 101.

Liv. 3, 58, 1. *perosus decemvirorum scelera et ante omnes fratris filii superbiae infestus.* Curt. 6, 6, 19. *rex ante omnes moestus cupiebat* etc. Liv. 29, 23, 4. Apulei. Met. 9. p. 223, 17. *ante cunctas mulieres longe deterrimam sortitus coniugem.* Virg. Aen. 5, 318. *primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus emicat.* Stat. Silv. 3, 2, 39. *tu tamen ante omnes diva cum matre Palaemon annue.*

Apulei. Florid. 3, 16. p. 356, 10. *praecipuum beneficium ac longe ante ceteros excellens.*

Praecedit interdum *omnes*, ut in omnibus unus aliquis praestare, sive magis affici dicatur. Liv. 5, 25, 11. *incitatur multitudo in omnes principes, ante alios in Camillum.* ubi Drakenborch. 40, 22, 6. *vexati omnes, et ante alios rex ipse.*

4. Sed non ubique hac loquutione exprimitur praestantia aut praerogativa, sed designatur ex ordine primus, quem quis obtinet, locus. Hic usus tamen poetarum est et recentiòr.

Virgil. Aen. 2, 40. *primus ibi ante omnis, magna comitante caterva, Laocoon ardens summa decurrit ab arce.* ad hunc locum Servius: *aut perissologia est, quia dixit primus, aut ante omnes, id est, videntibus omnibus.* Burmannus auxilium quaesivit in construendis verbis: primus Laocoon ardens ante omnes decurrit, vel primus decurrit ante catervam se sequentem. En grammaticum vocabula conglutinantem, sed a poetica vi percipienda alienissimum. Dixit Statius Theb. 6, 431. *ante tamen cunctos sequitur.* Sed duobus verbis usus est Virgilius ad rem distinctius describendam. ira enim stimulatus Laocoon primus ante omnes decurrit. Sic Senec. Herc. Oet. 1271. *primo et ante omnes mihi fletum abstulisti.* quod Baden male interpretatur *coram omnibus.* Hoc nemo exspectat, certe non his verbis expressum: sed bene intenditur notio primae commotionis duplicata dictione. Valer. Max. 7, 3, 2. *qui ante omnes matri osculum dedisset.* Ext. 1. *quum Alexander — asinarium forte ante omnes obviam factum ad mortem abripi imperasset* etc.

Ante alios et *ante omnes* in codicibus interdum confusa sunt: de qua re vid. Burmann. ad Virgil. A. 2, 40. p. 197.

5. *Ante omnia* dicitur et de prima re, aliis omnibus antecedente, et de re praecipua atque ob dignitatem et vim suam primaria. Illud iam intellexerat Wopkensius, quum in Miscell. Observ. T. 8. p. 36. et T. 9. p. 250. interpretabatur *confestim, ante aliud quidquam*, neque alia verior caussa, quam invidia et coecum odium Burmannum excitavit, ut in Miscell. Obs. T. 8. p. 369. et ad Aen. 2, 40. acerrime illam expositionem vituperaret. Coit enim utraque ratio primae locationis et primariae dignitatis in unam, neque omnino desunt exempla, vel sequente particula *tum*, vel absoluto usu. In altera ratione explicanda conferri possunt vocabula *praecipue*, *maxime*. Praemissis aliis rebus id, quod maximum videtur, per *et ante omnia*, vel omissa copula, additur.

Celsus 7, 30, 2. *alvus ante omnia ducitur: tum vulsella tuberculum apprehensum — exciditur.* 8, 2. p. 508. *oportet autem ante omnia os nudare.* Conf. quae dedimus p. 386. Sueton. Calig. 21. *destinaverat et Sami Polycratis regiam restituere, Mileti Didymeum peragere, in iugo Alpium urbem condere, sed ante omnia Isthmum in Achaia perfodere.* hic coniunctae sunt notiones *prius quam alia* et *magis quam alia:* utrumque enim intelligi potest.

Virgil. G. 2, 475. *me véro primum dulces ante omnia Musae — accipiant.* Philargyrius coniunxit *primum ante omnia*, Burmannus ad Musas retulit: variis hominum studiis expensis, praecipue et inprimis Musae: illud ob abundantiam inanem displicet I. H. Vossio: hoc aliquam inconcinnitatem habet, nec potest probari ob verborum positionem: ipse Vossius cum Ascensio et Is. Vossio et aliis comprehendit una notione verba *dulces ante omnia*, ut Ecl. 2, 62. *nobis placeant ante omnia silvae.* Attamen haec differunt aliquanto, et gravitate praestat Musas simpliciter vocare dulces: quare non reiecerim temere Philargyrii sententiam, qua ipsa rei praestantia ad tempus et ad opus acceleratum eleganter refertur. Nec male verba *primum ante omnes* componi, modo vidimus p. anteced.

Liv. 2, 7, 4. *sed multo maius morti decus publica fuit moestitia, eo ante omnia insignis, quia matronae annum ut parentem eum luxerunt.* Plin. Hist. n. 8, 35, 53. *hibernis autem se mensibus condit: quae natura multis et ante omnia ursis.* Vossius ad Vellei. Pat. 2, 24. miscuit exempla diversa.

Iuvenal. 10, 191. *deformem et tetrum ante omnia vultum — adspice.* i. e. prae reliquis, primum. Liv. 35, 32, 4. *ingentem vim peditum equitumque venire: ex India elephantos: ante omnia, quo maxime moveri credebant multitudinis animos, tantum advehi auri, ut ipsos emere Romanos possit.* Gronovius praetulit *ad omnia*, fortasse ob voc. *maxime* additum.

„Ante omnia. Haec forma frequens est in enumerandis argumentis vel capitibus, cum primum ponitur." Spalding. ad Quinctil. 4, 2, 4. *sunt enim ante omnia quaedam tam breves caussae* etc. 1, 2, 8. 2, 15, 1. 4, 2, 40. 52. 5, 13, 6. 9, 1, 23. Cf. Frotscher. ad 10, 2, 4.

Liv. 7, 4, 3. *acerbitas in delectu — invisa erat et ante omnia invisum ipsum ingenium atrox.*

IV. Adverbium ANTE apud poetas et in usu quotidiani sermonis saepe ita cum nominibus substantivis et adiectivis copulabatur, ut nova exsisteret vocabulorum compositio: quod grammatici per hyphen seu synthesin factum esse dicunt. Hanc in dicendi formam quum And. Schottus in Observat. 2, 42. considerationem intendisset, earum elegantiarum fautores innumera exempla ad hanc regulam accommodarunt. Inter eos nominandi sunt Gebhardus in notis ad Propertium et Livium, Casp. Barthius. Sed in hac quoque re sunt certi quidam fines. Et Broukhusius ad Propert. 1, 1, 2. prudenter iudicat: „qui *antecupidinibus* coniunctim legunt, videntur mihi rus illud horridum reducere atque ex Propertio Attium aliquem vel Pacuvium effingere velle." Subtilius rem tractavit Is. Vossius in Instit. orat. 5, 4, 6. p. 317. Nam universus usus maxime continetur adverbiis temporalibus *ante*, *post*, *olim*, *semper*, negationibus *ne* et *nec*, et adverbiis *bene* et *male*. Nemo tamen cum Ramshornio huc referet *aetate graves*, *obviamitio* et similia, neque participia *anteparta*, *antefacta*, aliaque singulari modo composita esse putabit.

Virgil. Aen. 1, 198. *neque enim ignari sumus ante malorum.* Isidorus in Gloss. explicat *praeteritorum malorum.* Servius *ὑφέν. id est antiquorum malorum, ut alibi: coeli subterlabentia signa.* Est *τῶν πρότερον κακῶν.* Quinctil. Declam. 1, 14. *ille elegit, qui recipit ante meliorem.*

In Liv. 2, 52, 7. Gebhardo placuit *ut in publico antepericulo.* nemo adstipulatus est. In Capitolini Gordian. 24. Salmasius e cod. Pal. restituit: *quum inter se de bonis pessi-*

mi quique haberent ante-consilia tibimet suggerenda. at construenda sunt verba *quum ante*, i. e. prius, *haberent consilia.* Huc retulit Vechner. in Hellenolex. p. 230. Virgil. Aen. 9, 140. *peccare fuisset ante satis:* ut explicaret *τὸ πρὶν ἁμαρτάνειν.* Est autem *antea*, *olim.* Apud Tibull. 1, 4, 29. *quam cito purpureos deperdit terra colores, quam cito formosas populus alba comas.* Scaliger cum Passeratio comprobaverunt *antecomas*, quae essent *αἱ πρὶν κόμαι*, hornotina folia. Cic. Brut. 14, 55. *quod is tribunus plebis — patres ante auctores fieri coëgerit.* intelligitur ante initum suffragium.

* In scriptis libris confundi solebant vocabula *ante* et *autem:* vid. Gronov. ad Liv. 21, 5, 10. Drakenb. ad 21, 35, 7. et 28, 33, 2. et 27, 35, 7. Bothius ad Plaut. Cas. p. 181. et *aut:* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 35, 19. et *a te:* vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 423. 450. et *arte:* vid. Drakenb. ad Liv. 36, 11, 9. et *ad* et *ac* Liv. 35, 32, 4. *ante* et *antea* Drakenb. ad Liv. 5, 19, 6. 40, 12, 3. Heusinger ad Cic. Offic. 3, 28, 9.

ANTEA.

Omnes grammatici recentiores tradunt ANTEA esse *ante ea*, pronominis accusativum cum praepositione copulatum: quod pro certo affirmari non potest. Nam non modo non intelligitur ratio huius contractionis, sed obstat etiam extrema syllaba semper producta, ut in *postea*, *contra*, *ultra*, *frustra.* Nimirum quod *postea* brevi syllaba ex Ovidii Fast. 1, 165. affertur, aliam habet conditionem, de qua suo loco dicemus: nec quod poetae id vocabulum tam raro usurpant, alia de caussa factum est, quam quia mensura eius dactylicis numeris non poterat aptari. Quare Lucanus 6, 116. scripsit, *plurimaque hu anis ante hoc incognita mensis diripiens miles.* ut esset *ante*, *antea.* Ergo necesse est intelligamus ablativum cum *ante* compositum, ut in *antehac*, *adhuc*, *quapropter:* nam quo minus existimemus, illam syllabam *a* in *antea* suffixam esse terminationem ablativi, impedit et similitudo vocabuli *propterea* et syllaba *er*, quae in *ultra*, *supra*, *contra*, *frustra* praecedit, et manifesto servat adiectivam formam *superus*, *conterus.*

1. Dicitur ANTEA non nisi de tempore. Quae ad locum pertineret significatio, eam non recepit usus. In-

telligitur autem quodcumque tempus antecedens, quod est vel prius, πρότερον, vel olim, πάλαι: nam comparatio instituitur aut inter duas res praeteritas, aut cum tempore praesente. Vtrumque uno modo latine exprimitur: nos distinguimus vocabula *vorher* et *vordem*. Quo differat *antea* ab *ante*, certa formula constitui vix potest. Graviori et pleniori sono exprimi poterat, ubi ei locus erat, gravior sensus: at universus usus nullam sibi impositam habebat legem, ne in solemnibus quidem dictionibus.

Cicero quum dixisset *antea*, ut esset *prius*, *früher*, ab Attico reprehensus lepide iocatur in Epist. 15, 13. *quod ad te antea, atque adeo prius scripsi (sic enim mavis), ad scribendum (tibi vere dicere'st) fecisti me acriorem.* Ita enim legendum videtur, quod epistolari stilo Ciceronis convenit: Gronovius audacter correxit *tibi itero dicere*, audacius etiam Schützius *tu vero ad scribendum fecisti.* Simpliciter pro *ante* Cic de Lege Man. 6, 16. *ut antea dixi.* conf. p. 377.

Cornel. N. Lysand. 1, 3. *huc victoria Lysander elatus, quum antea semper factiosus audaxque fuisset, sic sibi indulsit.* Caes. B. G. 6, 24. *ac fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute superarent.* Horat. Epod. 11, 1. *nihil me sicut antea iuvat scribere versiculos.*

Cod. Iustin. 6, 28, 4. *scimus etenim antea simili modo et filium et filiam et alios omnes inter ceteros exheredatos scribere esse concessum.* ubi Gloss. *antiquissimo tempore, ante praedicta iura.*

2. Praemisso vocabulo *antea* additur, ubi de praeterito tempore universo dictum erat, ipsius temporis accuratior definitio per *quum*, *dum*.

Cic. ad Att. 11, 14. *nec enim ea sunt, quae erant antea, quum, ut nihil aliud, comites me et socios habere putabam.* in Verr. 3, 41, 94. *antea, quum equester ordo iudicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant publicanis.* Terent. Andr. 1, 1, 25. *nam antea qui scire posses, aut ingenium noscere, dum aetas, metus, magister prohibebant?*

3. Ex altera autem ista ratione opponuntur vocabula *postea*, *post*, *posthac*, *posteaquam*, *tum*, *tunc*: quorum exempla ob orationis conformationem notanda videntur. Et interdum ille terminus, quocum aliud tempus comparatur, non definitur distinctius: unde fit, ut reddamus *früher*, *später*.

Cic. ad Fam. 1, 9, 74. *Appius in sermonibus antea dictitabat: postea dixit etiam in senatu.* Orat. 2, 6. *et clari fuerunt, et antea fuerant, nec postea defecerunt.* Sueton. Domit. 2. *poeticae studium tam insuetum antea sibi, quam postea spretum et abiectum.* Cic. ad Att. 1, 11. *et mea sponte faciebam antea, et post duabus epistolis tuis — magnopere sum commotus.* 4, 3. *etenim antea, quum iudicium nolebat, habebat ille quidem difficilem manifestamque caussam —: post has ruinas* etc. de Off. 2, 8, 27. *sensim hanc consuetudinem et disciplinam iam antea minuebamus, post vero Sullae victoriam penitus amisimus.* ad Att. 7, 3. *non accusabimur posthac: neque hercule antea negligentes fuimus.* Curt. 3, 8, 10. *terribilem antea regem, — posteaquam adventare se senserit, cautum pro temerario factum delituisse* etc.

Cic. p. Mil. 21, 55. *semper ille antea cum uxore, tum sine ea.* Liv. 23, 19, 15. *qui nullam antea pactionem auribus admiserat, tum demum agi secum est passus de redemtione liberorum capitum.* Liv. 29, 9, 12. *et quae antea per libidinem et avaritiam foeda exempla in socios ediderat, tunc ab ira multiplicia edere.*

4. Ita etiam opponuntur nomina temporis praesentis et proximi. Neque vero semper intelligitur tempus, quod ad praesens usque pertinebat, sed quodcumque antecedens non definitum. Nectuntur hae partes saepe per *et — et*, *quum — tum.*

Cic. p. Leg. Man. 5, 13. *hunc audiebant antea, nunc praesentem vident tanta temperantia* etc. ad Fam. 9, 16, 17. *facilitate mea ista ferebantur antea, nunc mutata res est.*

Liv. 5, 17, 7. *antea se id Veientibus negasse, — nunc iam pro se fortunam suam illis negare.* 5, 2, 10. *antea trina loca cum contentione summa patricios explere solitos: nunc iam octoiuges ad imperia obtinenda ire.* 13, 41, 3. Cic. in Verr. 3, 57, 130. *non hoc nunc primum audit privatus de inimico, reus ab accusatore. Iam antea in sella sedens praetor — millies audivit.*

Cic. Phil. 10, 6, 13. *qui et antea iure laudatus a nobis, et hoc tempore merito laudandus est.* ad Fam. 6, 21, 1. 4, 15, 3. 11, 8, 2. 12, 30, 5. *nam quum antea distinebar maximis occupationibus —: tum hoc tempore multo distineor vehementius.*

Cic. ad Fam. 13, 17. *Patris quum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit.* de Off. 2, 7, 23. *si antea fuit ignotum, nuper est cognitum.*

5. Sicuti *ante*, etiam *antea* in disponendis diversis temporibus ponitur pro *primum*.

Liv. 8, 8, 3. *clipeis antea Romani usi sunt: deinde, postquam stipendiarii facti sunt, scuta pro clipeis fecere: et quod antea phalanges similes macedonicis, hoc postea manipulatim structa acies coepit esse. Postremo in plures ordines instruebantur.* ubi alii codd. *ante*.

Plin. Hist. n. 4, 11, 18. *oppidum sub Rhodope Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis, nunc a situ Trimontium dicta.*

ANTEHAC.

Recte faciunt, qui in ANTEHAC non intelligunt *hac* pro *haec* dictum, sed ablativum ita compositum, quemadmodum formatur *adhuc*, *quapropter*, *hactenus*. Id fieri posse, iam Perizonius ad Sanctii Min. 4, 4. p. 72. arbitratus est. Inepte explicuerunt alii plurimi per *ante haec negotia*, sive *facta*. Donatus quidem ad Terent. Andr. 1, 2, 16. *antehac*] *pro ante haec consuetudine magis quam ratione dicitur*. nam ita scribendum esse nemo non videt. Sed grammaticus ipse vehementer errat: nam *hac* non solum de loco, sed etiam de tempore dici poterat: neque unum vocabulum *hora* est, quod substituamus. Illud, quod Scaliger ad Virgil. Cul. 3. affert, Varronis *hacpropter*, non dictum est pro *haec propter*, sed habet in se ablativum eumdem.

Significat ANTEHAC ante hoc tempus, ante illud tempus: *vordem*, πρότοῦ. Opponuntur *nunc*, *iam* et *tunc*.

Plaut. Capt. 2, 1, 47. *quod antehac pro iure imperitabam meo, nunc te oro per precem.* Terent. Andr. 1, 2, 15. *sed nunc ea me exquirere iniqui patris est: nam, quod antehac fecit, nihil ad me attinet. — Nunc hic dies aliam vitam affert.* Cic. ad Fam. 12, 23, 6. *atque antehac quidem sperare saltem licebat: nunc etiam id ereptum est.* Non alio modo Terentius Andr. 2, 1, 3. *ut animus in spe atque in timore usque antehac attentus fuit, ita, postquam adempta spes est, lassus circa confectus stupet.* ubi Donatus: *id est, antequam tua verba audirem: et duas praepositiones posuit, ut dicitur: sed una est tantum, velut adverbium, non iam praepositio.* Nulla omnino est. *Antehac* est ante hoc tempus, quo adempta spes est. Tacit. Ann. 16, 31. Plaut. Epid. 1, 1,

10. *minus iam furtificus sum, quam antehac.* Mil. 4, 8, 56. *verum quum antehac, tum hodie maxume.* Tacit. Ann. 3, 25. *utque antehac flagitiis, ita nunc legibus laborabatur.*

Et absolute ponitur, ut *antea*, pro *olim*, *früherhin*.

Plaut. Amph. 1, 1, 302. *hic quidem omnem imaginem meam, quae antehac fuerat, possidet.* Sallust. Cat. 25, 4. *ea saepe antehac fidem prodiderat.*

Cum *numquam* coit in formulam, quemadmodum *ante*.

Plaut. Amph. 2, 1, 16. *quod nemo umquam homo antehac vidit.* Mil. 3, 2, 27. *eho an numquam promsit antehac?* Terent. Andr. 5, 4, 14.

ANTEQVAM. ANTEAQVAM.

1. Comparatio temporis antecedentis et posterioris exprimitur compositis vocabulis *ante quam*. Atque *ante* vel praepositionis vel adverbii potestatem obtinet, ut diximus p. 373. Sed ubi altera res verbo exprimitur, copulantur particulae ANTEQVAM, uno accentu comprehensae, fitque coniunctio, cuius significatio nihil differt. Graeci dicunt πρὶν ἢ, Germani *eher als*, *ehe*. Sed quando vis imponitur maior, suo accentu utrumque vocabulum effertur, etiam si proximo loco se attingunt. Id imprimis tum fit, quum *ante* cum substantivo cohaeret.

Cic. Lael. 3, 11. *ut memini Catonem anno ante, quam mortuus, mecum et cum Scipione disserere.* Sueton. Vesp. 2. *quinquennio ante, quam Augustus excederet.* Etiam Cic. Brut. 8, 72. *hic Livius — anno ipso ante, quam natus est Ennius.* non *antequam*.

Sanctius in Min. 4, 4. p. 169. originem verbi quaerebat in ellipsi *ante rem quam*, Perizonius intelligebat *horam*. Quam obsoletam doctrinam nemo nunc curat.

2. Interpositis verbis quomodo dicatur, iam supra expositum est. Nec quidquam refert numerare interiecta verba. Sed in bonorum scriptorum usu adverbium praecedit verbo, nisi alia intervenit caussa, addito alio nomine.

Cic. ad Fam. 2, 2. *si ei contigisset, ut te ante videret, quam e vita discederet.* Liv. 39, 10, 9. *neque ante dimisit*

eum, quam fidem dedit adolescens, ab his sacris se temperaturum. Cic. ad Fam. 10, 17, 7. *cures, ut ante factum aliquid a te egregium audiamus, quam futurum putarimus.* Liv. 38, 25, 1. *ne ante ab Ancyra castra moveret, quam colloquutus cum suis regibus esset.*

Cic. ad Fam. 10, 3, 3. *ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra ante aliquanto, quam tu natus es.*

3. Negatio si quae apponitur, ea cum *ante* coniungitur, interiectis aliis vocabulis, nec bene dicitur: *non finitum est proelium, antequam tribunus interfectus est*, quod Livius 41, 2, 10. ita expressit: *nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt.*

Liv. 42, 52, 14. *nec ante vincere desierint, quam rubro mari inclusis, quod vincerent, defuerit.* 22, 3, 10. Sueton. Caes. 67. Ner. 20. *ac ne concusso quidem repente motu terrae theatro ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον.* In Cic. de Orat. 3, 36, 145. recte scribitur *neque defatigabor ante, quam — percepero.*

4. Transponuntur distracta vocabula *quam — ante* a poetis, sensu non mutato quidem, sed per ictum numerorum gravescente.

Lucret. 3, 985. *respice item, quam nil ad nos anteacta vetustas temporis aeterni fuerit quam nascimur ante.* Tibull. 4, 7, 7. *non ego signatis quidquam mandare tabellis, me legat ut nemo, quam meus, ante, velim.* De loco 1, 3, 9. dixi p. 377. Martial. 9, 36, 6.

5. Id, quod proprie de tempore dicitur, potest referri ad conditionem ita, ut *non ante — quam* pro *non nisi* ponatur.

Liv. 21, 15, 4. *armati nullum ante finem pugnae quam morientes fecerunt.* pro antequam morerentur. Sueton. Caes. 58. *neque aut quis esset ante detexit, aut gubernatorem cedere adversae tempestati passus est, quam pene obrutus fluctibus.*

6. De pleonasmo, quo poetae nonnumquam delectantur, *prius — ante — quam* componentes, diximus p. 385. Hic cum iterum commemoro, ne quis coniungens *priusquam*, superadditum censeat adverbium *ante.* Hoc male factum esset. Et ipsa exempla rem demon-

strant. Graeci dicebant πρὶν — πρὶν ἤ. vid. Theocrit. 1, 52.

Virgil. Aen. 4, 24. *sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, — ante, pudor, quam te violo aut tua iura resolvo.* Propert. 2, 25, 25. (19, 65.) *aut prius infecto deposcit praemia cursu, septima quam metam triverit ante rota?* Io. Henr. Vossius ad Tibull. p. 173. coniungere iubet *priusquam*, et corrigere *arte:* sed bene demonstravit rationem Huschkius ad Tibull. 1, 3, 9. Locus Propertii, qui criticis multiplicem fecit fraudem, 3, 20, 15. s. cum illis comparari haud poterat: neque enim cohaeret *prius* cum verbis, quae sequuntur, et scribendum est, ut exhibent antiqui libri: *quam multae ante meis cedent sermonibus horae, dulcia quam nobis concitet arma Venus.*

In Cornel. Attic. 21, 3. codices quidam interpolati: *atque antea quidem morbi diuturnitatem moleste ferebat priusquam hoc ei accideret, postquam indies dolores accrescerẽ — sensit.* de quo loco vid. PRIVSQVAM. Quod vulgo legitur Stewechio auctore in Veget. de Re milit. 3, 11. *providendum est, ut ante omnes milites egrediantur portas, et aciem construant antequam hostes adveniant.* sive *ante, quam hostes adv.* factum est ab interpolatoribus. Cod. Perizon. et Leidens. duo omittunt *ante* in *antequam.* Vid. Miscell. Observ. T. 9. p. 76.

7. Cum temporis notione conditionem coniungens, pro simplici *quam* recentior aetas, addita coniunctione *si*, dixit *ante — quam si.*

Paullus in Dig. 35, 1, 44, 10. *quia non ante ad haereditatem admitteretur, quam si omnem summam dedisset.* Papinianus 43, 16, 18. *neque enim ante omissam possessionem videri, quam si tradita fuisset emptori.*

8. Restat, ut de tempore et de modis cum hac coniunctione construendis dicamus. Atque omnibus temporibus communis est comparatio prioris et posterioris rei. Praesens autem ubi ponitur, plerumque habet vim aoristi, vel pro futuro dicitur.

Varro de Ling. lat. 6, 3. (7, 3, 92.) *quod ante rorat quam pluit.* Cic. ad Fratr. 1, 1, 13. *quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit.* ubi praeteritum praesentis vim in se habet.

Cic. ad Fam. 7, 14. *dabo operam, ut istuc veniam, antequam plane ex animo tuo effluo.*

Futuri simplicis nullum notatum habeo exemplum certum. Nam quod ex Ciceronis Philipp. 1, 1. afferunt: *antequam de republica dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium et profectionis et reversionis meae.* praesens est, ut in reliquis Cic. in Verr. 2, 1, 2. *antequam de incommodis Siciliae dico.* Parad. 6, 1, 45. *numquam eris dives, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones — possis.* Futurum exactum ponitur, sive futurum simplex, sive praesens praecedit.

Cic. ad Att. 5, 14. *antequam aliquo loco consedero, neque longas a me, neque semper mea manu litteras exspectabis.* de Orat. 3, 36, 145. *neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi percepero.* ad Fam. 10, 16, 6. Liv. 22, 3, 10. *nec ante nos hinc moverimus, quam — C. Flaminium ab Arretio patres adsciverint.* Virgil. Aen. 6, 140. *sed non ante datur telluris operta subire, auricomos quam quis decerpserit arbore foetus.*

9. De modis construendis antiqua sunt praecepta Sosipatri Charisii p. 203. quae eadem apud Diomedem leguntur p. 389. *antequam modo finitivis, modo subiunctivis iungitur contra ac superius.* (Antea enim docuerat, *postquam* quoties iunctum accipiatur, cum finitivo, quoties secernatur *post quam*, cum subiunctivo componi.) *Iunctum subiunctivis, ut antequam venisset, dixi: disiunctum finitivis, ut apud Virgilium, ante pudor quam te violo.* Priscianus tamen et codices non pauci in Virgilii loco exhibent coniunctivum *violem.* vid. Pierium et Heinsium. Linacer de Emend. struct. p. 352 et Seyfertus Gramm. T. 5. p. 281. exempla contraria attulerunt. Sed illud Sosipatri praeceptum ratione non tam destituitur, quam id, quod ea efficitur, cum ratione ipsa confunditur. Indicativus enim usurpatur, quum res ponitur certa, quae fere intelligitur, ubi graviore vi in adverbium *ante* collocata certa tempora distinguuntur. Quare disiunctis vocabulis *ante — quam* plerumque indicativus, praesertim praesentis ponitur. Sed convenit, universum usum, qui etiam ad verbum *priusquam* pertinet, per singulas partes constituere, ne cum nonnullis grammaticis nostri temporis rationem et discrimen negemus. Vid. Zumpt. 576. Doelekius p. 67.

Res, cui alia praecedit, aut ipsa apparet in tempore, quo fit, ut res cum re comparetur, aut intelligitur tamquam exspectanda ita, ut conditionem aliquam addat, et tempus cum alterius temporis ratione componatur. Illud in rebus ipsis observatum per indicativum, hoc cogitatione positum per coniunctivum, qui ratiocinationi inservit, exprimitur. Idque in quacumque comparatione cognoscitur, quae aut rem componit cum re iam cognita et indicanda, aut rem confert cum eo, quod esse possit et esse cogitatione ponitur. veluti Plin. Ep. 7, 24. *habebat illa pantomimos fovebatque effusius, quam principi feminae convenit.* sed Sueton. Galb. 14. *modo remissior ac negligentior, quam conveniret principi electo.* Itaque quum Cic. ad Att. 10, 15. scribit: *litteras des ante quam discedimus*, id significat *ante discessum nostrum.* et Plauti Mil. 3, 1, 115. *prius, quam lucet, adsunt* est ante lucem. Sed quum Seneca Nat. qu. 2, 12. *ante autem videmus fulgurationem, quam sonum audiamus.* cohaerent haec conditionis ratione, nec res comparatur cum re seorsum apparente, sed cum re ita supposita, ut temporis ratio et nexus consideretur. Nam ille non dicit, quod poterat, *fulgurationem videmus ante sonum auditum*, sed *videmus fulgurationem ante tempus, in quo audiendus sit sonus.* Sic Cic. de Orat. 1, 59, 251. *quotidie antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant.* consilium intercedit, quo coniuncta videantur. Nos utrumque distinguimus vocabulis *ehe* et *bevor.* In praesenti tempore quum unum tantum, quod apparet, conspiciatur, alterum non nisi exspectari et supponi possit, proprium locum habet coniunctivus. Varro de Re r. 1, 30. *antequam gemmas agant ac florescere incipiant seri.* Virgil. Georg. 4, 305. *hoc geritur, zephyris primum impellentibus undas, ante novis rubeant quam prata coloribus.* Senec. Ep. 103, 2. *tempestas minatur, antequam surgat.* Senec. Herc. fur. 210. *antequam laetam domum contingat, aliud iussus ad bellum meat.* Quae explicare non poteris, si Gernhardum sequaris in Commentat. gramm. IV. p. 15. (Seebodii Syllog. 2, 3. p. 537.) praecipientem, coniunctivo particulam non coniungi, nisi suscipiendae rei alicuius initium ad eius, qui suscipit, mentem referatur. Meinero aliisque sufficiebat distinguere sententias certas et dubias. At conditionem respicere oportet,

quae non tantum a consilio et voluntate proficiscitur, sed et ratiocinatione supponitur. Id proprie fit in hoc usu praesentis: sed accedere potest alia caussa, quae indicativum secum ducat. Atque haec duplex est, et ubi praesens pro aoristo ponitur de re, quae fieri solet, aut aliunde per experientiam cognita est, et ubi oratio tam certa et vivida exsistit, ut quae nondum facta sunt, pro factis accipiantur et inter se comparentur.

Exempla iam supra p. 396. attulimus. Sic etiam Liv. 22, 50, 8. *sed ante, quam opprimit lux, maioraque hostium agmina obsepiunt iter, per hos, qui inordinati atque incompositi obstrepunt portis, erumpamus.* Ante Gronovium legebatur *antequam opprimat — obsepiant* quod non falsum.

Loquenti igitur permissum est, utrum rem velit futuram ac possibilem cogitare, eamque superstruere conditioni, an certam et absolutam ponere. Cicero, qui dixit Philipp. 1, 1. *antequam de republica dicam ea, quae dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis* etc. loquutus est ita in Verr. 2, 1, 2. *antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate — dicenda.*

Praecedente futuro, sequitur praesens coniunctivi. Id quo modo fiat, in grammatica exponitur.

Cic. Parad. 6, 1. *numquam eris dives, antequam tibi ex tuis possessionibus tantum reficiatur, ut eo tueri sex legiones — possis.* Virgil. Ecl. 1, 60. *ante leves ergo pascentur in aethere cervi, — quam nostro illius labatur pectore vultus.*

Doelekius in Gramm. scholast. p. 68. regulam confecit hanc: in praesenti *antequam* secum habere coniunctivum, quando sermo sit de re consueta, et quando aliquid non re vera fieri dicatur. Illud falsum esse et ratio et exempla demonstrant: hoc ad conditionem, de qua dixi, pertinet.

In praeteritis utraque ratio valet. Nam aut res facta comparatur cum re post facta, certaque haec ratio exprimitur indicativo perfecti, aut res facta componitur cum alia etiamtum exspectanda et temporis conditione cohaerente, idque, quum intercedat cogitatio, per imperfecti et plusquamperfecti coniunctivum significatur. Atque in his quoque liberum est scriptoribus concessum arbitrium. Sed in narratione, qua quomodo res cohaereant exponitur, necessario, nisi negligentia peccat,

imperfectum requiritur: ubi perfectum indicativi ponitur, res per se constat, et designatur tantum certa notione.

Quod Cic. Brut. 18, 72. *hic Livius — anno ipse ante, quam natus est Ennius.* aliter Suetonius Vesp. 2. *quinquennio ante, quam Augustus excederet.* Liv. 41, 2, 10. *proelium atrocius — fuit, nec ante finitum quam pro paucitate resistentium fuit.*

Cic. in Verr. 2, 57, 140. *neque in hac re sola fuit eiusmodi, sed, antequam ego in Siciliam veni, in maximis rebus ac plurimis.* i. e. ante adventum meum. ad Att. 2, 7. *equidem antequam tuas legi litteras, in hominem ire cupiebam.* Philip. 12, 9, 23. *cui fui semper amicus, antequam ille reipublicae bonisque omnibus tam aperte est factus inimicus.* Brut. 13, 49. *antequam delectata Atheniensium civitas hac laude dicendi, multa iam memorabilia — effecerat.*

Liv. 5, 33, 5. *ducentis quippe annis ante, quam Clusium oppugnarent urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transscenderunt.* Per imperfectum significatur temporis mutua relatio et nexus. Sueton. Caes. 18. *neque mere, neque iure, antequam provinciae ornarentur, profectus est.* non est factae rei simplex notatio, sed simul conditionis ratio in ornanda antea provincia, quae quamvis Caesari cognita esset, tamen profectus est.

Cic. p. Planc. 41, 98. *qui antequam de meo adventu audire potuissent — in Macedoniam ad Planciumque perrexi.*

In Tibull. 1, 3, 35. *quam bene Saturno vivebant rege prius, quam tellus in longas est patefacta vias.* narranti dicendum erat *priusquam patefacta esset* sive *patefieret*, sed poeta versatur in ipsius temporis descriptione, ut bene Doelekius vidit p. 215. Neque aliter Livius 9, 13, 10. quod idem Doelekius non perspexit scribens: *obsessis priusquam alter consul victore exercitu advenit.* Scribendum erat *obsessis prius, quam — advenit*, in temporis descriptione, quae aliquantum differt a rerum narratione.

Hinc sequitur, perfecto indicativi locum esse plerumque, ubi vis orationis nititur in temporis particulis *ante, prius*, quod fit etiam saepe addita negatione: *non ante, nec ante, non prius.* Hoc quum Doelekius bene observasset, novum decretum fecit p. 215., ex quo adiecta negatione ubique in narratione occurreret perfectum indicativi. Rem tamen explicatione non satis explicuit.

Nam quum non simplex est rerum indicium, sed intercedit cogitatio, consilium, voluntas, necessario ponitur coniunctivus.

Cic. in Verr. 5, 21, 55. *numquam in Sicilia frumentum publice est emptum, quin Mamertinis pro portione imperaretur, antequam hoc delectum praeclarumque consilium iste dedit.*

Sueton. Ner. 20. *ac ne concusso quidem repente motu terrae theatro, ante cantare destitit, quam inchoatum absolveret νόμον.* Liv. 45, 11, 3. *non prius destitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret.*

Ita fit, ut coniunctivo id exprimatur, quod ne fiat, aliud quid praemittitur.

Imperfectum indicativi numquam compositum est cum *antequam:* nec potuit componi propterea, quod Latini in duabus rebus inter se referendis huic vocabulo conditionalem potestatem, non simpliciter temporalem tribuerunt. Ille vero imperfecti coniunctivus respondet optativo Graecorum. Quare non mirabimur, Ciceronem adeo dixisse p. C. Rab. 9, 25. *quae caussa ante mortua est quam tu natus esses.* Atque erravit Gernhardus, quum quindecim librorum scripturam in Lael. 3, 11. tamquam soloecam reiiceret: *memini Catonem anno ante quam mortuus esset, mecum et cum Scipione disserere.* Perfecti coniunctivum probati scriptores non usurpabant, nisi ubi alia caussa accedebat in oratione vel ex aliena sententia dependente, vel alio modo obliquata. Posuit eum Celsus et Cornelius Nepos, uterque huius formae studiosus fautor.

Celsus 6, 4. *neque ante oportet desistere, quam frequentem pilum nasci apparuerit.* Cicero scripsisset *apparuit.* conf. ad Quint. frat. 1, 1, 13. Cornel. Nep. Eum. 4, 2. *non prius distracti sunt, quam alterum anima reliquerit.* Cic. de Invent. 2, 53, 160. *providentia est, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum sit.* Plerique codices *factum est:* quod restituendum. Caes. Bell. Gall. 1, 53. *neque prius fugere destiterunt, quam ad Rhenum millia passuum ex eo loco circiter quinquaginta pervenerint.* ita Oudendorp. scripsit auctoritate aliquot librorum pro *pervenerunt*, quod verum est. Librarii in eiusmodi dictionibus ubique in promptu habebant coniunctivum: in uno codice legitur *pervenirent*, quod non aptum videtur esse ob vocabulum *fugere.* Bene diceretur *nec*

prius insequi destiterunt, quam ad Rhenum pervenirent. intercedere enim poterat voluntas ac consilium.

Obliqua et indirecta est oratio in his: Cic. in Verr. 1, 48, 125. *is mortuus est C. Sacerdote praetore, nescio an ante, quam Verres praeturam petere coeperit.*

* Librarii quando in constructione verborum haerebant, in promptu iis erat vocabulum *antequam*, quo deficienti perspicuitati succurrerent. Sic in Liv. 21, 11, 9. scripserunt: *itaque antequam caederetur, ruebat*, pro eo, quod in melioribus exstat libris *latius quam caederetur*, quod est *quam qui caederetur*. Incognita iis erat ratio coniunctivi. Ascon. Comm. in Cic. orat. in Pison. p. 517. Schütz. *ante biennium autem antequam restituerentur collegia*, etc. Patricius correxit *ante b. a. quam.*

Anteaqvam lexicorum auctores constituunt tamquam alteram unius vocabuli formam. Dukerus ad Liv. 35, 25, 3. primus negavit, veteres ita umquam loquutos esse, scriptorumque ullum inveniri, in quo non boni libri *ante* praeberent. Cui assensi sunt Gesnerus in Thesauro, et Ernestius in notis ad Tursell. Sed quod in hac sententia nimium videbatur, prudenter restrinxit Schellerus p. 790.: in *antea quam*, nisi in unum vocabulum inepte coniungerentur, nihil esse, quo offenderemur. In Cic. pr. Rabir. perd. 9, 25. Epist. fam. 10, 16. Brut. ad Cic. 11, 13, 7. Liv. 38, 25, 1. 42, 47, 2. legitur in aliis libris *ante*. In Curt. 5, 4, 28. editores fecerunt *anteaquam*, quod in libris est *antequam*. Nulla tamen varietas apparet in Liv. 35, 25, 3. *Achaei non antea ausi capessere bellum, quam ab Roma revertissent legati.* in Cic. ad Fam. 3, 6, 4. *quin, ego nisi successor essem, quem tu cuperes videre, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse.* ex uno tantum libro Graevius notavit *ante*. Pauca igitur sunt exempla et ob hanc ipsam caussam dubia. Ratio tamen non obstat.

ANTIDEA. ANTIDHAC.

Antidhac ab antiquis scriptoribus pro *antehac* dici. interposita littera D ob hiatum tollendum, in lexicis exponitur. Et legimus in Plauti Amph. 2, 2, 79. Aul. 2, 8, 26. Cas. Prol. 88. Cist. 1, 1, 1. 1, 3, 50. Epid.

4, 1, 12. Bacch. 3, 6, 10. Pseud. 1, 1, 14. 2, 2, 26. Poen. 3, 5, 7. Ex his colligitur, dici *antidhac* de rebus olim consuetis: interdum etiam opponitur verbo *nunc*, ut in Poenulo: *magis me benigne nunc salutas quam antidhac.* et componitur cum *numquam* in Pseud. 2, 2, 26. Quum igitur *antidhac* et *antehac* significatione nihil differre videantur, de formatione quaeritur. Atque hiatus non caussam dedit inserendae litterae paragogicae, quippe quae plurimis in verbis, etiam sequente consonante adiici soleret. vid. Quinctil. 1, 7, 12. Charisius p. 87. Praeter ablativos in *a*, *e*, *i*, *o* terminatos, pluralia in *a* et pronomina, etiam adverbia nonnulla et praepositiones illam litteram receperunt: *extrad*, *suprad*, in columna rostrata Duellii. Antiquus igitur erat usus vocabuli *anti*, *antid*, sed commutata vocali I in E, posthac cessit etiam usus paragogicae litterae, tantum in verbis cum *pro* et *re* et *se* compositis, et ab ipso Plauto unis in pronominibus *me*, *te* servatae. Vide in PRO. Ita dicebant *antideo*, quod est *anteeo*.

In Varron. fragm. ex Agathone apud Non. 2, 906. *quid tristiorem video te esse quam angit haec Lampadion?* Gab. Rolandius coniecit *quam antidhac.* quod placuit etiam Gulielmio ad Plaut. Trin. c. 1. Et cod. Guelferbyt. *quam angit hac Lampadionem.* Alii emendarunt *num angit haec*, *Lampadion?*

A Livio in rogatione affertur 22, 10, 6. *si anteidea senatus populusque iusserit fieri, ac faxit, eo populus solutus, liber esto.* Lipsius in Antiq. lect. 1, 22. corrigendum putavit *antidea:* recte quidem. conf. POSTIDEA. Paullus Diac. ex Festo haec: ANTE *Terentius pro antea dixit.* Quod quum non posset Terentio proprium tribui, Fulv. Vrsinus scribendum censuit ANTIDEA. Haec eius erat sententia, non, ut Godofredus et Dacerius referunt, quasi *pro antidea* scribendum existimasset.

APAGE.

Originem et usum vocabuli APAGE lexicorum auctores demonstrant. Equidem totam vocem appellaverim graecam. Sed iuvat comparare graecum usum cum latino. Atque accusativi additi constructio in graecis modum non excedit, in latinis ratio haec tollitur, et qui sequitur accusativus, eo modo construitur, quo in

aliis exclamationibus per *ah*, *en*, *pro* formatis. Quare quum Plautus dicit Most. 3, 2, 159. *apage istum a me perductorem*, non idem est quod, *abige a me istum perductorem*. Verbi notio evanescit: nam quod in graecis semper refertur ad personam aliquam, id in latino vocabulo induit interiectionis formam. Igitur quod saepe dicitur *apage te a me*, non arctiorem habet constructionem, quam quum Lydus apud Plautum secum loquitur Bacch. 3, 1, 5. *apage istas a me sorores*. Illud quoque verti debet: *weg von mir mit dir*.

Vtuntur Latini hac formula in amoliendis et reiiciendis rebus sive hominibus, sed tantum in vehementi atque iracundo et fastidiente sermone, non, ut Graeci interdum solent, in tranquilla compellatione. conf. Eur. Phoen. 1747. Vehementia exsecrationi proxima exprimitur in Plaut. Merc. 1, 2, 33. *apage istiusmodi salutem, cum cruciatu quae advenit*. Trin. 2, 4, 136. Neque vocabulum *sis*, quod adhaeret, ex *si vis* ortum, blandimentum quoddam, aut mitigationem in se habet, neque magis ad personam refertur. Sic Plaut. Poen. 1, 2, 15. *apage sis negoti quantum in muliere una est*. Quare nihil differunt *apage* et *apage sis*. Confer. Plaut. Trin. 2, 1, 31. cum v. 25. Proprie dicitur de rebus, quae non placent, neque approbari possunt. Quamobrem sequuntur verba *non placet*. vid. Plaut. Mil. 2, 2, 55. Amph. 1, 1, 154.

In Trinum. 2, 1, 25. *apage te, amor: non places*. metri restituendi caussa Hermannus scripsit *a me apage:* quo verborum ordine nemo umquam loquutus est. In Trinum. 4, 1, 19. codices omnes praebent *apage me sis*, quod Lambinus explicat: abduc me, si vis, a mari vel a tantis et talibus periculis. Sed Acidalius statuit scribendum esse aut *apage te sis* aut *a me sis*.

Praeter comicos poetas hac formula ii tantum uti poterant, qui in epistolis et in dialogis sermonem familiariter loquentium imitarentur. In Ciceronis libris nullum exemplum obvium est. Nam quod in aliquibus codicibus Tusc. 2, 18, 42. legitur *de exercitatione et consuetudine et commentatione dixi. Apage sis, nunc de ratione videamus*. id aperte falsum est. Gebhardus in quatuor palatinis invenit *agage*, quod miror etiam a Gesnero in Thes. p. 382. probatum esse graeco usu verbi ἄγαγε. Vatinius ad Cic. Ep. 5, 10, 2. *apage*

te cum nostro Sexto Servilio. Auctor libror. ad Herenn. 4, 51, 64. *apagete, inquit, aedes commodavi.* unde Menckenius in Observat. p. 58. plurali numero *apagete* dictum esse notat. At iam Lambinus viderat scribendum esse *apage te.* Cod. Erf. et alii omittunt *te:* quod optimum.

APVD.

Apvd proprie significat propinquitatem rerum, non eam, quae appropinquatione efficitur (ea enim per *ad* exprimitur), sed in qua duae res iuxta positae apparent. Quare cum verbis, quae motum ad aliquem locum notant, coniungitur numquam a bonis quidem scriptoribus. Quodsi autem quaeritur, quomodo id congruat cum natura accusativi, locum, in quem aliquid dirigatur vel moveatur, indicantis, multae obiiciuntur difficultates, quae quum universae casuum doctrinae repugnare viderentur, Wüllnerus nuper in libro de casuum significatione p. 118. adeo ad eam opinionem delatus est, ut *apud* non praepositionem, sed adverbium appellaret, et in accusativo agnosceret relationem ad aliquam rem factam. At nomine mutato non ipsa res mutatur, nec negari ullo pacto potest, vocabulum *apud* cohaerere cum accusativo. Locus vero, in quo aliquid apparet, potest a propinquitate aliarum rerum signari, haec autem concipitur ex relatione alterius rei ad alteram facta, ideoque apud Latinos exprimitur accusativo. Hinc fit, ut in vocabulis *apud, ante, circa, extra, infra, post* et aliis locus intelligatur, qui directionem habeat ad aliquam rem aliam, nosque oporteat, si velimus eum mente percipere, spatii intervallum percurrere et utramque rem coniungere.

Ipsum vocabulum *apud* originem duxit e vocabulo obsoleto *ape*, cui desumptum erat verbum *apio*, quod explicant glossatores *ligo*, ἅπτω. Hinc factum est *aptus*, qui dicitur coniunctus, (vid. Serv. ad Virgil. Aen. 4, 481.) et *apiscor.* Glossae Philoxeni *ape*, παρά. Atque similem formationem habent graecum ἐπί, germanica *by*, *bei*, *po*, unde antiqua verba *bio*, *bien* et *pedo*, *beide.* Primitiva igitur significatio cernitur in coniunctione rerum. Veteres dicebant *apur* et *apor*, quemadmodum *meridiem* pro *medidie*, *ar* pro *ad.* In scribendo vocabulo, per omnia tempora fuisse vi-

dentur, qui litteram T praeferrent non alia de caussa, quam in *ad:* de quo vid. p. 74.

Paullus ex Festo *apor*, *apud.* quod non mutandum est in *apot:* quamquam id in codice quodam invenit Is. Vossius. Caes. Scaliger de Caus. lat. ling. 157. inepte opinabatur *apud* contractam formam esse verborum *ad pedes:* nec repugnat, quod mireris, Vossius de Analog. 4, 23. p. 264. Nec melius Scheidius ad Sanct. Min. p. 233. a graeco ἀπὸ derivat, cui nexus seu copulae significatum tribuit prorsus alienum. Schellerus originem quaerit in graecis ποτὶ et παρὰ, quorum cognationem vix alius quisquam perspiciet.

Mar. Victorin. Art. gr. p. 2457. *sed nos nunc et adventum et apud per D potius quam per T scribamus, atventum et aput.* Erant, qui corrigere vellent *per R potius:* quum veteres dixissent *arfinis*, *arvocatus:* sed frustra. Velius Long. de Orthogr. p. 2231. *non dubitatur vero, quin apud per D scribi debeat, quoniam nulla praepositio T littera finitur: statim melius sonat propter nimiam T litterae exilitatem.* Grammaticus quum utramque scripturam usitatam cognovisset, circumspiciebat argumenta, quorum quae affert, parum valent. In inscriptionibus exstat APVT apud Gruterum 366, 4. 378, 4. 408, 1. Rariora esse haec exempla notat Dausqueius. Conf. Cellarius in Orthogr. p. 176. et p. 54. Nolten. p. 23. et 50. In codicibus Terentii *aput* invenisse videtur Bentleius: restituit enim id ubique.

Antiqua praecepta haec sunt Prisciani 14. (3, 32.) p. 989. *apud unam habet significationem, in loco, ut apud Numantiam: adiungitur tamen etiam personis, ut apud amicum, apud Athenienses, et significat παρὰ graecam, quando locum apud illos demonstrat. Ea autem praepositio in compositione non invenitur.* Conf. 18. (27, 284.) p. 1204. Cledonius. p. 1934. Harum significationum quam Priscianus secundam esse voluit, ea primarium locum obtinet. Nam *apud*, quod est παρά, *bei*, proprie dicitur de loco personae, i. e. de hominibus seu personis, quibus aliqua res iuxta posita aut loco coniuncta est, et quae de rebus proximis et iuxta sitis dicuntur, translatum usum habent, et pauciora ipsa sunt. Egregie Festus: *apud mutuam loci et personae coniunctionem significat.* Operam suam perdidit I. Henr. Ernesti, qui in libro de Curtii latinitate p. 365. demonstrare conatus est, in omnibus loquutionibus *apud* idem valere quod *ante.*

1. Vsurpatur igitur primum de proxima sede: veluti *apud aliquem sedere.*

Cic. de Orat. 2, 3, 12. *quum etiamdum in lecto Crassus esset et apud eum Sulpicius sederet.* de Rep. 3. apud Non. 12, 19. et 2, 1. *apud quem sedens Samnitum quondam hostium.* Idem Nonius affert Accium Diomede: *adsum apud te, genitor.*

2. Hinc dicitur de eo, qui alicui adiunctus est, vel cum aliquo coniunctus simul agit, aut idem patitur, unoque nomine comprehenditur.

Tacit. Hist. 2, 51. *ut legatione apud Caecinam et Valentem fungeretur, minitantes orabant.* i. e. legatus Caecinae adiunctus esse vellet. Ita explicandum Cic. pr. Sext. 4, 9. *conventus ille Capuae, qui propter salutem illius urbis consulatu conservatam meo me unum patronum adoptavit, huic apud me P. Sextio maximas gratias egit.* Manutius suspectum habuit nomen postpositum. Garatonius fatetur se non intelligere verba *apud me.* Orellius dum explicat, quum per legatos decretum patronatus mei mihi mitterent, non attingit caussam transpositi nominis. Sed *huic apud me Sextio* est, qui mecum simul honoratus erat.

3. Tum de praesentia dictum, *coram* significat: nam qui coram aliquo aliquid agit, prope adstat et cum eo agit. Imprimis ponitur de iis, quae coram iudicibus et magistratibus aguntur. Quamquam etiam de aliis usurpatur, quae aut alicuius ope conficiuntur, aut ad aliquem testem conferuntur. Nos in aliis dicimus *bei*, in aliis *vor*. Eadem saepe similiter per *penes* exprimuntur: alia per *ad*, veluti *ad populum* et *apud populum loqui*, de quo Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 24, 77.

Cic. p. Cluent. 22, 59. *apud eosdem iudices reus est factus.* 27, 74. *caussam nescio quam apud iudicem defendebat.* in Verr. 2, 20, 48. *verba apud senatum fecit.* de Orat. 2, 23, 98. *in ea caussa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit.* Ita *concionari apud milites.* Caes. B. G. 1, 7. *concio apud milites praeparata.* Sueton. Vespas. 6. Cum *ad* componitur apud Lucilium, quem Nonius 12, 19. affert: *aut quum iter est aliquo et caussam commentavi, ut apud aurificem, ad matrem, cognatam, ad amicam.* Dictionum *apud consulem manumittere, apud iudicem accusare, apud praefectum agere*, et al. permulta exempla collegit Brisson. de Verb. sign. p. 90.

Accius Eurys. apud Nonium. 12, 19. *apud ipsum addiscas.* Plaut. Amph. 2, 1, 43. *miserrima isthaec miseria est servo bono, apud herum qui vera loquitur.* Cic. de Orat. 2, 45, 189. *de me autem caussa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar.* Tacit. Hist. 1, 26. *quaedam apud Galbae aures praefectus Laco elusit.* i. e. coram Galba haec audiente. Quemadmodum Agr. 44. *augurio votisque apud nostras aures ominabatur.* i. e. nobis ipsis audientibus. An. 2, 39. *vago rumore apud imperitissimi cuiusque promptas aures.* Curt. 6, 11, 15. *deos patrios, gentium iura nequidquam apud surdas aures invocabat.*

Cic. de Leg. 2, 16, 41. *etsi haec commemoratio vereor ne supra hominis fortunam esse videatur, tamen quoniam mihi sermo est apud vos, nihil reticebo.* Quibus argumentis defenderetur mira illa scriptura *apud deos*, exposui in Ephemer. Ienens. 1810. n. 72. p. 569. Addi debet, in eiusmodi sententia non potuisse poni *apud.* Recte dicitur *sermo est apud vos*, pro *coram vobis*, qui non consuevistis rem in malam partem interpretari.

4. Deinde dicitur de domo et domicilio et de locis, in quibus aliquis versari solet. Vnde formula *apud se, apud te*, etiam absente ipso domino, et de rebus domesticis.

Cic. de Amic. 20, 75. *apud quem erat educatus.* Paullus in Dig. 37, 4, 6, 4. *apud adoptivum avum procreatus.* Cic. Catilin. 1, 4, 9. *fuisti apud Leccam illa nocte.* Caes. B. Gall. 4, 8. *quorum legati sint apud se.* Cic. ad Att. 1, 8. *apud te est, ut volumus.* i. e. in domo tua. 15, 2. ext. *Brutum apud me fuisse gaudeo.* i. e. in domo mea. Terent. Heaut. 3, 1, 21. M. *ubinam'st quaeso? apud me domi.* 1, 1, 110. *apud me sis volo.* Cic. de Orat. 1, 49, 214. *M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, — iam credo huc veniat.* Plaut. Aul. 2, 2, 66. *hic apud me hortum confodere iussi.* Alia multa vide apud Brissoń. de Verb. signif. p. 91. a. Burmann. ad Petron. 26. Varro de Re r. 3, 2, 7. *quodsi ea aedificia villae non sunt, quae asinum tuum, quem mihi quadraginta millibus emptum ostendebas apud te, non habent*, etc. Ita etiam *apud eosdem magistros institutus* Sueton. Cal. 24. de schola magistrorum. Cic. ad Fam. 1, 9, 56. *coenavit apud me in Crassipedis hortis.* i. e. in coena a me parata. ad Att. 1, 7. *apud matrem recte est.* Caes. B. G. 5, 27. *quos Aduatuci obsidum numero missos, apud se in servitute et catenis tenuissent.* i. e. in terris suis. Cic. ad

Att. 5, 6. *qui etiam a me petierit, ut secum et apud se essem quotidie.*

Cod. Iustin. 4, 58, 3. *si apud priorem dominum fugisse mancipium non doceatur.* i. e. in domo prioris domini.

5. Et transfertur hoc ad animum, diciturque de homine, qui mentis animique compos est, praesertim in negativa sententia, in qua negationis particula cum verbo semper connectitur.

Terent. And. 5, 4, 34. *vix sum apud me.* Heaut. 5, 1, 48. *nón sum apud me.* Petron. 129. *verum enim fatendum est, ex qua hora iniuriam accepit, apud se non est.* Terent. Andr. 2, 4, 5. *proin tu fac, apud te ut sies.* ubi Donatus: *praeparatus sis, cui contrarium est, non sum apud me.* Heaut. 5, 4, 47. Conf. Vorst. de Latin. falso susp. p. 54.

6. His desumpta est formula, qua auctor alicuius libri vel dicti nominatur. Nam scriptores in libris suis quasi in domicilio habitant.

Cic. de Divin. 1, 26, 55. *ut scriptum apud eumdem Coelium est.* de Senect. 22, 79. *Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit.* 9, 30. de Off. 1, 9, 28. *quod apud Platonem est in philosophos dictum.* Plin. Hist. n. 18, 35, 79. *apud Varronem est.*

Ascon. Pedian. in Cic. orat. p. Mil. 14. *et legimus apud Tironem libertum Ciceronis in libro quarto de vita eius oppressum a Clodio L. Caecilium praetorem.* Ita ipse Cicero de Div. 1, 24, 50. *apud Agathoclem scriptum in historia est.*

Cic. de Leg. 2, 26, 64. *de sepulcris autem nihil est apud Solonem amplius.* intelliguntur leges Solonis. De loquentibus Tacit. Agr. 22. *apud quosdam acerbior in conviciis narrabatur.*

Frotscher ad Quinctil. libr. dec. 2, 14. ut accuratum verborum delectum demonstraret, Quinctilianum notavit dixisse *in magnis quoque auctoribus incidunt aliqua vitiosa*, non *apud auctores*, propterea quod *in* non poni potuisset, nisi ubi hominis vel scriptoris aliquod vitium aut quaedam virtus significaretur: contra ubi sermo sit de scripti aliquo loco, dicendum esse *apud.* At praeterquam quod Quinctilianus tenuit rationem verbi *incidere*, ista vitiorum et virtutis notatio non proprie indicatur praepositione *in*, sed res, de qua sermo est, refertur ad personam. Quare id potius quaeritur, num veteres nomine scriptoris scripta eius insignierint. Idque non fieri poterat, nisi omnia scripta alicuius auctoris uno nomine comprehenderen-

tur. De uno certo scriptorum loco et de libris ipsis qui loquitur, aut *apud* usurpat, aut *in* addit nomini libri.

7. Propinquitatis notio, quae huic praepositioni innata est, creberrimum usum constituit, quo locus alicuius personae notatur. Quare dicitur ita et de iis, qui cum aliquo versantur, et de iis rebus, quae in alicuius hominis potestate et imperio sunt. Quo proxime accedit *apud* ad significationem vocabuli *penes*. Haec tamen inter se differre, iam Festus et Vlpianus observaverunt. Festus enim: *apud et penes in hoc differunt: quod alterum personam cum loco significat: alterum personam et dominium ac potestatem, quod trahitur a penitus.* Vlpianus in Digest. 50, 16, 63. *penes te amplius est quam apud te: nam apud te est quod qualiter qualiter a te teneatur: penes te est, quod quodammodo possidetur. Apud* significat proprie externam collocationem et possessionem et custodiam, *penes* autem internam coniunctionem, qua in ipsam rem possidendo vel imperando penetrare videmur, ideoque eam totam firmiter tenemus et potestate regimus. Haec, ut fit, facile confunduntur: in iuris formulis distinctio valet.

Godofredus ad locum Vlpiani: „apud quem res est, is eam tenere dicitur: penes quem ea est, possidere: plus iuris est in hoc quam in illo. Illud detentionem et quasi custodiam innuit, personam et locum: hoc potestatem, ius, dominium. Interdum tamen illa duo confunduntur.“ Conf. Dacerius ad Festum p. 33. Duker. de Latin. Iuriscons. p. 207. Gu. Ott. Reizii spec. pseudosyn. in Misc. Observ. T. 10. p. 148.

Curt. 7, 2, 18. *duo Arabes, quorum interim coniuges ac liberi vinculum fidei, obsides apud regem erant, dati comites. Apud inferos, apud superos* notae sunt formulae. vid. Vavassor. Antibarb. p. 486. *Apud exercitum esse.* Cic. in Verr. 4, 22, 49. et Plin. Hist. n. 33, 11, 50. *quod XII pondo argenti habuisset apud exercitum.*

De verbis *apud aliquem esse* paullo post dicam.

8. Quum locus personae, et quae ad eam pertinent, res hoc modo significentur, vocabuli usus eo usque promovetur, ut sit *a parte*, atque eam rationem exprimat, quae dativo, et eam, quae ablativo cum praepositione coniuncto designatur. Refertur enim res ad hominem, in quo ipsa locum obtineat, aut a quo profecta videatur. Et intelligitur imprimis animus, sententia, opinio hominum, ad quam aliquid constituitur,

ideoque et id, quod alicui visum est, aut ex alicuius sententia exstat. Caussam rei numquam indicat haec praepositio.

Liv. 8, 8, 11. *si apud principes quoque haud satis prospere esset pugnatum* etc. i. e. in loco, quem principes obtinebant, a parte principum. Celsus Praef. 8. p. 2. *siquidem haec duo corpora prius in Graecia, deinde apud nos afflixerunt.* Ita saepissime *apud nos*, pro in Italia, Romae. Plaut. Ps. 1, 5, 62. *quum apud te parum stet fides.* i. e. a parte tua. Cic. de Orat. 2, 45, 189. *non mehercule umquam apud iudices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui.* i. e. iudicibus. Liv. 29, 22, 7. *ac primo producti ad populum ab tribunis apud praeoccupatos Locrensium clade animos nullum misericordiae locum habuerunt.* Cic. de Amic. 4, 13. *plus apud me antiquorum auctoritas valet.* Cf. ad Att. 9, 9. ubi *ad me* legitur vulgo, correxit Ernestius *apud me.* Curt. 6, 7, 2. *Dymnus modicae apud regem auctoritatis et gratiae.* Terent. Eun. 1, 2, 10. *quia sum apud te primus.* est i. q. tibi. Apud Cic. ad Fam. 9, 9, 9. Dolabella: *meas tamen preces apud eum non minimum auctoritatis habituras puto.* Vide alia in Vorst. Latin. falso susp. p. 212.

Cic. ad Att. 2, 19. *Cosconio mortuo, sum in eius locum invitatus: id erat vocari in locum mortui: nihil me turpius apud homines fuisset.* Ernestius correxit *nihil mi turpius.* vide NIHIL. In Liv. 3, 10, 3. plerique codices et optimi: *iactata per aliquot dies quum in senatu res, tum apud populum est.* Vulgo *ad populum*, quod aliis glossa visa est. Cic. pr. Mur. 36, 75. *fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros et honestus homo et nobilis.* quod explicant, temporibus patrum: est autem existimatione patrum. Tacit. Hist. 2, 76. *satis clarus est apud timentem, quisquis timetur.* Liv. 2, 12, 15. *quandoquidem est apud te virtuti honos.* Cornel. Praef. 5. *quae omnia apud nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur.* i. e. nostra existimatione censentur. Eodem modo Epam. 1, 1. et 2. Ex aequo apponitur *in.* Cic. ad Att. 4, 1. *et in senatu auctoritatem et apud viros bonos gratiam magis quam optamus consequuti sumus.* Tacit. Ann. 6, 22. *ideo creberrima et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse.* Ita scribendum est. Virgil. Aen. 4, 539. *et bene apud memores veteris stat gratia facti?* Celsus 3, 23. *quidam iugulati gladiatoris calido sanguine poto tali morbo se liberarunt: apud quos miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit.* i. e. quibus.

Cic. de Off. 1, 11, 35. *in quo tantopere apud nostros iustitia culta est, ut qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni essent more maiorum.* 2, 24, 85. *haec apud maiores nostros factitata.* Gesnerus in Thesauro n. 5. et Ernestius in notis ad Tursell. docuerunt, ubi verbum passivum esset, *apud* esse idem quod *a*. Atque ita iam Vrsinus in Institut. Tom. 1. p. 1054. Sed Scaliger de Causs. L. L. 157. p. 398. „quod autem aiunt, apud maiores, positum pro eo quod esset, a maioribus, falsum est: sed est sicut, aetate nostra hoc fit, quippe ab aliquo apud ceteros, quod ad saeculum hoc pertinet: praesentes enim sumus tempore." Ad haec Vrsinus p. 1128. monet, non solum tempus inferri, sed amplius quid. Nimirum nec tempus simpliciter ponitur, sed persona, nec caussae notio intelligitur, sed loci, in quo quid appareat. Quod Cic. Manil. 21, 62. *quae in omnibus hominibus nova post hominum memoriam constituta sunt, ea tam multa non sunt quam haec, quae in hoc uno homine vidimus.* quamquam Schwartzius negat, recte dici poterat *apud omnes homines.* Tacit. Ann. 12, 69. *nec dubitatum est apud provincias.* Illud *apud maiores*, *apud antiquos* tempori designando inservit: quare opponitur Cic. Phil. 5, 17, 48. *recentior memoria.* Sic etiam Tacit. Ann. 2, 33. *aliam apud Fabricios, aliam apud Scipiones pecuniam.* Terent. Eun. 2, 2, 15. *olim isti fuit generi quondam quaestus apud saeclum prius.* Celsus 3, 9. *apud antiquos quoque — fuit Petron quidam* etc.

Ista autem loquutio, in qua verbum passivum rem actam indicat, non de singulis hominibus, sed de multitudine, de populis usurpatur. Nam quoniam non unus quidam auctor actae rei nominari potest, loci nomine omnes comprehenduntur. Tacit. Ann. 4, 72. *id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur.* 1, 9. *apud prudentes vita eius varie extollebatur arguebaturve.* Hist. 2, 91. *apud civitatem, cuncta interpretantem, funesti ominis loco acceptum est.* Curt. 5, 1, 38. *nec meretricum hoc dedecus est, sed matronarum virginumque, apud quas comitas habetur vulgati corporis vilitas.*

Apud aliquem esse dicitur pro locum habere apud aliquem, valere apud aliquem. Cic. de Leg. 2, 13, 33. de scientia augurali: *quae mihi videtur apud maiores fuisse dupliciter, ut ad reipublicae tempus nonnumquam, ad agendi consilium saepissime pertineret. Dupliciter* scripsit, non *duplex*, ut restituit Davisius: nam intelligitur non genus scientiae, sed modus eius adhibendae. Cur *fuisse* displicuerit Ernestio, non

perspicio. Sed alibi idem est quod *alicuius esse.* Brut. 41, 152. *sic enim existimo, iuris civilis magnum usum et apud Scaevolam et apud multos fuisse.* Liv. 22, 30, 8. *par gloria apud Hannibalem hostesque Poenos erat.* i. e. a parte. Quamquam, ubi notio facultatis, proprietatis, actionis accedit, non dicitur *apud*, sed *penes*, non *apud eum culpa est*, sed *penes eum.* Sallust. Cat. 20, 8. *itaque omnis gratia, potentia, honos, divitiae apud illos sunt, aut ubi ilii volunt: repulsas nobis reliquere, pericula, iudicia, egestatem.* Locus tantum indicatur, non possessionis proprietas. In Bruto quidem dici poterat *penes Scaevolam*, quod negat Ellendtus. Conf. Liv. 2, 24, 2. Sed Sallust. Iug. 106, 6. *ac fuere, qui dicerent, manu vindicandum, neque apud illum tantum scelus inultum relinquendum.* ubi praeter Cortium nemo attendit: aliud esse non potest, quam in eius persona, in eo. Sed proprie dicitur *relinqui apud aliquem* pro *alicui.* Tacit Hist. 2, 20. *decuma parte liberalitatis apud quemque relicta.* Atque saepe usurpatur pro *alicui esse.* Sallust. Iug. 24, 10. *si ulla apud vos memoria avi mei Masinissae.* Noltenius nescio quo auctore negavit, dici posse *apud aliquem esse* pro alicui adesse. Sed Plaut. Amph. 2, 1, 28. *domi ego sum, inquam. ecquid audis? et apud te adsum Sosia'idem.* conf. n. 2.

9. Sunt formulae, quae aequaliter per dativum et per praepositionem exprimuntur: *sacrificare diis* et *apud deos*, *iurare alicui* et *apud aliquem*, *profiteri alicui* et *apud aliquem*, *obligari apud aliquem*, *alicui queri* et *apud aliquem queri*, aliaque.

Tacit. Ann. 11, 27. *sacrificasse apud deos.* Hist. 2, 79. *quamvis iudaicus exercitus V. Non Iul. apud ipsum iurasset.* i. e. *ei.* vid. Plin. Pan. 68. Curt. 7, 7, 24. *quid eo portenderetur, cur apud alium quam apud me professus es?* Papin. in Digest. 16, 1, 27, 2. *si fidem suam pro ea, quam delegavit, apud virum obligaverit.* Plaut. Pseud. 1, 3, 80. *apud novercam querere.* Cic. ad Att. 6, 21. extr. *Lucceius queritur apud me per litteras, summum esse periculum.* Gaius in Digest. 30, 1, 70. *si servus Titii furtum mihi fecerit.* et paullo post: *quod is fecerit apud Titium.*

10. A personis transfertur ad res, et de locorum regione, propinquitate et vicinia dicitur, praesertim de militum castris, et de urbium oppugnatione. Vid. Vavassoris Antibarbar. p. 485. edit. Kapp. In vulgari sermone de ipso loco pro *in* per omne tempus usurpatum erat. Nonius 12, 19. *error consuetudinis apud pro*

in utitur. Itaque vitiose dicimus, quum nos in foro fuisse dicamus, apud forum fuisse, quum apud iuxta significet. Quod tantum in quibusdam formulis adhibitum fuisse videtur a bonis quidem scriptoribus: *apud forum, apud villam:* comici et scriptores recentiores, praesertim Tacitus et Suetonius, de insulis et urbibus dicebant pro *in.* Cf. Gunther. ad Cornel. Themist. 5, 3. Graeca contulerunt critici, sed quae Sophocles in Trachin. 524. *τηλαυγεῖ παρ' ὄχθῳ* et 371. *πρὸς μέσῃ Τραχινίων ἀγορᾷ*, non de communi usu, sed peculiariter dicta sunt. Graeci usurpant *ἐν.*

Sallust. Ing. 98, 4. *apud aquam Sullam cum equitibus noctem agitare iubet.* Ovid. Rem. am. 163. *pugnabant alii tardis apud Ilion armis.* Curt. 4, 1, 34. *Darii praetores, qui proelio apud Isson superfuerunt*, etc. Plaut. Amph. 1, 1, 194, *quid apud hasce aedis negotii est tibi?* Turpilius Lencadia apud Non. 12, 19. *utinam nunc apud ignem aliquem magnum assidam.* Sisenna Histor. libro 4. apud Non. 2, 1. *dum pristinum vitium apud ignem per sudorem corpore exhauserunt.* Caes. B. G. 2, 7. *paullisper apud oppidum morati.* Cic. ad Fam. 16, 3. *nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus.* i. e. circa Alyziam. vid. Cort. ad h. l. Virgil. Aen. 11, 288. *quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae.* Cic. ad Fam. 2, 10, 5. *imperator appellatus apud Issum.* Quod vulgo *pro rostris*, Tacit. An. 16, 6. *laudavit ipse apud rostra.*

Terent. Andr. 2, 1, 2. *apud forum modo e Davo audivi.* 1, 5, 18. *praeteriens modo mi apud forum — inquit.* Liv. 41, 9, 10. *ut dictator, consul, interrex, censor, praetor, qui nunc esset apud forum, quem manumitterentur, in libertatem vindicaretur, ut iusiurandum daret*, etc. Sed dubia est scriptura. Emendarunt *apud eorum quem*, non admodum probabiliter. Cic. in Verr. 4, 22, 48. (sive de Signis apud Non. 12, 19.) *is coenam isti dabat apud villam in Tyndaritano.* Terent. Ad. 4, 1, 1, C. *ain patrem hinc abisse rus?* S. *iam dudum.* C. *dic sodes.* S. *apud villam est.* Conf. Burmann. ad Petron. 61.

Plaut. Epid. 2, 2, 66. *hodie allatae sunt tabellae ad eam a Stratippocle, eum argentum sumpsisse apud Thebas ab danista foenore.* Asin. 3, 3, 16. *apud orcum te videbo.* Liv. 28, 29, 12. *hunc finem exitumque seditio militum coepta apud Sucronem habuit.* Seditio coeperat in ipsa urbe Sucrone. Tacit. An. 6, 20. *scientia Chaldaeorum artis, cuius*

apiscendae otium apud Rhodum, magistrum Thrasyllum habuit. 4, 13. *ut civitati Cibyraticae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam — subveniretur remissione tributi.* Sueton. Aug. 92. *apud insulam Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram languentesque ramos convaluisse adventu suo, adeo laetatus est, ut* etc. Vespas. 5. *apud Iudaeam.* 93. *apud Hierosolyma.* Tacit. An. 3, 71. *ita donum apud Antium statuitur.* Eutrop. 7, 13. *factus apud Palaestinam imperator.* Lactant. de Mort. Pers. 48. *quum feliciter tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus.* Orosius 7, 40. *apud Brittanias Gratianus municeps eiusdem insulae tyrannus creatur et occiditur.* Sext. Rufus Brev. 7. *legatis Romanorum apud Corinthum violatis.* vid. Cellarii Ind. Eutrop. et Cur. post. p. 212. (238.). Bünemann. et Heumann. ad Lactant. 1, 21, 1. et de Pers. mort. 48. Ex his patet, hunc usum non coerceri per notionem personae reconditam, quasi *apud Asiam* sit apud Asiaticos. Tacit. Hist. 1, 49. *dum vigebat aetas, militari laude apud Germanias floruit.* Buhlius in Observat. de Taciti stilo p. 56. *apud Germanias* dici putat a bellis in ipsis Germaniae confiniis gestis. Quod miro modo expressum esset. *Germaniae* dicuntur pro Germanis, quomodo *Brittanniae, Galliae.* vid. Catull. 29, 20.: estque Taciti sententia, Galbam cum militari laude in Germania versatum esse.

11. In quibusdam dictionibus, praesertim apud recentiores scriptores, occurrit, in quibus frequentius poni solet *ad* de ipso loco. In aliis formulis explicari potest per *in.*

Sueton. Aug. 35. *ut — thure et mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur.* Vlpian. in Digest. 48, 19, 9, 2. *potest et ita interdici cui, ne apud tribunal praesidis postulet.*

Sueton. Dom. 9. *qui apud aerarium pependissent.* de iis, quorum nomina in aerario penderent aeris alieni caussa.

12. Animus quum saepe ita intelligatur, tamquam personam in nobis agat, Latini hanc rationem in loquutionibus nonnullis adhibito vocabulo *apud* exprimunt, ideoque dicunt *apud animum statuere, proponere.*

Liv. 34, 2, 4. *atque ego vix statuere apud animum meum possum, utrum peior ipsa res, an peiore exemplo agatur.* 6, 39, 11. *proinde ipsi primum statuerent apud animos, quid vellent.* (Sallust.) de Ordin. Rep. Ep. 2, 6, 2. *equidem ego*

sic apud animum meum statuo. Sulpic. ad Cic. Epist. 4, 5, 13. *ea tute tibi subiice, et apud animum propone.*

Sigonius in Liv. 42, 50, 8. induxit: *dum integrae res sint, cogitare apud animum suum Persea debere, utrum* etc. At qui dixerit *apud animum cogitare* pro *cum animo suo cogitare*, nullo exemplo monstravit. vid. Drakenborch. ad h. l.

13. Restat, ut de praepositione cum verbis, quae motum significant, coniuncta, quid antiquis grammaticis visum fuerit, addam. Servius ad Virg. Aen. 1, 24. *ad et apud accusativae sunt praepositiones. Sed apud semper in loco significat. ad et in loco et ad locum.* Cledonius p. 1934. *ex his ad et apud cum unius casus sunt* (leg. *sint*), *apud tantum in loco significat, ut apud amicum suum: nec possumus dicere apud amicum vado.* Haec conveniunt cum usu omnium scriptorum. Apud vulgus haec iam olim neglecta et confusa esse, monitum Lucilii monstrat apud Charisium p. 86. *sic et apud te longe aliud est, neque idem valet ad te.* Quod legitur in inscriptione romana apud Gruterum p. 786. n. 5. *vellitis huic indulgentissimi esse horis nocturnis, ut eum videam et etiam me fato suadere vellit ut et ego possim dulcius et celerius aput eum pervenire.* debetur inscientiae in toto hoc opere obviae. In vulgari sermone ita apud omnes gentes peccatur. Sed quod in Decreto Constantin. Cod. 7, 61, 1. dici narrant *preces apud acta referre*, falsum est. Ibi enim legitur: *is refutatorias preces similiter apud acta sine aliqua frustratoria dilatione offerat.*

14. Transpositio, quae in aliis praepositionibus frequentior est, in hac pauca habet exempla apud scriptores posterioris aetatis. Conf. Wopkens. in Actis soc. Trai. Tom. 2. p. 78.

Tacit. Ann. 4, 5. *Misenum apud et Ravennam.* In Sueton. Dom. 9. *qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependissent.* Scriverius et Graevius ex aliquot codicibus receperunt *aerarium apud*, non assentiente Oudendorpio. Tacit. Ann. 6, 31. *ripam apud Euphratis.* 4, 43. *montem apud Erycum.* Haec a compositione duorum nominum excusationem accipiunt: fortasse etiam illud libri 4, 5.

* Confusa saepe sunt a librariis *ad* et *apud* quod compendio scribebatur *ad*. Vid. Drakenb. ad Liv. 3, 10, 3. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 24, 77.

AST. AT.

Primum de forma. AST et AT unius vocabuli duplicem formam esse, et grammaticorum antiquorum testimonia et usus docent. Festus: *ast significat at, sed, vel autem.* Charisius p. 204. *ast* apud antiquos usitatum esse notat. Et legitur etiamnunc in antiquis legibus et formulis apud Cicer. de Leg. 2, 8, 19. Liv. 10, 19, 17. in quibusdam locis Plauti et in Ciceronis Epistolis ad Atticum: quod non ob aliam caussam factum esse videtur, quam quia hae epistolae non tantum expertae sunt correctionem librariorum, quantum reliqui libri omnes. Haberemus alia exempla multa, nisi grammatici haec ex sua consuetudine mutassent. Poetis non poterat antiqua forma eripi, quippe quae productionem syllabae efficeret. Exstat autem ea in Lucretii, Virgilii, Ovidii, aliorumque carminibus. Quo modo prosaici scriptores usum adhibuerint, hodie non facile potest constitui. Neque vero dubitabimus, quin iam antiquioribus temporibus cognita fuerit forma *at.* nam cognata sunt vocabula *αὖ*, *αὐτάρ*, *ἀτάρ*, *at*, et quod dictum erat *ast* eadem ratione, qua Graeci *γνωστός*, *ἀδάμαστος* et alia dixerunt. Alias scilicet, quae nostris grammaticis placuerunt, derivationes omnes unius aestimemus assis. Schellerus enim existimabat antiquum verbum fuisse *aset*, vel *ased:* unde factum esset contractione *ast*, et omissa prima littera *sed:* tum demum dictum esse *at.* Quo mirabili artificio permulta alia vocabula *et*, *aut*, *autem* ad unam originem facile revocabis. Sed argumentis magis destituta, ne dicam absurda erant ea, quae Scheidius ad Sanct. Minerv. p. 670. proposuit, *at* dici pro *ati*, ut *sic* pro *sici*, esseque dativum vel ablativum nominis obsoleti *ἆτος* sive *ἆθος*, quod p. 3. ab *ἄθω* deductum, extensionem sive protensionem, ideoque litus significare dixerat: ita *ati* proprie esse *obtensione*, *occursu:* denique pro *ἆτος* per syncopen fieri *ats* et per metathesin *ast.* Ita aliquando ex subtilitate delirium nascitur. Quamquam haec curiose disputata censet Baumgarten-Crusius in Clavi Sueton. p. 159. Nec minus falsa sunt, quae Doelekius in Gramm. p. 141. de cognatione vocis *et* notavit.

In emolliendo sono veterum nonnulli eo processisse videntur, ut *ad* pronuntiarent et scriberent. Nam Charisius p. 203. *at pro autem. Licinius Calvus in Fusci-*

nium ambitus reum: At ita mihi Iovem deosque immortales velim bene fecisse, iudices, ut ego pro certo habeo, si parvuli de ambitu iudicarent. At coniunctionem, ad vero praepositionem scribunt, εὐφωνότερον tamen est, ut haec per D scribatur, ne subsequens T littera duriorem suique similem sonum litterae amplexa, dictum faciat immitius. Haec Gerh. Vossius ita accepit, quasi Charisius coniunctionem *at* per D scribendum existimasset: quamquam ille loquitur de praepositione in compositis verbis ponenda. Sed vid. Quinctil. 1, 7, 5. et quae diximus p. 75.

In antiquorum grammaticorum praeceptis miscentur alia omnia. Charisius p. 203. *at pro autem.* p. 204. *ast apud veteres variam vim contulit vocibus pro atque, pro ac, pro ergo, pro sed, pro tamen, pro tum, pro quum, ut in glossis antiquitatum legimus scriptum.* Priscian. (18, 171.) p. 1170. ἀλλὰ (Putschius scripsit γέ) *coniunctionem illi et pro γὰρ et pro γοῦν ponunt, quomodo et nos at et vel et aut pro et, et pro saltem vel autem.* Quibus in hac doctrina nihil prorsus efficitur: nam propria et una vis huius coniunctionis cernitur in oppositione, quae esse potest et contrarii et diversi. Atque haec primitiva significatio distinctius exprimitur addita particula *contra.* Cic. Verr. 5, 26, 66. *ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, ut videre piratam captum non liceret? At contra quacumque iter fecit, hoc iucundissimum spectaculum omnibus vinctorum captorum hostium praebebat.* Sallust. Catil. 12. *verum illi delubra deorum pietate, domos suas gloria decorabant, neque victis quidquam praeter iniuriae licentiam eripiebant: at hi contra ignavissumi homines per summum scelus omnia ea sociis adimere, quae fortissumi viri victores reliquerant.* Ovid. Art. a. 2, 603. *exigua est virtus praestare silentia rebus: at contra gravis est culpa tacenda loqui.* Saepe utitur verbis compositis *at contra* Lucretius. vid. 1, 367. 571. 1086. 2, 235. et al. et Tacitus Ann. 4, 28. Verum igitur observavit unus Festus, qui apud Paul. Diac.: *at differentiam rerum significat: ut quum dicimus, Scipio est bellator, at M. Cato orator.*

Ex his autem simul duo colliguntur: coniunctionem *at* non inservire copulationi sententiarum simplici, neque eam usquam, nisi alia caussa intercedente, ab

initio orationis poni posse: cuius utriusque rei exstiterunt tamen multi defensores. Commemoro tantum I. H. Vossium, qui ad Virgil. Ge. 2, 51. notavit: „*at* pro *et*, ut saepe." recepitque falsam scripturam: *tamen haec quoque si quis inserat, at scrobibus mandet mutata subactis.* pro *aut:* quod recte se habet: et Bothium ad Plaut. Amph. 938. et Goerenzium, qui, Turnebum sequutus, copulandi vim particulae tribuit in antiquis legum formulis ad Cic. de Leg. p. 129 et 225. Sed quae comparantur exempla, ei generi oppositae dictionis annumeranda sunt, de quo paullo post n. 1. et 12. dicturus sum. Neque in verbis simpliciter componendis, nisi recta oppositio apparet, huius particulae ullus conceditur usus. Quare sensu erravit Drakenborchius, quum ad Liv. 21, 4, 1. sibi non displicere ait: *pauci, at ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur.* Livius intellexit optimos, qui pauci esse solent, scripsitque: *pauci ac ferme optimus quisque.* Sed potest in carminibus *at* poni pro *et*, ut subitus rei conspectus describatur per admirationis particulam: veluti apud Ovid. Met. 2, 560. *nodosque manu diducit: at intus infantemque vident apporrectumque draconem.* quod est *at ecce.*

Alteram opinionem, qua Becichemus in Epist. 58. et Beroaldus ad Apulei. Met. init. statuerunt, *at* particulam incipienti orationi praefigi ornatus caussa, docte refutavit Oudendorp. ad Apulei. p. 5. Si qui sermo per hanc particulam incipit, aut intelligitur aliquid, quod reiiciatur, praemissum, aut exprimitur animi commoti impetus.

Servius ad Virg. Aen. 7, 363. *si autem at legeris, copulativa particula est ad ornatum solum pertinens.* conf. ad 9, 144. ad 10, 411. *sed modo inceptiva particula est, ut in Sallustio saepius: sicut at interdum: nam non est coniunctio ratiocinantis.* Boeclerus in Chrestomath. Terent. s. h. v. egregie: „quotiescumque *at* incipit orationem, sive totius orationis frontem sustinet, totiens actuose πάθος suppressum subauditur: quae sola et una ratio est explicandae huius elegantiae: adeo ut re ipsa non tam incipiat haec particula orationem, sed inceptam in animo potenter erumpat."

Nemo provocabit ad Aeneidos libri quarti initium: *at regina gravi iam dudum saucia cura volnus alit venis.* aut ad Stat. Theb. libr. tertium: nam continuatur narratio libri antecedentis: neque ad Celsi capita, quae a vocabulo *at* incipiunt, velut

1, 2. 1, 7. 2, 27. et al. Quod Horat. Epod. 5. et Ovid. Her. 12. a particula *at* incipit, factum est animi commotione, de qua vide infra.

Omnem particulae usum nos ad tria genera revocamus, quorum primum ob simplicem oppositionis significationem vocari potest grammaticum, alterum rhetoricum, tertium patheticum.

I. 1. Igitur oppositione, quam particula exprimit, aut res distinguuntur ex adverso positae, aut sententiae contrariae. Atque in rebus opponendis ea significat *ex altera parte*, *e contraria parte*, quod Graeci dicunt δέ. Ita proprie componitur cum personarum nominibus et cum pronominibus personalibus *at ille*, *at tu*, *at ego*. Sed hunc usum, quo diversae res distinguuntur, omnino negavit nuper Rostius, qui in Plautin. Cuped. Fercul. 13. p. 15. s. demonstrare voluit, *at* non alibi ponì, quam ubi quis aut suae aut alius hominis sententiae veritatem facultatemque impugnaret, atque ita diversas et contrarias sententias, non ipsas diversas res opponi. Hoc falsum esse, ex nostra argumentatione elucebit.

Ennius apud Cic. de Divin. 1, 48. *hinc Remus auspicio se devovet, atque secundam solus avem servat. At Romulus pulcher in alto quaerit Aventino.* Cic. ad Att. 1, 19. extr. *tu — crebras a nobis litteras exspecta: ast plures etiam ipse mittito.* Caes. B. Gall. 1, 52. *reiectis pilis comminus gladiis pugnatum est: at Germani — impetus gladiorum exceperunt.* 7, 82.

Fragm. legis Servii Tull. apud Festum s. v. *plorare: si parentem puer verberit, ast olle plorassint parentes, puer divis parentum sacer esto.* Cic. de Leg. 2, 1, 19. *divos et eos qui coelestes semper habiti, colunto, et ollos quos endo coelo merita locaverunt. — Ast olla propter quae datur homini adscensus in coelum — delubra sunto.* In quibus miror Goerenzium vim copulandi agnovisse. Item in verbis *ast quando* 3, 3, 8. ubi aperta est oppositio. Sueton. Aug. 32. restituendum est: *iudices a vicesimo aetatis anno allegit: id est, quinquennio maturius quam solebant. At plerisque iudicandi munus detrectantibus vix concessit, ut singulis decuriis per vices annua vacatio esset.* Vulgo *ac*.

Cic. Phil. 1, 5, 12. *misi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris se domum meam venturum esse dixit.* Livii 24, 37, 11. *at illi, si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium.* ita

emendavit Gronovius, sed male explicuit, quasi ad apodosin pertineret, *tum illi.* Est οἱ δέ. Cic. Tusc. 1, 44, 105. de Achille in Hectorem mortuum saeviente: *ergo hic obiciscitur, ut quidem sibi videtur. at illa sicut acerbissimam rem moeret.* Plaut. Capt. 3, 5, 25. *si ego hic peribo, ast ille, ut dixit, non redit, at erit mihi hoc factum mortuo memorabile. ast ille* est ἐκεῖνος δέ, *dagegen jener, at erit* pro *tamen erit.* Ovid. Her. 1, 37. *omnia namque tuo senior, te quaerere misso, retulerat nato Nestor, at ille mihi.* Alia exempla paullo post dabimus.

Cic ad Att. 7, 11. *fecit idem Themistocles. fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat: at idem Pericles non fecit* de Off. 1, 11, 35. *maiores nostri Tusculanos, Aequos — in civitatem etiam acceperunt: at Carthaginem et Numantiam funditus sustulerunt.*

Plaut. Amph. 2, 1, 65. *at ego nunc, Amphitruo, dico.* Capt. 5, 4, 22. *at ego hunc grandis grandem natu, ob furtum ad carnificem dabo.* 1, 1, 4. Sallust. Cat. 40, 3. *at ego, inquit, si modo viri esse voltis, rationem ostendam, qua tanta ista mala effugiatis.* i. e. ego ex mea parte contra ostendam. Cic. in Catil. 1, 2, 4 *num unum diem postea L. Saturninum tr. pl. et C. Servilium praet. mors ac reipublicae poena remorata est? At nos vicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.* Sallust. Cat 52, 1. *postquam Caesar dicendi finem fecit, ceteri verbo alius alii varie assentiebantur: at M. Porcius Cato, — huiuscemodi orationem habuit.* Stat. Theb. 1, 421. *non aliter quam Pisaeo lustra Tonanti quum redeunt, crudisque virum sudoribus ardet pulvis, at hinc teneros caveae dissensus ephebos concitat.* i. e. ab altera parte.

2. In hac coniunctione cum pronominibus facta poetis usurpatur particula ad declarandas res, quemadmodum pictores umbra addita clariorem reddunt lucem. Graecum δέ per *at* ita exprimunt, ut oppositio fiat non notionum, sed imaginum, hoc est, ut contrarium non in ipsa re, sed in locatione appareat. Poetarum enim dictio instar est picturae sensibus, non cogitationi subiiciendae. Id autem, de quo dico, plurimum fit in extremis versibus, ut videtur, ad attollendam, quae in fine versuum deprimitur, orationis vim. Ita *hi — at illi* dicuntur, qui graece οἱ μὲν — οἱ δέ. Loquutus est de hac re criticus in Misc. Observ. T. 1. p. 134.

Propert. 4, 7, 11. *spirantisque animos et vocem misit: at*

illi pollicibus fragiles increpuere manus. 4, 4, 15. *hinc Tarpeia deae fontem libavit: at illi urgebat medium fictilis urna caput.* Tibull. 2, 1, 79. *ah miseri, quos hic graviter deus urget: at ille felix, cui placidus leniter afflat Amor.* 1, 4, 37. Lucan. 3, 663. 4, 36. *his virtus ferrumque locum promittit: at illis ipse locus.* Male fecerunt, qui in Ovid. Fast. 1, 136. scribebant: *e quibus haec populum spectat, et illa larem.* pro *at illa larem.* Neque aliter Horat. Sat 1, 5, 58. *o, tua cornu ni foret exsecto frons, inquit, quid faceres, quum sic mutilus miniteris. At illi foeda cicatrix setosam laevi frontem turpaverat oris.* Heindorfius vim explicativam tribuit particulae, sed alia exempla adhuc requirit. Nusquam ea invenientur.

3. Ex hoc usu poetis proprio factum est, ut historiarum aliosque auctores, ubi ad aliam rem narrandam transeundum, aut plura exempla afferenda erant, haec ex adverso ponerent, et in hoc transgressu aliam rem per *at* designarent. In his quoque Graeci dicunt δέ. Ita enim conformanda sunt praecepta grammaticorum, quos sequutus Crusius in Clavi Sueton. p. 159. docuit, *at* poni in continuatione orationis, maxime ubi appareret, de pluribus dicendum esse, quasi occuparetur quaestio: *quid porro? quid inde?* ideoque *at* respondere particulis *verum*, *iam*, *iam vero.* Quod falsum esse, ipsa particulae natura monstrat. Numquam enim deficit omnino vis oppositiva, quae apud Ciceronem fere semper distinctior, apud alios scriptores recentiores, ut in poetarum dictione, designandis rebus inservit. Celsus utitur hac particula saepe in nominandis et exponendis morbis et remediis: Tacitus in transitu ad aliam rem narrandam: Suetonius in afferendis singulis exemplis: Curtius in narratione simpliciter cum pronomine eam coniungit, ut Graeci δέ. Vbi consequutio aliqua rerum aut nexus exprimendus est, ponitur *ac:* de quo vide suo loco.

Cic. de Divin. 1, 34, 74. *at eodem tempore Thebis* etc. 1, 36, 78. *at Platoni* etc Vtroque in loco emendarunt *ac.* Sed ita componuntur diversa exempla.

Celsus 5, 17. *ubi facta sunt, quae separatim fieri debuerunt, in unum omnia miscentur. At pastilli haec ratio est.* 6, 18. p. 394. *aerugo quoque cum cocto melle et ea quae ad oris ulcera supra comprehensa sunt, curant. At Erasistrati compositio, aut Cratonis recte super purulenta*

naturalia imponitur. Tacit. Ann. 1, 38. seditione legionum germanicarum narrata pergit: *At in Chaucis coeptavere seditionem praesidium agitantes vexillarii.* Quo oppositionem aequaret, in interpretatione Wolfius addidit *quoque.* Sed *at* tantum declarationi inservit. 4, 13. *at Tiberius* etc. 12, 62. *at Byzantii* etc. 14, 23. *at Corbulo.* 4. 5. 4, 6. 1, 2. et multa alia, in quibus particula transitionem parat. Quae Dronkius ad Dialog. p. 126. et 174. attulit, omnia sunt aliena exempla, neque in Dialog. 14, 4. ubi *at velim* restituit, neque in 25, 5. transitus fit, sed diversae sententiae opponuntur.

4. Poetae eamdem ob caussam utuntur hac particula in transitu ad aliam rem conspicuam, ut rem vel magnam, vel admirabilem, vel aliquo modo distinguendam diverso colore designent: id quod in pictura proprie appellatur transitus. Quo in usu particula vim habet monstrativam, ut graecum δέ.

Tibull. 2, 5, 33. *at qua Velabri regio patet* etc. Stat. Silv. 1, 1, 46. *at sonipes* etc. ubi vid. not.

Val. Flacc. 8, 252. *mox epulas et sacra parant. — Gramineis ast inde toris discumbitur.*

5. Hoc autem ex aliqua parte ad prosaicos scriptores fere omnes pertinet, qui in disponendis et distinguendis rebus hoc vocabulum adhibebant eo consilio, ut illarum rerum discrimen generumque diversitas magis appareret, et quae cum aliis confundi possent, seorsum ac sigillatim spectarentur.

Cic. Orat. 67, 223. *sed quae incisim, aut membratim efferuntur, ea vel aptissime cadere debent: ut est apud me: domus* etc. *Haec incise dicta sunt quatuor. At membratim, quae sequuntur duo: incurristi* etc. Caes. B. civ. 2, 7. *quae omnes citeriorem Hispaniam petiverunt: at ex reliquis una praemissa Massiliam* Celsus postquam dixerat sudorem duobus modis elici, aut sicco calore aut balneo, iam exposito calore pergit: *at balnei duplex usus est.* Quinctil 4, 2, 49. *at partitio taedium levat.* illa enim partitio aliud nominatur genus diversum. conf 4, 2, 75. Celsus 2, 7. p. 61. *nonnumquam si digitum admoverunt, ubi vesicae cervicem is urget, calculum sentiunt. At, qui spumantem sanguinem excreant, his in pulmone vitium est.* Ita saepissime Celsus in conferendis casibus *at qui*, ut 1, 8. *si — at* 2, 10. p. 81. 2, 15. p. 91. et *si — at si*, ut 2, 10. p. 78. vel simpliciter *at si*, fere quacumque in pagina. Sueton. Dom. 4 *spectacula assidue magnifica et sumptuosa edidit, non in Amphitheatro modo.*

verum et in circo, ubi — proelium etiam duplex equestre ac pedestre commisit: at in amphitheatro navale quoque. Et defendendum in Aug. 46. *ac necubi aut honestorum deficeret copia aut multitudinis soboles, equestrem militiam petentes etiam ex commendatione publica cuiusque oppidi ordinabat: at iis, qui e plebe regiones sibi revisenti filios filiasve approbarent, singula nummorum millia pro singulis dividebat.* Iul. 58. *in obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior.* tum post exempla cauti consilii pergit: *at idem obsessione castrorum in Germ anianuntiata, per stationes hostium gallico habitu penetravit ad suos.*

6. In afferendis colloquentium responsionibus *at* potest in ipsis, quae opponuntur, verbis locum obtinere, ut paullo post notabimus, sed cum pronomine *ille* coniunctum formulam efficit talem, ut verba *at ille inquit* significent *contra loquutus est ille.* Quod criticos non raro fefellit. Nam non opus est contraria sententia.

Catull. 45, 10. *At Acme, — sic, inquit, mea vita,* etc. Curt. 3, 2, 11. *at ille, et suae sortis et regiae superbiae oblitus, verum, inquit, et tu* etc. Cornel. N. Attic. 8, 4. *at ille — respondit.* Sed Epamin. 5, 5. male interpungitur: *at, ille, desine, inquit.* et Iphicrat. 3, 4. *id quum omnibus mirum videretur, at, ille, merito, inquit, facio.* Non poterat *at* a pronomine avelli, quod recte ita coniunctum ponitur in apodosi. Bremius male interpretatur: *profecto.* Cic. de Leg. 2, 19, 47. in libris legitur: *quam magnum illud Scaevolae faciunt pontifices ambo et iidem iuris peritissimi. At, inquit Publii filius, ex patre audivi* etc. quod restituit Moserus: Turnebus dederat *saepe.* Sed ineptum est illud *at*, quasi obiiciatur aliquid alicui, quem nemo sciat. Nec de mera coniectura factum videtur *saepe.* Quare suspicor Ciceronem scripsisse. *at, saepe, inquit Publii filius.*

7. Haec de diversis rebus. Gravior exsistit vis particulae propria in recta rerum contrariarum oppositione. Atque, uti iam supra dictum est, verba *at contra* hanc plenam significationem exprimunt. Sed saepe idem significat simplex *at*, sive in opponenda negatione, sive in aliis contrariis rebus.

Cic. de Div. 2, 25, 54. *quid autem volunt ea dii immortales primum significantes, quae sine interpretibus non possimus intelligere: deinde ea, quae cavere nequeamus? At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates praedicant, quas illi effugere nullo modo possint.*

Acad. 2, 16. 52. *Num censes Ennium, quum in hortis cum Ser. Galba, vicino suo, ambulavisset, dixisse: visus sum mihi cum Galba ambulare? At quum somniavit, ita narrat: visus Homerus adesse poeta.*

Negationis exemplum unum modo afferam ob formam parenthesis. Stat. Theb. 4, 123. *dexter Iaccho collis (at Ennaeae Cereri negat) avia Dyme.*

8. Quaesitum est de discrimine coniunctionum adversativarum, sed plerumque frustra: nam quae grammatici docuerunt, plurima aut falsa, aut non satis distincta sunt. Falsum enim est, quod Zumptius n. 348. et Doelekius p. 133. dixerunt, per *sed* exprimi rectam oppositionem: ea autem, quae Ramshornius disputat p. 540. vereor, ne mirifice ipsa secum pugnent, et obscuritate laborent vehementer. *Sed*, ex *se* factum, propriam vim habet secludendi, eoque nomine differt ab *at*. Id enim indicat rem contrariam aut contra oppositam, *sed* non opponit, sed secernit et apponit id, quod distinguendum videtur. Veluti qui dicit *dives est, sed non probus*, hoc vult, praeterea, quod aliquis dives sit, eum non probum esse: sive qui dicit *non dives est, sed probus*, in eo, qui non divés est, probitatem distinguit. Quum autem dico *dives est, at non probus*, divitiis oppono probitatis defectum ita, ut illas esse concedens, hunc tamen esse negem, nec tantum diversitatem, sed oppositionem rei deficientis et rei non deficientis agnoscam. Tamen nihil impedit, quo minus contraria etiam aequata ratione componantur: quare recte dicitur: *volentes ac non coacti* Liv. 24, 37, 8. Atque sunt scriptores, qui usum particularum *at* et *sed* parum diligenter distinguant: in quibus Celsus et Curtius.

Errant etiam ii, qui putant, *at* esse posse *praeterea*, et quum apud Cic. Epist. ad Fam. 4, 3. in codicibus legatur: *nam quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant: et aliquid atque adeo multa addunt et afferunt de suo.* scribendum esse *at aliquid.* Ibi enim si legeretur *at*, potestas verbi *aliquid* augeretur, ut esset *multum*, quod ob sequentia fieri non potest.

Celsus 2, 12, 2. *acris autem est marina aqua, vel alia sale adiecto: at utraque decocta commodior.* Ita Lindenius: alii dederunt *atque utraque.* Celsus non semel ita *at* pro *sed* posuit.

Propert. 2, 7, 1. *gavisa est certe sublatam Cynthia le-*

gem, qua quondam edicta flemus uterque diu, ni nos divideret. — At magnus Caesar. Sed magnus Caesar in armis: devictae gentes nil in amore valent. Discrimen patet. *At* est: contra bene animadverte, magnum esse Caesarem: per *sed* non reiiciuntur ea, quae ante dicta sunt, immo deflectit cogitatio, non negans magnitudinem, sed distinguens eius locum. Imprudenter haec sollicitarunt Marklandus aliique.

9. Praemissa sententia, in qua aliquid non esse dicitur, ponitur *at* ita, ut in vicem negatae rei substituat aliud contra, ideoque saepe significet *tamen*, *dagegen doch*, vel *saltem*, *aber wenigstens*. In his *at* discernitur a *sed* distinctiori oppositione: tamen sunt loci, in quibus fere idem valet quod *sed*. Conf. NON.

Cic. Philip. 2, 5, 12. *non placet M. Antonio consulatus meus: at placuit P. Servilio.* ad Att. 7, 11. *non est, inquit, in parietibus respublica, at in aris et focis.* Terent. Andr. 4, 1, 55. *parum succedit quod ago: at facio sedulo.* Cic. Acad. 2, 11, 56. *non cognoscebantur foris, at domi: non ab alienis, at a suis.* Propert. 1, 6, 21. *nam tua non aetas umquam cessavit amori: semper at armatae cura fuit patriae.* alii libri *et*, quod Lachmannus temere revocavit. Cic. de Senect. 10, 31. *et tamen dux ille Graeciae nusquam optat, ut Aiacis similes habeat decem, at ut Nestoris.*

Celsus 6, 18. p. 395. *profluit — sanies tenuis malique odoris non coacta, at aquae similis, in qua caro recens lota est.* Et in structura verborum paullo inversa Cic. p. Flacc. 25, 61. *liceat haec nobis, si oblivisci non possumus, at tacere.* Locus est Plauti Pseud. 1, 3, 95., de quo Rostius disseruit in Plaut. Cuped. Ferc. 13. p. 13. negans ob grammaticam rationem scribi posse: *nolo victimas, at minimis me extis placari volo.* At potest. Diceret leno: nolo quidem victimas, at potius minimis me extis placari volo. Quod etiam exprimi poterat per *sed*, distinctione non tam gravi.

Perizonius in Pompon. Mel. prooem. restituendum putavit: *et quod sine ope ingenii orantis, at ipsa sui contemplatione pretium operae attendentium absolvat.* quasi post *sine*, quod negationem in se haberet, quemadmodum post *si non*, recte poneretur *at*. Burmannus in Miscel. Obs. T. 7. p. 426. requirit exempla, quae desunt. Alii libri dant *si non*.

10. Multi docuerunt, in quocumque genere apodosis poni *at*, Gronovium sequuti, qui ad Liv. 24, 37. explicuerat, *at* significare *tum*. Sed altera pars sententiae, quam apodosis nomine appellamus, plerumque in-

haeret alteri parti per aequationem. In his omnino nullus est locus particulae *at*. Igitur eae praesertim sententiae admittunt hanc coniunctionem, quae contraria ita componunt, ut, etiamsi altera res tollere aut minuere alteram rem videatur, hanc tamen constare indicent. Hae sunt enuntiationes concessivae, et conditionales, vel cum negatione coniunctae, vel notionem aliam negativam sive disparem in se habentes. Quare *at* usurpatur, ubi antecedunt coniunctiones *etsi*, *etiamsi*, *quamquam* et *si non*, *si minus*, et *si*, quod pro *etiamsi* dicitur. Tum aut adduntur particulae *tamen* vel *saltem* vel *certe*, aut earum vis intelligitur: nusquam autem *at* idem est quod *tum*. Plurima exempla, non omnia, pronomen habent particulae adiunctum, etiam ubi oppositio non ipsum pronomen tangit. Et sunt, in quibus *at* nihil nisi rem ex adverso positam significet: ut apud Livium 10, 19, 17.

Doelekius errat, quum in Grammat. p. 141. *at* reddit per vernaculum *so*, quod aequalitatem significat. Recte comparavit graecum usum Freinshemius in Ind. Curt. Conf. Hermann. ad Viger. n. 241. De latino vide Perizonium in Miscell. Obs. Tom. 7. p. 425. Io. Fr. Gronov. Observat. 4, 26. ad Liv. 24, 37. Abrah. Gronov. ad Pompon. Melam p. 885. Oudendorp. ad Caes. B. G. 6, 40, 2.

Cic. de Orat. 3, 4, 14. *atque ei etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio meritam gratiam debitamque referamus.* ad Fam. 6, 6, 2. p. Cael. 3, 8. *quis est enim — qui isti aetati atque etiam isti dignitati non possit, quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspicione, at non sine argumento maledicere?* Terent. Eun. 5, 2, 25. *non te dignum, Chaerea, fecisti: nam si ego digna hac contumelia sum maxume, at tu indignus qui faceres, tamen.* Alia vide in ETSI et in QVAMVIS. Quinctil. 12, 11, 31. *haec erant, quibus praecepta dicendi pro virili parte adiuvari posse per nos videbantur, quorum cognitio studiosis iuvenibus si non magnam utilitatem afferet, at certe, quod magis petimus, bonam voluntatem.* Prooem. 2. Celsus 2, 15. *si ne id quidem est, at certe uni pedi lecti fulcimentum subiiciendum est.* Sueton. Cal. 12. *etsi non de perfecto, at certe de cogitato quondam parricidio professum.* Liv. 9, 1, 8. *quodsi nihil cum potentiore iuris humani relinquitur inopi, at ego ad deos vindices intolerandae superbiae confugiam.* Propert. 1, 5, 9. *quodsi forte tuis non est contraria*

votis, at tibi curarum millia quanta dabit. Liv. 3, 17, 3. *si vos urbis, Quirites, si vestri nulla cura tangit, at vos veremini deos vestros ab hostibus captos.* 9, 8, 9. Virgil. Aen. 6, 405. Vid. QVODSI. Cic. in Verr. 3, 52, 122. *si, quemadmodum socii populi romani a magistratibus nostris tractentur, non laboratis, at vos communem populi romani caussam suscipite atque defendite.* Cic. pr. Quint. 31, 97. *obsecravit — ut aliquando aliquam si non propinquitatis, at aetatis suae, si non hominis, at humanitatis rationem haberet.* in Verr. 3, 85, 195. pr. Mil. 34, 93. *si mihi re publica bona frui non licuerit, at carebo mala* in Verr. 5, 27, 69. *maxime, si minus supplicio affici, at custodiri oportebat.* pr. Domo 50, 129. Caes. B. gall. 6, 40, 2. *et si pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt.* Catull. 30, 11. Bene coniecit Barthius in Gratii Cyneg. 177. scribendum esse: *si non ad speciem mentiturosque decores protinus, — at magnum quum venit opus.* Antea legebatur *ad magnum.*

Curt. 3, 8, 2. *si id consilium damnaret, at ille divideret saltem copias innumerabiles.* Liv. 3, 31, 7. *si plebeiae leges displicerent, at illi communiter legum latores et ex plebe et patribus — sinerent creari.* Liv. 1, 41, 3. *si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere.* 10, 26, 3. *sin collega quid aliud malit, at sibi L. Volumnium darent adiutorem.* Plaut. Bacch. 2, 3, 131. *si illi sunt virgae ruri, at mihi tergum domi est.* Virgil. Aen. 1, 542. *si genus humanum et mortalia temnitis arma, at sperate deos memores fandi atque nefandi.* Georg. 4, 239. *sin duram metuens hiemem parcesque futuro, contusosque animos et res miserabere fractas: at suffire thymo cerasque recidere inanis, quis dubitet?* Conf. quae de voc. SI dicemus.

Huc etiam refero Cic. Caton. 6, 18. *nisi forte ego vobis — cessare nunc videor, quum bella non gero, at senatui, quae sunt gerenda, praescribo.* Et de Fin. 4, 5, 13. *equidem etiam Epicurum in physicis quidem Democritum puto: pauca mutat, vel plura sane: at quum e plurimis eadem dicit, tum certe de maximis.* in quibus nihil mutandum praeter nomen *democritum.* nam quae concessiva forma exprimenda erant, *etiamsi pauca vel plura mutat*, adiunguntur superioribus in modum comprobationis.

10. Praeter hunc usum, certa ratione coercitum, *at* ponitur in apodosi ea, quae non contrariam quidem rem perstare indicat, sed personam in se habet ex altera

parte alicui personae oppositam, coniungiturque particula, ut n. 1. dixi, cum pronominibus *ego*, *tu*, *ille*, ad quae ipsa pertinet. Alia exempla, in quibus non adhaereat pronomen, nulla sunt, nisi de coniectura criticorum facta. Vid. Drakenb. ad Liv. 1, 18, 9. 1, 28, 9.

Liv. 1, 28, 9. *nunc quoniam tuum insanabile ingenium est, at tu tuo supplicio doce humanum genus ea sancta credere, quae a te violata sunt.* Ita edidit Gronovius. Opponuntur insanabile ingenium, quod est scelestum facinus, et supplicium. 10, 19, 17. *Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.* i. e. ego contra, ex adversa parte: ubi quod Vrsinus confecit *asti*, nihil est. nam in inscriptione Fratrum Arvalium apud Gruterum p. 119. et apud Fabrettum 6, 51. ASTV est pro AST TV. Et quod olim ante Gelenium legebatur *ast hic ego templum tibi voveo.* propter eam, quam exposui, caussam reiici debebat. In tribus locis Livii 1, 24, 8. 1, 32, 7. 22, 53, 11. de coniectura restituendum videbatur Drakenborchio. Certior est opinio Iac. Gronovii in Liv. 3, 57, 12. restituentis: *quod si tribuni eodem foedere obligatos fateantur tollendae appellationis caussa, — at se provocare ad populum.* Haud bene coniecit I. Fr. Gronov. Plaut. Merc. 4, 4, 34. *si quid tibi evenit, at non est culpa mea.* pro *id.* Nec probari poterit emendatio Gronovii in Liv. 24, 38, 11. *tum Pinarius: at illi, si ad consulem gravarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium.* nisi coniunxeris *at illi saltem.*

11. Omne contrarium quum per *at* opponi possit, commode et saepe idem fit in sententiis conditionalibus per *si* expressis, sive praecedat alterum *si*, sive non praecedat. Vnde formulae exsistunt *at si*, *at vero si*, pro *sin*, *sin vero.* Etiam *at quum*, *at quoniam*, *at quamquam:* sed rarius ita dicitur. Cohaerent autem haec vocabula *at si*, quamquam interposito commate ea distrahere solent critici, ut fecit Bothius in Plaut. Rud. 4, 4, 84. *at, si istorum nil sit, ut mihi reddas.* Et sic reliqua in hac constructione, nisi intervenit alia ratio ab animo dicentis.

Cic. de Fin. 3, 15, 49. *itaque si voluptas aut si bona valitudo sit in bonis, divitias quoque in bonis esse ponendas: at si sapientia bonum sit, non sequi, ut etiam divitias bonum esse dicamus.* 2, 26, 83. *hoc foedus facere si potuerunt, non faciunt etiam illud, ut aequitatem, modestiam, virtutes omnes per se ipsas gratis diligant? at vero si fru-*

ctibus et emolumentis et utilitatibus amicitias colemus, — dubium est, quin fundos et insulas amicis anteponamus? ubi si cum Goerenzio *an vero si* scripserimus, interrogationem habebimus explicatiorem, vim oppositae orationis perdemus. Tacit. Ann. 1, 36. *augebat metus — invasurus hostis, at si auxilia et socii adversum abscedentis legiones armarentur, civile bellum suscipi.* Male ponitur comma post *at.* Nemo frequentius utitur verbis *at si* quam Celsus medicus.

Goerenzius quum Manutium sequutus ad Cic. de Leg. 3, 4, 10. demonstrare voluit, *ast* poni in antiquis legibus pro *ast si,* et respondere nostro *gesezt aber*, vim conditionali sententiae propriam tribuit coniunctioni, ut bene vidit Moserus. Quis enim dubitat de omittenda coniunctione conditionali? Et recte dicitur in legibus XII. tabul. *ast qui iunxit, ast cui auro dentes vincti sient.* Neque vero caussa est referenda ad unum pronomen relativum, ut fecit Moserus, sed ad universam conditionalium sententiarum formam. In quacumque enim omitti potest *si:* nec scribendum erat 3, 3, 10. *ast si potestas par maiorve prohibessit*, neque 3, 4, 10. *ast si quid erit, quod* etc. Nos in eumdem modum omissa coniunctione: *dagegen, wird etwas geschehen, was —, so soll* etc. Columell. 2, 13, (12,) 7. *hac consummatione operarum colligitur posse agrum ducentorum iugerum subigi duobus iugis boum totidemque bubulcis et sex mediastinis: si tamen vacet arboribus. at si sit arbustum, eumdem modum Saserna tribus hominibus adiectis asseverat probe satis excoli.* alii *aut si,* alii *aut ubi.*

Curt. 8, 1, 34. *si moriendum, inquit, est pro te, Clitus est primus. At quum victoriae arbitrium agis, praecipuum ferunt praemium, qui procacissime patris tui memoriae illudunt.* Ovid. Her. 12, 13. *at semel in nostras quoniam nova puppis arenas venerat, — isset anhelatos in ignes Aesonides.* Ita recte nunc editum est, non *aut semel.* Plaut. Cas. 2, 3, 45. *at quamquam unicu'st, nihilo magis unicus est ille mihi filius.*

Horat. Sat. 1, 8, 37. *mentior at si quid, merdis caput inquiner albis corvorum.* Erravit Heindorfius quum coniungeret *at inquiner*, ut particula esset exsecrandi. Cohaerent *at si*, eaque dicuntur e vulgari consuetudine, qua nostrates etiam dicunt: *aber wenn ich lüge.* Verba, quibus res narrata affirmaretur, omissa sunt, quibus opponitur *at.*

Diversi generis sunt haec: Plaut. Rud. 2, 2, 17. *at, si vidistis, dicite.* ubi *at* interrumpit et reprimit orationem piscatoris, nec cohaeret cum *si.* Pseud. 1, 2, 9. *at, faciem quom*

adspicias eorum, haud mali videntur. Cas. 3, 2, 32. *at, quom adspicias tristem, frugi censeas.* Per *at* ipsa Cleostrata suam coercet voluntatem ludificandi.

12. In conclusione ea enuntiatio, quae assumptionem continet, et a logicis per *atqui* coniungitur, interdum in se habet *at*, ubi fit oppositio. Est enim id quod *ex altera parte*, cum vi quadam demonstrativa, sequiturque in conclusione finienda *igitur*.

Cic. Tusc. 3, 7, 15. *sapientis animus ita semper affectus est, ut ratione optime utatur. numquam igitur est perturbatus: at aegritudo perturbatio est animi: semper igitur ea sapiens vacabit.* de Fin. 2, 24, 78. ubi legitur *at enim.*

II. 1. Accedo ad rhetoricum usum. Atque in eo primum AT dicitur, ut sententia antea proposita reprimatur, alia contraria sententia obiecta. Significat igitur *contra, immo: im Gegentheil:* et saepe ponitur pro simplici negationis formula, *nein*, qua lingua latina caret. Saepe etiam reddi potest per *vielmehr*, ἀλλά, quo aliud quid substituitur. Cf. Thucyd. 1, 26. Id et in colloquio fit et in oratione, quae alienam effert sententiam, quasi is, qui obloquitur, adsit, et in ea, qua deliberando ac dubitando duplicem agere videmur personam, alteram iudicantis, alteram refellentis. Neque vero intelligo, cur Gernhardus ad Cic. Caton. 11, 35. contenderit, *at* rarius in respondendo adhiberi. Nihil enim aptius, nihil usitatius esse potest. Et licet ex utraque parte colloquii duplex poni. In Plaut. Cist. 4, 2, 70. sexies legitur.

Cic. de Fin. 4, 26, 71. *media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eiusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reiicienda, alia omnino negligenda: hoc est, ut eorum alia velis, alia nolis, alia non cures. At modo dixeras, nihil in istis esse, quod interesset. Et nunc idem dico, inquiet.* in Verr. 2, 78, 192. p. Mil. 6, 15. *quid porro quaerendum est? Factumne sit? At constat. A quo? At paret.*

Philip. 2, 9, 21. *quod quidem ego favisse me tibi fateor, suasisse ne tu quidem dicis. At Miloni ne favere quidem potui. Prius enim rem transegit, quam quisquam eum facturum id suspicaretur.* Plaut. Mil. 4, 7. 23. *quid istuc, quaeso, quod oculo factum est tuo?* PL. *habeo equidem hercle oculum.* PY. *at laevum dico.* i. e. non hunc, at laevum.

Curt. 3, 6, 6. *damnem medici fidem? in tabernaculo ergo me opprimi patiar? At satius est alieno me mori scelere,*

quam metu meo. quod nos dicimus: *nein, es ist vielmehr besser.* Plaut. Capt. 5, 2, 8. ST. *quod ego fatear, credin pudeat, quum autumes?* HE. *at ego faciam, ut pudeat: nam in ruborem te totum dabo.* Cas. 2, 8, 37. Capt. 2, 1, 6. PH. *oh, oh, oh!* LO. *eiulatione haud opus est.* — PH. *at nos pudet, quia cum catenis sumus.* Ovid. Her. 3, 147. *me petat ille tuus — ensis —. At potius serves nostram, tua munera, vitam.* ubi quibus placuit' *ah*, antiquum usum non cognitum habuerunt. Terent. Eun. 3, 3, 28. *non possum, inquam* (redire). PY. *at tu apud nos hic mane, dum redeat ipsa.* i. e. *vielmehr*, non *wenigstens*, ut Schmiederus reddidit.

Plaut. Epid. 5, 2, 24. *at mihi magis lubet solutum te rogitare.* EP. *at nihil scies.*

2. Sed potest sententia ante proposita ita comparata esse, ut eius veritatem non negemus, sed concessam eam non ad rem pertinere, aut aliis rebus infringi, aut aliqua excusatione egere demonstremus. Hoc modo id, quod non satis recte dictum videbatur, distinctius definitur. Grammatici ἀνθυποφορὰν appellant.

Cic. Phil. 2, 4, 9. *quid enim est minus, non dico oratoris, sed hominis, quam id obiicere adversario, quod ille si verbo negavit, longius progredi non possit, qui obiecerit? At ego non nego.* Cato 19, 68. *senex ne quod speret quidem habet. At est eo meliore conditione quam adolescens, quum id quod ille sperat, hic iam consequutus est.*

Cic. ad Fam. 6, 6, 20. *numquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. at in eius personam multa fecit asperius. Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris. at nos quemadmodum est complexus?* Vid. Cort. ad h. l.

Plaut. Epid. 1, 1, 30. EP. *Edepol. facinus improbum.* TH. *at iam ante alii fecerunt idem.* Horat. Sat. 1, 1, 60. praemissa sententia hac: beatum esse qui non magnas divitias appetat, pergit: *at bona pars hominum decepta cupidine falso, nil satis est, inquit.* ubi vid. Heindorf.

3. Igitur quae ita opponitur sententia, saepe non contrarium in se habet, sed continuat expositionem rei ex aliena sententia vel aliunde iam cognita, vel nunc demum assumpta, quae, ut ipsa concedatur, sed alia non minus valeat, interponitur. Tum ex obiectionis ratione *at* significat *contra*, *dagegen*, et potest explicari, nisi ipsa ponuntur, additis verbis *dices*, *dicet quis*: ex eius ratione autem, qui loquitur concedens rei veritatem, di-

citur quasi cum affirmatione, *freilich*. Assumptionem dicimus, cuius vis exprimitur verbis: *fac hoc esse:* et occupationem, quam Graeci ὑποφορὰν vocant. Haec in oratione ita componuntur, ut, quod nonnullis aliter visum est, ad certam interloquutoris personam referre non ubique liceat. Goerenzius in Ciceronis libris apposuit signa, quae vocat diverbiorum: sed vereor, ut recte fecerit ubique. Conf. Wolf. ad Horat. Sat. 1, 80. Sequi potest adeo sententiae amplior confirmatio, aut modesta refutatio. De hoc usu vid. Schol. Cruq. ad Horat. Sat. 1, 2, 18. Cortius ad Cic. Epist. 9, 6. p. 437. et ad 6, 6. p. 281.

Epist. Bruti ad Cic. 4. *statuo nihil, nisi hoc: senatus aut populi romani iudicium esse de iis civibus, qui pugnantes non interierint. At hoc ipsum, inquies, inique facis, qui hostilis animi in rempublicam homines, cives appelles. Immo iustissime.*

Philipp. 2, 9, 21. *at ego suasi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodesse reipublicae sine suasore non posset. At laetatus sum. Quid ergo? In tanta laetitia cunctae civitatis me unum tristem esse oportebat.* Antea dixerat: *suasisse ne tu quidem dicis.* Quare maiori vi interponuntur verba *at ego suasi.* i. e. ponamus me suasisse.

de Div. 2, 29, 62. *ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem afferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alterutram emiserit. — — At mors insequuta Gracchum est. Caussa quidem, credo, aliqua morbi gravioris, non emissione serpentis.* 2, 31, 67. 2, 32, 69. in quibus locis non sigillatim respicitur ad locos 1, 18. 1, 34. sed commemorantur res tamquam aliunde cognitae. Horat. Sat. 1, 2, 18. *at in se pro quaestu sumptum facit hic. Vix credere possis, quam sibi non sit amicus.*

Cavendum est, ne interpretationem vocabuli *freilich* adhibeamus in locis aliter conformatis. Veluti Cic. de Leg. 2, 18, 45. *o miram memoriam, Pomponi, tuam. at mihi ista exciderant.* Quod reddiderunt *freilich mir:* est autem vertendum *mir dagegen.*

4. Haec obiectio, sive a vero obloquutore iniecta, sive ab ficto, saepe iterum reprimitur et confutatur alia contraria sententia, quae aut simpliciter effertur, aut per particulas *vero*, *at*, *sed*, coniungitur. Etiam *et* ponitur in altera sententia, et saepe sequitur

interrogatio. Ab his autem differunt, in quibus una sententia utramque particulam continet.

Cic. ad Fam. 4, 9, 5. *at tibi ipsi dicendum erit aliquid, quod non sentias, aut faciendum, quod non probes. Primum tempori cedere, id est, necessitati parere semper sapientis est habitum.* Nos diceremus *freilich — aber.* Per *at* enim iniicitur nova dubitatio, quae concessa infringitur aliis argumentis. de Senect. 19, 68. *sensi ego — omni aetati mortem esse communem. At sperat adolescens diu se victurum: quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat.*

Cic. Parad. 5, 2, 36. *pari stultitia sunt quos signa, quos tabulae, quos corinthia opera, quos aedificia magna nimio opere delectant At sumus, inquiunt, civitatis principes. Vos vero ne conservorum quidem vestrorum principes estis.*

de Nat. d. 1, 41, 115. *at etiam de sanctitate, de pietate adversos deos libros scripsit Epicurus. At quomodo in his loquitur?* de Senect. 11, 35. *at ita multi sunt imbecilli senes, ut nullum officii, aut omnino vitae munus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium.* Facciolatus temere eiecit alterum *at:* Gernhardus admixtam vidit doloris significationem nescio quam. de Fin. 2, 27, 88. *uterque enim summo bono fruitur, id est, voluptate. At enim hic etiam dolore. At eum nihili facit.*

Cic. de Senect. 18, 65. *at sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes: si quaerimus, etiam avari. Sed haec morum vitia sunt, non senectutis.* ad Att. 9, 10. *nefarius Hippias, — arma contra patriam ferens. At Sulla, at Marius, at Cinna recte, immo iure fortasse. Sed quid eorum victoria crudelius?* ad Fam. 9, 6, 9. *at in perturbata republica vivimus. Quis negat? Sed hoc viderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omnes vitae status paraverunt* Conf. de Divin. 2, 35, 74. ubi, particula omissa, interrogatio interponitur.

Cic. de Nat. d. 3, 11, 27. *At enim quaerit apud Xenophontem Socrates, unde animum arripuerimus, si nullus fuerit in mundo. Et ego quaero, unde* etc. vid. Goerenz. ad de Leg. 3, 11, 24.

Cic. de Nat. d. 1, 41, 114. *at dolore vacant. Satin' est id ad illam abundantem bonis vitam beatissimam?* 116. *at est eorum eximia quaedam praestansque natura, ut ea debeat ipsa per se ad se colendam elicere sapientem. An quidquam eximium potest esse in ea natura, quae, sua voluptate laetans, nihil nec actura sit umquam, neque agat,*

neque egerit? in Verr. 2, 78, 192. *at mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At haec sine cuiusquam malo. Quis acerbior?*

Persius 1, 8. *nam Romae est quis non? At si fas dicere? sed fas tunc, quum* etc. Ita recte legitur in codicibus bonis. Quod Weberus recepit *ah si fas dicere*, de coniectura factum est sive Asterii Manlii, sive aliorum, et falsum. Non ita loquuntur veteres, sed nostrae aetatis homines. Etiam *at* aptissimum est animo poetae aestuanti. vid. III. n. 2.

Terent. Ad. 4, 2, 31. S. *scio ubi sit, verum hodie numquam monstrabo.* D. *hem, quid ais?* S. *ita.* D. *diminuetur tibi quidem iam cerebrum.* S. *at nomen nescio hominis, sed locum novi ubi sit.* i. e. nomen quidem nescio, sed locum novi. *At* obstat verberibus.

5. Quod per ipsum *at* fieri notavimus, ut ea, quae ante dicta sunt, non satis recte concepta, aut non plena et integra esse demonstretur, idem fit in altera, quae rursus opponitur, sententia. Tum usurpatur *immo*, quo adduntur, quibus antecedens sententia amplificetur.

Cic. de Div. 1, 29, 60. *at multa falsa. Immo obscura fortasse nobis.* Liv. 41, 7, 8. *at hercule privato quidem consilio bellum susceptum esse, sed gestum prudenter fortiterque. Immo utrum susceptum sit nequius an inconsultius gestum, dici non posse.* ad Att. 10, 12. *sine dubio errasse nos confitendum est. at semel? at una in re? immo omnia quo diligentius cogitata, eo facta sunt imprudentius.*

Cic. de Senect. 14, 47. expositis rebus, quibus senectus delectetur: *at non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem.*

6. Oratores quum interrogatione vel adversariorum sententiam occupent, vel suam sententiam exceptioni antea factae, sed cum dubitatione prolatae opponant, duae exsistunt formae, quas Cicero in Verr. 2, 78, 192. coniunxit, in utraque usurpans particulam *at*, commutata orationis forma: *nunc vero quid faciat Hortensius? avaritiaene crimina frugalitatis laudibus deprecetur? At hominem flagitiosissimum — defendit. An ab hac eius infamia, nequitia vestros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? At homo inertior, ignavior — proferri non potest. At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At haec sine cuiusquam malo.*

Quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior umquam fuit? Interrogatio igitur, quae primum alienae sententiae inserviit, invertitur ad reiiciendam adversarii opinionem.

Cic. in Catil. 1, 11, 28. *quid tandem impedit te? mosne maiorum? at persaepe etiam privati in hac republica perniciosos cives morte multarunt: an leges, quae de civium romanorum supplicio rogatae sunt? at numquam in hac urbe ii, qui a republica defecerunt, civium iura tenuerunt.* in Verr. 1, 55, 143. *quid ita? ne vitiosum opus fieret? at erat probatio tua. ne parum locuples esset? at erat et esset amplius, si velles.* Sallust. Cat. 51, 21. *quamobrem in sententiam non addidisti, ut prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus animam non eripi, sed in exsilium permitti iubent.*

7. Alia forma huius dictionis, quam Graeci πρόληψιν vocant, ibi apparet, ubi, qui loquitur, id quod qui audit oppositurus sit, praesumit ex animi sollicitudine.

Plaut. Epid. 2, 2, 77. AP. *eia vero, age dic.* EP. *at deridebitis.* AP. *non edepol faciemus.*

8. Proprie usurpat particulam etiam is, qui alicui sententiae vel alicui rei aliam opponit ita, ut ad huius veritatem magis attendere iubeat. Vis orationis exprimitur vocis intensione, vel pausa post particulam facta. Conf. III, 1. Idque fit praesertim in sententiis ab universa veritate desumptis. Et potest oratio in eadem re affirmanda ita pergere, ut a sententia dubia, vel a re nondum concessa ad veritatem omnino ac certe concedendam procedat. Nos dicimus *vielmehr*. Oppositio non deest.

Plaut. Mil. 3, 3, 8. *at melius est monerier.* 3, 3, 12. *at nemo solus satis sapit.*

Horat. Sat. 1, 3, 41. *vellem in amicitia sic erraremus et isti errori nomen virtus posuisset honestum. At pater ut gnati, sic nos debemus, amici si quod sit vitium, non fastidire.* Heindorfius ibi male explicuerat, tamquam *at* affirmationem ipsam addidisset: sed errorem suum correxit in indice p. 446.

9. Sic in colloquiis, in quibus aliquid concessum erat, per *at* conditio adiicitur, quae rem maioris momenti indicat, aut id, quod diligentius animadverti, aut instantius mandari volumus. Hoc accedit ad illum, quem

infra illustrabo, usum patheticum. Nos formula utimur hac: *aber wohl zu merken.*

Terent. Eun. 2, 1, 1. PH. *fac, ita ut iussi, deducantur isti.* PA. *faciam.* PH. *at diligenter.* PA. *fiet.* PH. *at mature.* PA. *fiet.* Adelph. 2, 1, 7. SA. *leno ego sum.* AE. *scio.* SA. *at ita, ut usquam fuit fide quisquam optuma.* Plaut. Mil. 2, 6, 40. P. *vise ad me intro, iam scies.* S. *licetne?* P. *quin te iubeo. at placide noscita.* Ita egregie emendavit Lipsius. Lindemannus, cui *at* non aptum videtur, correxit *et placide noscita.* Sed *at* recte etiam dicitur cum cautione prudenti.

10. Componuntur saepe verba *at credo, at puto.* in exponenda contraria re, quae ex opinione nostra affertur. Interpunctione indicare solent librorum editores, unum verbum *credo* interponi: sed oratio interdum ita nectitur, ut particula magis ad verbum pertineat.

Cic. p. Deiot. 6, 16. *at, credo, haec homo inconsultus et temerarius non videbat.* Ovid. Am. 3, 7, 1. *at non formosa est, at non bene culta puella, at, puto, non votis saepe petita meis.* Met. 2, 566. *at puto, non ultro nec quidquam tale rogantem me petiit.* 3, 266. *at puto, furto est contenta.* 11, 425.

In Sueton. Vespas. 23. legitur *vae; inquit, puto, deus fio.* In aliis codd. *ut.* Burmannus quum emendasset *at puto*, in reprehensionem omnium reliquorum incurrit: immerito quidem. Nam recte ita incipere poterat oratio mirantis: *ich glaube gar.*

11. Sententia, quae opponitur, potest cum graviori asseveratione proferri. Quare apponuntur vocabula *pol, edepol, hercle.* Tacitus hac dictione utitur ad confirmandam veritatem rei, quae mira aut magna videri possit. Nec male Wolfius ad Tacit. Ann. 1, 26. comparat *sane*, in eo tamen errans, quod alios scriptores ita loquutos esse negat.

Plaut. Amph. 1, 1, 215. *at pol profecto ingratiis.* Asin. 2, 2, 34. *scibam ego te nescire: at pol ego qui te expendi scio.* 4, 2, 14. Capt. 3, 4, 65. Cas. 2, 3, 15. Cist. 4, 2, 70. Trin. 2, 4, 73. Poen. 3, 1, 68. *at edepol nos tibi in lumbos linguam.* 5, 4, 47. Liv. 34, 31, 9. *at hercle in ea controversia, quae de Argis est, superior sum.* Tacit. Ann. 3, 54. *quam, si cetera respicias, in levi habendum. At hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget.* Plin. Hist. n. 7, 50, 51. *ergo pro miraculo et id solitarium repe-*

ritur exemplum, Xenophilum musicum centum et quinque annis vixisse sine ullo corporis incommodo. At hercules reliquis omnibus per singulas membrorum partes — certis pestifer calor remeat horis. 29, 6, 39. *at hercule Diodorus et in morbo regio et orthopnoicis se id dedisse tradit.*

In Tacit. Ann. 1, 3. *at hercule Germanicum, Druso ortum, octo apud Rhenum legionibus imposuit, adscirique per adoptionem a Tiberio iussit.* Significatur, mirum id videri, quum Tiberius ex Vipsania Agrippina filium habuisset Drusum Caesarem. In 1, 17. et 1, 26. designatur res acerba et odiosa. Saepius occurrit in Dialogo de Orator. vid. 19. 21. Epist. ad Caes. de Ordin. rep. 2, 4, 2.

12. Est huius particulae aliquis usus, quo ad interiectionis formam propius ita accedit, ut admirationem rei antea non cognitae, nunc supervenientis exprimat.

Terent. Eun. 1, 2, 75. *at ego nèsciebam, quorsum tu ires.* quod explicant: nunc sentio, quid sibi velit tua oratio: at antea ignorabam. Sed admixta est admiratio: *wufst' ich doch nicht, wohinaus du wolltest.*

13. Interrogationum, quae ab *at* incipiunt, triplex est genus. Aut enim reiicitur aliqua sententia per interrogationem, aut posita et concessa re ante dicta, attendere iubemur ad ea, quae in hac re maxime valent, et quibus ipsius rei veritas restringitur, aut denique cum interrogatione coniuncta est indignatio, admiratio, acrimonia. Quae ita confluunt, ut exempla non apertius distingui possint. Sed in ipsa oppositione data erat caussa, qua *at* saepe cum *an* commutaretur. vid. Servium ad Virg. Aen. 9, 144. Ubi vero admiratio induit formam interrogationis, proprie ponitur *at quam*, quibus additur vulgo signum exclamationis.

Cic. de Fin. 1, 8, 28. *sed ad haec, nisi molestum est, habeo, quae velim. At me, inquam, nisi te audire vellem, censes haec dicturum fuisse?*

Philip. 1, 8, 19. *ea lege, quae promulgata est de tertia decuria iudicum, nonne omnes iudiciariae leges Caesaris dissolvuntur? — At quae est ista tertia centuria? centurionum, inquit.* de Nat. d. 1, 41, 115. *at etiam de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripsit Epicurus. At quomodo in his loquitur?*

Cic. p. Mil. 17, 45. *vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus est, die: itaque antevertit.*

At quo die? quo — insanissima concio ab ipsius mercenario tribuno plebis est concitata. Philip. 2, 37, 95. *haec vivus eripuit, reddidit mortuus. At quibus verbis? modo aequum sibi videri, modo non iniquum.* in Verr. 2, 42, 104. In his adscendit oratio ad id, quod magis atque praecipue sit respiciendum. Quare erant, qui explicarent per *et quidem.* Virgil. Aen. 9, 144. *at non viderunt moenia Troiae Neptuni fabricata manu considere in ignis?* Quibus et contrarium ponitur ex adverso, et exprimitur indignatio: an non moenia multo munitiora viderunt everti?

Formulis *at scin quomodo? at scin quemadmodum* admixta est indignatio, saepe etiam minae et convicium. Plaut. Aul. 5, 21. 1, 1, 8. 2, 4, 28. Bacch. 5, 2, 59. Amph. 1, 1, 200. Mil. 4, 4, 26. *et scin', quemadmodum?* Ex hac pervagata formula Douza *at scin:* Lindemannus eiiecit *at*, metri caussa. Etiam *sed scin quomodo* dicitur. Rud. 3, 5, 18. De re bene animadvertenda Aul. 2, 4, 28. *at scin' etiam quomodo?* conf. Bothius ad Plaut. Amph. 200.

Terent. Hec. 4, 1, 11. *at rogitas?* i. e. *du fragst noch?* Andr. 5, 1, 9. ubi bene restituit Bentleius: olim legebatur *ah rogitas?* Boeclerus ita disputat in Chrestom. Terent. „*etiam rogas? etiam restitas?* absolvunt sensum et πάθος signant. Sed aures aliquid videbantur desiderare ad ordiendam hanc sententiam: adhiberi coepit *at*, non tantum complementi et ornatus gratia, sed quoniam cum affectu loquentes semper plus in animo habere quam verbis exprimere intelliguntur, ut huius ipsius rei indicium haec particula haberet" Horat. Art. p. 330. *at, haec animos aerugo et cura peculi quum semel imbuerit, speramus carmina fingi posse linenda cedro?* Ita scribendum est, non *ad haec*, neque praestat *an.* Miratur poeta, si quis speraverit.

Cic. p. Deiot. 6, 19. *at quam festive crimen contexitur?* 6, 17. et sic saepissime.

III. 1. Tertium genus patheticum vocamus. Nam ponitur AT in oratione, quae ex animo vehementius commoto profecta, eum, qui audit, ad aliam rem abripit, et ad eam ex adverso positam potissimum attendere iubet. Vid. Gronov. ad Iustin. 14, 4, 10. Id primum fit in evocatione, qua ab aliis rebus ad aliam avocamus, et in alloquutione *at tu:* ut Graeci ἀλλὰ σύ, σὺ δέ, σὺ δ' ἀλλά. Quare saepissime coniungitur cum imperativo, quo aliquid petimus vel iubemus. Et coniungitur interdum *quaeso.* Conf. Burmann. ad Antholog. Tom. 2.

p. 555. qui miscuit exempla, et Bentlei. ad Horat. Epod. 15, 17.

Plaut. Pseud. 1, 1, 30. *at tu cita.* Merc. 1, 2, 16. *at tu edepol sume laciniam.* Cic. ad Fam. 7, 24, 4. *at vide, quid succenseat.* Parad. 4, 1, 28. *itaque pulsus ego civitate non sum, quae nulla erat. — At vide, quam ista tui latrocinii tela contemserim.* mutarunt *ac vide:* quod non malum: illud tamen etiam recte dicitur, et maiorem vim habet in oppositis rebus. in Verr. 2, 72, 176. Pro Domo 44, 115. *at videte hominis intolerabilem audaciam.* Dictionis eadem forma, sed contraria ratio conspicitur in verbis: *hic videte* apud Cic. in Verr. 2, 42, 102.

Huc refero illud Plauti Capt. 3, 5, 89. *at unum hoc quaeso* etc. uti Merc. 5, 4, 53. *at quaeso hercle etiam vide.*

Ovid. Met. 12, 367. *at inferias, iuvenum gratissime Crantor, accipe, ait.*

Liv. 1, 12, 5. *at tu, pater deum hominumque, hinc saltem arce hostes.* Apulei. 6. p. 179, 18. *at tu simplex alioquin, et expers rerum talium, sperasne te sanctissimi, nec minus truculenti fontis vel unam stillam posse furari?* Horat. Carm. 1, 28, 23. *at tu nauta vagae ne parce malignus arenae.* Cuningham. *ac tu.* Oudendorpius in Frontin. Strateg. coniecit: *at audete, inquit, milites: Africam oppressi.* Non placet: alii aptius coniecerunt. *et, plaudite, inquit.* Tibull. 1, 2, 89. *at tu, qui laetus rides mala nostra, caveto mox tibi.* 2, 3, 33. Ovid. Remed. 371. In Stat. Silv. 1, 5, 10. restituendum: *iunge puer cyathos. at ne numerare labora.* vulgo *sed*, codices *atque* vel *et.*

2. Tum ponitur *at* in ea exclamatione, qua magnitudinis et insolentiae admirationem excitare volumus, aut cum aliqua animi vehementia quaerimus, aut dolorem et aegritudinem et iram significamus. Vid. Heins. ad Ovid. Her. 2, 44. et 12, 1. Boeclerus in Chrestomath. Terent. s. h. v. bene animadvertit, non ipsam admirationem exprimi particula, sed eam amplificationi servire.

Cf. Burmann. ad Anthol. T. 2. p. 555. Plaut. Aul. 1, 1, 13. *at ut scelesta sola secum murmurat!* Mil. 2, 4, 46. *at, Scelerdre, quaeso, ut ad id exemplum somnium quam simile somniavit!* Cic. ad Fam. 9, 20, 2. *habuisses enim non hospitem, sed contubernalem: at quem virum? non eum, quem tu es solitus promulside conficere.* p. Cluent. 70, 199. Verrin. 2, 45, 110. Stat. Silv. 2, 4, 11. *at tibi quanta domus rutila testudine fulgens!* In Cic. Parad. 5, 2, 36. *et sumus, in-*

quiunt, civitatis principes. bene quidem dicitur, sed maiori cum iactatione *at sumus:* quae aliorum librorum scriptura est.

Cic. in Verr. 1, 46, 118. *at per deos immortales quid est, quod de hoc dici possit?* Horat. Epod. 5, 1. *at, o deorum quidquid in coelo regit terras et humanum genus, quid iste fert tumultus?*

Ovid. Her. 12, 1. *at tibi Colchorum, memini, regina vacavi.* ubi Heindorfius ad Horat. Serm 1, 3, 43. non nisi affirmationem expressam vidit. Met. 8, 279.

Plaut. Amph. 2, 2, 160. so. *hic patera nulla in cistula'st.* AM. *quid ego audio!* so. *id quod verum est.* AM. *at cum cruciatu iam ni apparet tuo.* Stich. 2, 2, 18. P. *ecquem convenisti.* D. *multos.* P. *at virum ecquem?* D. *plurimos.* Plaut. Mil. 3, 1, 22. *at hoc me facinus miserum macerat.* Caton. Dirae 125. *at mihi tabescunt morientia membra dolore.* Cic. de Sen. 9, 27. de Milone: *qui quum iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos illacrymansque dixisse: at hi quidem iam mortui sunt.* Apulei. Met. 1. p. 107, 34. *at ego scilicet Vlyxi astu deserta vice Calypsonis aeternum solitudinem flebo.* in quibus locis critici in promptu habere solent suspirium suum *ah*, ut factum esse in Persii 1, 8. vidimus p. 435. Prop. 2, 16, (13,) 35. *at pudeat certe, pudeat.* nunc ita legitur: olim *ah.*

Haec eadem est caussa, quapropter *at* locum obtineat in initio orationis cum quadam increpatione aut admonitione coniunctae: de quo usu vid. Heins. ad Ovid. Her. 12, 1. Am. 3, 7, 1. Burmann. ad Anthol. Tom. 2, p. 555. ad Propert. 1, 20, 1. Num vero in quocumque alio animi affectu, etiam laeto, particula haec usurpetur, affirmare non ausim. Plaut. Rud. 1, 2, 80. *eiecit alteram. At in vado est. iam facile enabit.* Gaudium exprimitur. Sed potest etiam alio modo intelligi.

3. Deinde hoc modo exprimitur animi vehementior vis in votis, quibus bona imprecamur amicis vel nobis ipsis, et in imprecationis indignatione atque exsecrationibus. Cuius usus rationem Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 217. et p. 5. temere ad coniunctivum modum retulit. Sic etiam haec particula in minatione ponitur, et in iuramentorum formulis: nam vehementiam quamdam addit orationi subita oppositione.

Plaut. Pers. 4, 3, 18. *at tibi di benefaciant omnes.* Men. 5, 7, 32. Tibull. 1, 7, 55. ubi de transitu loquuntur interpretes. Eodem modo Graeci ἀλλὰ dicunt.

Apulei. Met. 3. p. 139, 9. *at mi scelus istud depellant coe-*

lites. ubi vid. Oudendorp. p. 217. olim legebatur *a me scelus i. d.*

Terent. Hec. 1, 2, 59. *at te di deaeque perdant cum tuo istoc odio.* Andr. 4, 1, 42. Eun. 3, 1, 41. Plaut. Most. 1, 1, 37. Catull. 3, 13. *at vobis male sit, malae tenebrae orci.* Virgil. Aen. 2, 535. *at tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis, di — persolvant grates dignas et praemia reddant debita.* Justin. 14, 4, 10. *at vos, ait, devota capita, respiciant dii periuriorum vindices.* Horat. Sat. 2, 2, 40. Muret. ad Catull. 3, 13. Burmann. ad Propert. 2, 5, 23. Barth. Advers. 34, 22.

Plaut. Curc. 1, 3, 38. *at nae tu hercle cum cruciatu magno dixisti id tuo.* Plaut. Cist. 2, 1, 36. *at ita me di deaeque.*

Denique *at* etiam ironiae inservit, et apta est sarcasmo atque irrisioni. Vid. Burmann. ad Grat. Cyn. 68.

Plaut. Curc. 4, 3, 22. TH. *quid valeam?* LY. *at tu aegrota, si lubet, per me aetatem quidem.* Virgil. Aen. 7, 363. *at non sic phrygius penetrat Lacedaemona pastor.* ubi iam Servius aliam memorat scripturam *an non*, veram autem male explicat. Ovid. Her. 1, 44. *at bene cautus eras et memor ante mei.* quod est, scilicet antea, quum me amares, bene cautus eras. Interrogationem esse vult Iahnius: quod displicet.

IV. 1. Exceptis poetis, apud omnes scriptores *at* primo loco sententiis praefixum videmus. Nam quod legitur in Quinctil. Instit. 1, 1, 11. *si tamen non continget, quales maxime velim nutrices pueros habere: paedagogus at unus certe sit assiduus, dicendi non imperitus.* id corruptum esse, omnes cognoverunt, et audacter emendarunt. vid. Misc. Obs. Tom. 1. p. 139. Spalding. et Wolffium in notis. Sarpius quod probat *paedagogosque*, prudenter reiecerat Spaldingius: nam quae ille in explicatione substituit, *si tamen non omnes — at unus puer, aut nutrix, aut paedagogus*, haec non sunt in verbis Quinctiliani expressa. Equidem nihil corruptum puto, sed nomen *paedagogi* a glossatore ad vocabulum *unus* adiectum. Scripsit igitur Quinctilianus: *si tamen non continget, quales maxime velim nutrices, pueros habere, at unus certe sit assiduus.* Quae proxime antecedunt *Si cui — sed homini*, interposita sunt praeceptis de paedagogis constituendis, additque auctor: ne nimis multa videar exigere, si non continget nutrices et pueros habere idoneos, unus tamen paedagogus certe assiduus sit, ut quod prima institutione

neglectum fuerit, hoc remedio restituatur. *Unum* intelligo, non *aliquem*, sed, reliquis deficientibus.

Plaut. Merc. 2, 4, 19. CH. *qui potius, quam auro expendas?* EV. *unde at erit id?* CH. *Achillam orabo, aurum mihi det, Hector qui expensus fuit.* ubi Bothius haec: „Sed *at* media sic oratione poni, in poeta epico vel lyrico ferendum, in comico non ferendum, ut cuius sermo quotidianam vitam imitetur necesse sit, si verus esse velit. Neque eo valent affectus vehementiores personarum agentium, ut totus iis color poematis sit immutandus.“ Antiqui libri omnes *arteritis*, et *atteritis*. Saracenus emendavit, sed parum probabiliter. Aliud quid latet scribis incognitum. Mostell. 3, 2, 30. SI. *amice facis, quom me laudas.* TR. *decet certe.* SI. *Hercle at te ego haud bonum teneo servom.* Bothius Tranio tribuit haec: *decet certe hercle.*

Horat. Sat. 1, 8, 37. *mentior at si quid* etc. vid. p. 431. Propert. 1, 6, 22. *semper at armatae cura fuit patriae.* Val. Flacc. 8, 255. *gramineis ast inde toris discumbitur.* Stat. Theb. 4, 116. *maior at inde* etc.

Praemissa relativa sententia Plaut. Capt. 3, 5, 32. *qui per virtutem periit, at non interit.* Sed Camerarius et Scaliger *perbitat.*

2. Vis orationis augetur multiplici particulae repetitione. Significatio non mutatur. Tamen notanda sunt exempla ob formam rhetoricam.

Cic. Verr. 3, 4, 8. *ita credo: si non virtute, non industria, non innocentia, non pudore, non pudicitia, at sermone, at litteris, at humanitate eius delectamini.* ad Fam. 2, 15, 4. *ego de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae. puerum inquis? at quaestorem, at nobilem adolescentem, at omnium fere exemplo.* Horat. Sat. 1, 3, 32. *at est bonus, ut melior vir non alius quisquam, at tibi amicus, at ingenium ingens inculto latet hoc sub corpore.* Virgil. Ge. 2, 467. s.

V. Critici saepe observarunt, in coniungendis enuntiationibus omissam esse AT particulam. Atque eius vis exprimi potest et recta verborum oppositione, ut affirmatio ex adverso ponatur negationi, et vocis intentione in vocabulo ab initio sententiae posito. Dixit de hac re Oudendorp. ad Lucan. 2, 86. et Ochsnerus ad Eclog. Cic. p. 112. ubi vide exempla.

VI. Iam de usu vocabuli AT cum aliis particulis coniuncti dicam.

AT CERTE. Quo modo *at* in sententiis concessivis vel pro *certe* ponatur, contrarium indicans, vel adiunctum sibi habeat *certe*, demonstravimus p. 427. In reliquis, quae grammatici afferunt, exemplis vocabula *at certe* non magis cohaerent, quam in quibus *certe* qualemcumque sententiam confirmat. Veluti Cic. p. Marc. 8, 25. *satis diu vel naturae vixi vel gloriae. Satis, si ita vis, naturae fortasse: addo etiam, si placet, gloriae: at quod maximum est, patriae certe parum.* Catull. 65, 11. *at certe semper amabo.*

AT CONTRA. De his particulis ita coniunctis, ut altera alterius vim distinctius declaret, vide p. 418. Adde Sallust. Cat. 12, 5. Ita etiam dicitur *at e contrario.* Similiter *at potius.*

Columell. 11, 3, 44. *sed in locis siccis partibus sulcorum imis disponenda sunt semina, ut tamquam in alveolis maneant: at uliginosis e contrario in summo porcae dorso collocanda.* Corn. Nep. Eumen. 1, 5. *apud nos — mercenarii scribae existimantur: at apud illos e contrario nemo ad id officium admittitur.* Plaut. Cist. 1, 1, 44. *at satius fuerat eam viro dare nuptum potius.* Ovid. Her. 3, 149. vid. p. 217.

AT ENIM. Per *at enim* proprie ponitur contrarium ita, ut ratio et caussa rei prius, quam ipsa res dicatur, sive id fiat in oppositione simplici, sive in occupatione. Nimirum in anteoccupatione quum aliquid verum esse, vel respici debere praesumitur, fit saepe probatio e contraria re. Idque exprimitur particula *enim.* Et potest oratio ita contrahi, ut cum oppositione in unum coniungatur argumentatio. Neque vero necesse est, ubique partes orationis transpositas, aut aliquid omissum esse putemus: nec graecum usum comparantes, perspicuitati semper consulere possumus interposito commate, quod voluit Schaeferus in Meletem. p. 76. Nam quod Plautus dicit Trin. 3, 3, 77. *at enim nimis longo sermone utimur. Diem conficimus, quod iam properatost opus.* potest id ita accipi: at diem conficimus, nam nimis longo sermone utimur. Tamen id non ubique commode fieri licet. Veluti Cic. ad Quint. 1, 2, 2. *at enim Graecis solis indulgeo.* Plerumque ellipsis inest in una particula *enim*, non, ut vulgo statuunt, in aliena orationis parte. In Cic. Offic. 1, 40, 144. *quum — dixisset Sophocles: o puerum pulchrum, Pericle.* „*At enim*

praetorem, Sophocle, decet non solum manus, sed etiam oculos abstinentis habere." Beierus explanat hoc modo: at indignus est persona tua hic sermo. Praetorem enim etc. Sufficiebat exponere ita: at praetorem (nam hoc respiciendum est) decet etc. Est *at enim* graecum ἀλλὰ γάρ, de quo disseruerunt Schaeferus l. l. Hermannus ad Vigerum n. 275. Heindorf. ad Plat. Protag. 71. differtque ab *sed enim* eadem ratione, quam supra p. 425. exposui. Quo distat *etenim*, bene perspexit Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 27, 87. non item Heusinger. ad Off. 3, 15, 12. Sed multi sunt loci, in quibus *at enim* et simplex *at* discrimine non admodum conspicuo locum mutent: utrumque vertimus *freilich*. Quare

1. AT ENIM ponitur in notatione rei contrariae, quae aut aliis rebus in orationis transgressu opponitur, aut in recta oppositione, aut in ea sententia, quae quamquam id, quod dictum est, non negat, sed concedit, tamen ex adverso aliquid diversum apponit, aut in assumptione, quae conclusioni praemittitur. Per *at* reiicitur aliqua sententia, quasi negetur rem non ita se habere: per *enim* infertur alia sententia in vicem comprobationis, qua aliter se rem habere confirmamus: quasi plena oratio haec sit: at contra, nam hoc quoque respici debet, nam hoc verum est.

Liv. 39, 37, 1. *at enim illa certe vestra sunt.* Transit ab iis, quae dubia videri possint, ad ea, quae certa esse videntur.

Cic. de Orat. 3, 49, 187. *quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius? At enim vereor, inquit Crassus, ne haec aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut* etc. Terent. Heaut. 4, 3, 21. *at enim istoc nihil est magis, Syre, meis nuptiis adversum.* Eun. 2, 3, 90.

Cic. de Invent. 2, 17, 52. *rationis infirmatio: at enim, qui patria potestate, hoc est, privata, tribuniciam, hoc est populi potestatem infirmat, minuit is maiestatem.* pr. Mur. 35, 74. Liv. 21, 18, 8. *nobis vobiscum foedus est a Lutatio consule ictum: in quo quum caveretur utrorumque sociis, nihil de Saguntinis cautum est. At enim eo foedere, quod cum Hasdrubale ictum est, Saguntini excipiuntur.* Curt. 6, 9, 16. Liv. 34, 31, 6. *at enim ego eam violavi.* ubi alia apud Drakenborchium, et ad 6, 15, 11.

Cic. de Orat. 3, 12, 47. *at enim non sine meo periculo possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri.*

Cic. de Fin. 2, 24, 78. *at enim sequor utilitatem. Manebit ergo amicitia tam diu, quam diu sequetur utilitas.*

2. Vsurpatur igitur in occupatione alienae vel contrariae sententiae. Is est ille usus, de quo p. 432. diximus.

Terent. Heaut. 1, 1, 20. *at enim dices, me hic quantum operis fiat, poenitet.* Bentleius eiecit vocabulum *dices*, et omitti poterat.

Cic. ad Quint. 1, 1, 2. *at enim inter hos ipsos exsistunt graves controversiae.* Quae Beierus explicat: at nihilominus multum proconsuli exhibetur negotii. inter hos ipsos enim. Sufficit potius: at respice aliud hoc: nam inter hos ipsos. Cic. p. Lege Man. 17, 51. *at enim vir clarissimus amantissimus reipublicae — Q. Catulus, itemque summis ornamentis honoris, fortunae, virtutis, ingenii praeditus Q. Hortensius ab hac ratione dissentiunt.* 20, 60. *at enim nihil novi fiat contra exempla atque instituta maiorum.* Phil. 2, 2, 3. *at enim te in disciplinam meam tradideras (nam ita dixisti): domum meam ventitaras.* ubi vid. Wernsdorf. in Verr. Act. 1, 5, 15.

Acad. 2, 17, 52. *itaque simul ut experrecti sumus, visa illa contemnimus. — At enim dum videntur, eadem est in somnis species eorum, quae vigilantes videmus. Plurimum interest.* Petron. 107. *quid debent laesi facere, ubi rei ad poenam confugiunt? At enim amici fuerunt nostri. Eo maiora meruerunt supplicia.*

Post *at enim* sequitur *nec tamen* apud Stat. Theb. 3, 12. s.

Interdum fere idem valet quod *at tamen.* Quinctil. 4, 2, 82. *at enim quaedam argumenta turba valent, diducta leviora sunt.* quod ita accipiendum: etiamsi rei sit modus ab accusatoris expositione diversus, tamen id tenendum, quaedam argumenta valere turba. Sed per occupationem dicitur *at enim,* additurque responsio: *id quidem non eo pertinet.*

3. Deinde locum habet in interrogatione, ut simplex *at*, de quo vide p. 438.

Liv. 6, 15, 11. *at enim quid ita solus ego civium curam ago?* Cic. Divin. in Caecil. 4, 15. *at enim cur a me potissimum hoc praesidium petiverunt?* Sallust. Cat. 51, 25. *at enim quis reprehendet, quod in parricidas reipublicae decretum erit?* ubi. Cort. Plaut. Pseud. 2, 2, 46. *at enim scin' quid est?* vid. p. 439. Curt. 6, 10, 19. *at enim Dymnus se occidit? num igitur facturum eum divinare potui? minime.* Plin. Hist. n. 2, 17, 14. *at enim cur non semper ad quadra-*

ginta sex et ad partes viginti tres perveniunt? Immo vero Frustra laboravit Gronovius in defendenda codicum scriptura Liv. 34, 32, 18. *enim, ut iam ita sint haec, quid ad vos, Romani?* Scripsit Livius *at enim.* Egregie emendavit Hottingerus Cic. de Divin. 2, 69. *at enim (ex divisione hoc secundum est) quae est continuatio coniunctioque naturae eiusmodi, ut thesaurus ex ovo intelligi possit?* nec video, cur Goerenzius ad Cic. de Fin. p. 253. obloquutus sit.

4. Exprimit, ut simplex *at*, eam intentionem sermonis, qua ad aliquam rem maxime attendere iubemus, addita ipsa caussa.

Plaut. Poen. 5, 4, 25. *quid vis? expedi.* AG. *at enim volo hoc agas.* H. *at enim ago istuc.* i. e. at attende, ne aliud agas, nam volo, hoc agas: et tum: at vide, nam ego ago nihil aliud. Most. 3, 3, 19. *at enim ne quid captioni mihi sit, si dederim tibi.*

4. Denique inservit indignationi et acerbitati in reprehendendis et castigandis aliorum sententiis, et in verbis ironice dictis.

Terent. Phorm. 3, 2, 2. P. *audi, quid dicam.* D. *at enim taedet iam audire eadem millies.* Liv. 38, 59, 9. *in domo, quam sumtus non exhauserint, exstare debuisse novae fortunae cumulum. At enim, quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per vexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos.*

Terent. Ad. 2, 1, 14. AE. *i intro nunc iam.* SA. *at enim non sinam.*

5. Sunt etiam apud poetas loci, in quibus *at* cum pronomine cohaerens in eum modum, quem illustravi, secum fert *enim* comprobativum.

Stat. Silv. 1, 2, 166. Venus loquitur: *exerce formam et fugientibus utere donis. Non ideo tibi tale decus vultusque superbos meque dedi, viduos ut transmittare per annos, ceu non cara mihi satis. — Satis o nimiumque priores despexisse procos. At enim hic tibi sanguine toto deditus, unam omnes inter miratur amatque.*

AT ETIAM. Plurimis in locis hae particulae nihil commune habent, sed *etiam* ad aliud verbum pertinet: veluti Cic. de Nat. deor. 1, 41, 115. *at etiam de sanctitate, de pietate adversus deos libros scripsit Epicurus.* Philip. 2, 34, 86. et 87. in Verr. 5, 30, 77. Tum potest aliud vocabulum inter utramque particulam

intercedere. Cic. ad Att. 1, 16. extr. In aliis tamen propius accedunt, ut indignatio exprimatur de re, quam fieri miramur, praesertim in interrogatione irati.

Terent. Andr. 4, 5, 23. *at etiam rogas?* i. e. *du fragst auch noch?* Eun. 4, 4, 1. *exi foras, sceleste: at etiam restitas, fugitive?* Plaut. Trin. 4, 2, 149. *at etiam maledicis?* ubi olim *an.* Capt. 3, 4, 31. *at etiam, furcifer, male mihi loqui audes?* conf. Rud. 3, 4, 6. Asin. 5, 2, 73. *at enim cubat cuculus, surge, amator.* Vbi nos dicimus *aber ich glaube gar.* Cic. Phil. 2, 30, 76. *at etiam adspicis me, et quidem ut videris, iratus.* ubi Schwartzius coniecit legendum esse *et etiam*, iure reprehensus ab Heusingero. Plaut. Capt. 2, 3, 98. *expedivi ex servitute filium, si dis placet. At etiam dubitavi, hos homines emerem, an non emerem.* i. e. at, quod nunc miror, dubitare potui stultus, emerem an non emerem.

In aliis affirmatio adiungitur ei, quod opponitur, ut significetur *dagegen allerdings, vielmehr.*

Plaut. Mil. 4, 4, 6. *ut lepide deruncinavit militem.* AC. *at etiam parum.* Terent. Eun. 5, 6, 8. *numquam pol hominem stultiorem vidi. — at etiam primo callidum ac disertum credidi hominem.* quod Schützius male vertit: *gleichwol hab' ich dich sonst sogar für einen gescheiden Kerl gehalten.* Est enim potius: *dagegen hab' ich allerdings geglaubt.* s. *freilich.*

Cic. Catil. 2, 6, 12. loquitur de bello contra improbos cives gerendo: *huic ego me bello profiteor ducem. — Proinde aut exeant, aut quiescant, aut si et in urbe et in eadem mente permanent, ea, quae merentur, exspectent. At etiam sunt, Quirites, qui dicant, a me in exsilium eiectum esse Catilinam. Quod ego si verbo assequi possem, istos ipsos eiicerem, qui haec loquuntur.* Beneckius nuper e cod. uno Franc. et una editione recepit *at sunt etiam:* caussam non aperuit. At hac mutatione corrumpitur sensus. Quis enim ferre possit in hac oratione: *dagegen gibt es auch Leute, welche?* Omnis sententiae vis inhaeret verbis *a me eiectum:* quare reddas reliqua verba cum indignatione dicta: *dagegen gibt es allerdings, gibt es noch Leute.* Hoc autem est: *at etiam sunt.*

AT IAM et AT NVNC cohaerent ita quodam modo, ut praesentia opponantur praeteritis, vel iis, quae non esse debeant, et ut iis, quae antea non facta sunt, ea respondeant, quae vel nunc fiunt, aut futuro tempore fient. Quare locum habet etiam in evocatione. Nos

dicimus *aber nun*. Interdum ponitur in conclusione, vel in demonstratione rei, quae sit.

Plaut. Bacch. 3, 3, 34. *nam olim populi prius honorem capiebat suffragio, quam magistro desinebat esse dicto obediens. At nunc priusquam septuennis est, si attingas eum manu, extemplo puer paedagogo tabula dirumpit caput.* Capt. 4, 2, 108.

Cic. ad Fam. 10, 28, 1. *quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me idibus martiis invitasses, reliquiarum nihil habéremus. At nunc cum his tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in remp. beneficium nonnullam habeat querelam.* Quinctil. 4, 2, 39. *at nunc velut campum nacti expositionis.* ubi non intelliges *hoc tempore*, sed *ut res se habet.*

Plaut. Amph. 1, 1, 188. so. *mentiris nunc iam.* ME. *At iam faciam, ut verum dicas dicere.* Trin. 5, 2, 63. Terent. And. 1, 2, 8.

Plaut. As. 5, 2, 8. *at nunc dehinc scito.* Amph. 1, 1, 197.

In Horat. Serm. 1, 6, 87. legendum esse *at hoc nunc* etc. diximus p. 126.

AT QVIN et AT POL QVIN. Plautus in contraria re vehementius affirmanda: Asin. 4, 2, 14. *at pol quin dixti rectius.* Rud. 3, 4, 55. *at quin, quia vetas, utramque iam mecum abducam simul.* i. e. *im Gegentheil grade deswegen.* Amph. 2, 2, 73. *at pol quin certa res hanc est obiurgare.* i. e. immo. Sed grammatici tantum non omnes aliam formam esse putant verbi *atqui:* cuius certe in Plauti locis nulla occasio. In Flori codicibus scriptum legitur *atquin* pro *atqui.* 4, 2, 53. 3, 12, 13. De locis Lactantii et Tertulliani vide in ATQVI.

AT QVIDEM. Plautus duobus locis usurpat *at quidem* pro *at.* Mil. 3, 1, 65. *at quidem, illoc aetatis qui sit, non invenies alterum lepidiorem ad omnis res.* Most. 4, 3, 21. s. *quid somnias?* TH. *egone? at quidem tu, qui istoc te speras modo potesse dissimulando infectum hoc reddere.*

AT SALTEM, i. e. at certe, at tamen, dixit Plautus Merc. 3, 4, 52. *at saltem hominis faciem exquireres.*

AT VERO. Addita particula *vero* nihil mutatur significatio atque usus particulae *at*, sed accedit affirma-

tionis et asseverationis augmentum. Quare ponitur, negata alia re, ad illustrandam et confirmandam veritatem alius rei. Pleonasmi nomine hanc formulam appellant Vechner in Hellenol. p. 161. Bünemann. ad Lactant. 7, 11, 6.

Cic. de Nat. d. 3, 36, 86. *omnem denique commoditatem prosperitatemque vitae a diis se habere: virtutem autem nemo umquam acceptam deo retulit. — At vero aut honoribus aucti, aut re familiari, — quum diis gratias agimus, tum nihil nostrae laudi assumptum arbitramur.* de Off. 2, 20, 70. 2, 23, 80. *quid? nostros Gracchos — nonne agrariae contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius iure laudatur, qui — rempublicam adventu suo liberavit.* in Verr. 5, 17, 42. de Fin. 1, 10, 33. ad Att. 5, 11. init. Philip. 2, 15, 38.

Tum ponitur in occupatione sententiae alienae, ut simplex *at*.

Cic. Phil. 2, 15, 38. *at vero Cn. Pompeii voluntatem a me alienabat oratio mea. An ille quemquem plus dilexit?* Sulpic. ad Cic. 4, 5, 7.

Et in assumptione, in qua logici *atqui* usurpant, adiunctam habet vim affirmationis: *nun aber wirklich.*

Cic. pro Rosc. Am. 40, 116. *recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit, — verum novem homines honestissimos — induxit, decepit, destituit.*

AT ENIMVERO coniuncta videmus in Liv. 5, 9, 2. *In quam sententiam quum pedibus iretur, ceteri tribuni militum nihil contradicere. at enimvero Sergius Virginiusque, propter quos poenitere magistratuum eius anni senatum apparebat, primo deprecari ignominiam, deinde intercedere senatus consulto.* i. e. at Sergius Virginiusque, ut erat exspectandum in his hominibus etc.

De AT TAMEN vide in TAMEN.

*) In scriptis libris confunditur AT cum AC, quod in multis vix dignosci potest ob litterarum similitudinem: vid. Drakenborch. ad Liv. 2, 45, 5. 3, 61, 4. 36, 35, 7. 21, 4, 1. Schwarz. ad Plin. Paneg. p. 11. 80. 345. Oudendorp. ad Sueton. Ner. 2. Claud. 12. Galb. 10. ad Apulei. T. 1. p. 476. Goerenz. ad Cic. de Fin.

p. 294. Gernhard. ad Lael. p. 72. etiam in locis, in quibus *at* nullum sensum praebet, ut Virgil. Ecl. 3, 4. Cum AN. vid. Servius ad Virgil. Aen. 9, 144. Burmann. ad Lucan. 1, 346. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 246. Garaton. ad Cic. Phil. 14, 5. ad 2, 3. Cum AVT propter compendium scribendi: vid. Broukhus. ad Propert. 4, 3, 5. Burmann. ad Ovid. Am. 3, 7, 1. Drakenb. ad Liv. 3, 57, 12. Goerenz. ad Cic. de Fin. 3, 15, 49. et HAVD. vid. Ruhnken. ad Rutil. p. 48. Cum AB. vid. Cic. Lael. 9. Cum AD. vid. Drakenb. ad Liv. 3, 17, 3. 6, 24, 8. 6, 26, 1. Cum AIT. vid. Iac. Gronov. ad Liv. 3, 57, 11. Cum ET. vid. Drakenb. ad Liv. 36, 35, 7. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 357. Both. ad Ovid. Met. 4, 92. 7, 144. Cum VT. vid. Scaliger ad Priapei. 80, 1. Perizon. ad Val. Max. 4, 3. Miscel. Obs. Vol. 3. p. 123. Heins. ad Ovid. Her. 12, 1. Burmann. ad Gratii Cyneg. 68. ad Sueton. Vesp. 24. Drakenb. ad Liv. 1, 18, 9. 3, 56, 12. 5, 4, 8. Markland. ad Statii Silv. p. 2. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 390. Saepe particula proximis litteris intercepta est: vide Drakenb. ad Liv. 34, 32, 13. 39, 50, 6.: saepe interposita repetitis litteris antecedentis vocabuli. vid. ad Liv. 30, 34, 3. Cic. Acad. 2, 24. de quo loco ad Wopkensii Lect. p. 148. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 70.

ATAT.

ATAT qui duplicatam particulam *at* esse censent, eique adversativam potestatem tribuunt, simplicem rem mirabiliter perturbant. Interiectio enim est ex graeco usu desumpta. Graeci dicunt ἀτατατὰ, ἀτατατὰ, ἀτατατατά. quod Naevius plenum expressit in Tarentilla apud Charisium p. 213. *atattatae, cave cadas, amabo.* et in Corollaria p. 214. *quid salve, atattatattatae, rivalis, salve. quid istuc attatae advertisti tam cito?* Sensum igitur, qui cogitetur, nullum habet, sed affectum animi exprimit. Quare et accentus et syllabarum mensurae incerta et mutabilis est ratio: de qua re vide Faernum et Bentleium ad Terent. Andr. 1, 1, 98. nec quidquam refert, utrum consonans T duplex scribatur in *attat*, an coniunctis vocibus *atat*, an discretis sonis *at at*. Nec variat usus, sed usurpatur haec interiectio ab eo, qui se a re improvisa et antea non cognita captum

sentit, sive eà sit laeta sive non laeta. Saepe idem exprimit quod *ecce*, quocum etiam coniungitur Plaut. Truc. 2, 7, 21. *attat eccam.* Aul. 4, 8, 12. Sed locum habet proprium in soliloquio, dum aliquis se colligit. Plaut. Cas. 3, 4, 29. *attat, quid illuc clamoris, obsecro, in nostra domo est?* aut aliquid de improviso deprehendit. Plaut. Poen. 4, 1, 5. *attat, e fano recipere video se Syncerastum.* aut rem conspicit laetam et ex inopinato supervenientem. Plaut. Curc. 3, 19. *quis hic est qui operto capite Aesculapium salutat? attat! quem quaerebam.* i. e. ecce hic ipsus est, quem quaerebam. aut aliquid cognovisse gaudet, vel cognoscere incipit. Terent. Andr. 1, 1, 98. *atat hoc illud est.* Plaut. Cist. 4, 2, 34. Curc. 4, 4, 27. ubi est i. q. perspicio iam rem. aut de se ipso miratur, aut de re. Plaut. Pers. 4, 7, 12. *attat oblitus sum intus dudum edicere.* Terent. Eun. 4, 5, 1. conf. Plaut. Epid. 3, 4, 21.

Interdum, sed rarius timorem et dolorem cum admiratione rei non exspectatae coniunctum significat. Terent. Eun. 4, 6, 18. *militem secum ad te quantas copias adducere? Attat.* Plaut. Aul. 3, 1, 8. *attat, perii hercle ego miser.* Quod vero dicunt, adversativam vim apparere quibusdam in locis, factum est a perversa interpretatione. Plaut. Cas. 2, 7, 11. *atat. concedas huc.* Interiectio ibi profertur audito portae sonitu, nec cohaeret cum proximis verbis. Id bene intellexit Schellerus. Quae Doelekius in Grammat. schol. p. 143. disputat, omnia falsa sunt, neque ea refutare iuvat.

ATATTAT restituit Bentleius in versu hiante Terent. Phorm. 5, 8, 70. *atattat: nisi mihi prospicio, haereo.* ATTATE legitur apud Plaut. Epid. 3, 4, 21. Cas. 2, 8, 32. Merc. 2, 3, 31. significatione non diversa. Admirationem rei, non, ut volunt, minationem exprimit in Cas. 3, 1, 14. *attate, caedundus tu homo es.* In locis Naevii supra allatis Forcellinus scribendum putat *at attate.* Ratio me fugit.

ATQVE. AC.

ATQVE factum est ex *at* et *que*, nec descendit illud *at* ab Graecorum vocabulo ἀτάρ, ut Gerhardo Vossio visum est, sed una est vox cum praepositione *ad*, ut supra demonstravimus. Quare, si etymologiam tene-

mus, proprie significat *et ad*, eamdemque habet formam, qua Plinius novum verbum *praeterque* confecit. Gellius 10, 29. contrarium appellat antiquum vocabulum *deque:* cui simile est *absque*. Et in Formula Dotis, quam Beckius singulari libello illustravit (vide eum p. 7.) in inscriptionibus apud Gruter. p. 266, 1. p. 337. v. 21. 412. n. 3 et 4. (vid. Noris. in Cenotaph. Pis. Diss. 4, 2, 2. p. 453. p. 215. Harles.) et in codicibus antiquioribus (vide Burmann. ad Sueton. Caes. 29. Maius ad Cic. de Rep. 1, 7. Blumius de Livii codice veronensi in Museo rhenano II. p. 342.) legitur ADQVE. quod etiamsi imperitis scribis et artificibus non doctis tribuatur, tamen leniorem pronuntiationem, qua illi decepti fuerint, ostendit vulgo frequentatam. Gerhardus Vossius, ut doceret *atque* ex *ac* et *que* factum esse, reprehendit Becmannum, qui *ac* decurtatam formam vocabuli *atque*, sive *acque* appellaverat. Sed hoc verum esse, vel ipsum, quod Vossius affert, exemplum verbi *nec* comprobat: id enim in se habet vim copulandi per *que* expressam. Atque hanc rem acute perspexerat unus Scaliger, de Caussis Lat. ling. 1, 22., cuius sententiam Becmannus fideliter sequutus est. Neque igitur cum Vossio *ac* censebimus ortum esse e Graeco *καί*, mutato litterarum ordine, neque cum aliis originem particulae quaeremus in hebraico אם, sed contractam vocem *atque* agnoscemus: quippe quia certa documenta copulatae pronuntiationis litterarum C et T assonantium etiam in aliis vocabulis extant. Sicuti *ac* pene *atc* sonabat, ita *anclo* quoque *antclo*, quod erat *ἀντλῶ*, nec discrepabat pronuntiatio verborum *quicquam*, *iccirco*, et *quidquam*, *idcirco*. Tamen iam antiquis temporibus multi erant, qui *atque* et *ac* omnino diversas esse existimarent voces, quibus non unum significationis ambitum assignarent. Ita Nonius Marcellus 12. 44. *aliter ego feci et loquutus sum atque tu, hoc est aliter ego ac tu vel quam tu.* Charisius p. 204. *ast — pro atque, pro ac, pro ergo.* Apuleius de Orthogr. p. 132. edit. Maii. *quod olim scribebatur per* D, *adque coniunctio, nunc atque. Et ut et ad pro ac olim dicebatur, ut monumenta testantur antiquissima: postea per* C, *ac differentiae gratia scribi placuit Plinio auctore, ne aliud quam copulam significare videretur.* Argumenta nulla exposuerunt. Quamquam vocabula haec non alia re nisi forma et loco inter se differunt. Locum enim intelli-

gimus in ea conditione, quae ex littera vocabuli insequentis pendet. Ceterum vix operae pretium est recognoscere etymologicas opiniones, quibus Alexander Murray in libro de gentium cognatione Tom. 1. p. 312. versionis Wagner, *ac* ab *eac*, quod significet *aptum esse* deducit, et Kaercherus in Ephemerid. scholast. a. 1828. n. 24. ad familiam verborum *ago*, *augeo* ita refert, ut e cognatione vocabulorum teutonici *auch*, gothici *auk* primitivam significationem *etiam*, *auch* colligat. Quae omnia hariolationum instar fundamento nituntur infirmo, aut nullo.

AC non poni ante vocabula a vocali et ab H littera incipientia, nunc post longas virorum doctorum disputationes satis demonstratum videtur. Loca quae olim huic legi obstabant, plurima iam meliorum librorum auctoritate correcta sunt, et sicubi *ac* ante vocales adhuc apparet, debetur id aut perverso subtilitatis studio, aut incuriae librariorum. Nam quum in tam multis locis, de quibus critici dubitabant, antiqui libri meliorem scripturam suppeditent, etiam de reliquis paucis non erit desperandum. Nihil interest referre exempla codicum auxilio restituta: innumerabilia ea sunt. Sed primum eos viros nominabo, qui de hac re bene et subtiliter disseruerunt. Torrentius dixit ad Suet. Aug. 96. Noltenius in Lex. Antib. p. 1279. Ernestius ad Cic. ad Herenn. 4, 36. et ad Philipp. 11, 3, 8. Drakenborch. ad Liv. 10, 36, 17. qui morem vocat, quem optimi scriptores, praesertim Livius diligentissime observaverint, Burmann, ad Sueton. Caes. 26. Oudendorp. ad Caes. B. Gall. 6, 38, 2. ad Suet. Caes. 26. Aug. 19. et ad Apulei. p. 48. 79. 108. 523. 674. Arntzen. ad Plin. Pan. 45. Heusinger. in Emendat. p. 456. Ruhnken. ad Muret. T. 1. p. 9. et ad Vellei. Pat. 2, 105, 2. Burman. S. in Anthol. Vol. 1. p. 437. Garaton. ad Cic. Philip. 3, 3. in Pis. 27. p. Mil. 12. Tzschuck. ad Pomp. 2, 3, 10. T. 2. P. 2. p. 253. Spalding. ad Quinctil. 5, 2, 3. Schaefer. in Glossar. Liv. p. 8. Goerenz. in Cic. Acad. 2. p. 98. Wolfius ad Suet. Caes. 26. et in Analect. Vol. 1. p. 288. Bremi ad Cornel. Ages. 2, 1. Heindorf. ad Cic. de N. D. p. 4. Stallbaum. in notis ad Ruddim. T. 2. p. 343. Primam observationem non Batavi philologi, ut Zumptio visum est, fecerunt, sed iam Coelius Curio. Defensores contrariae sententiae post Schwartzium tres imprimis exstiterunt, Schellerus, et Bossche in indice ad Apulei. p. 638. et

qui aliena argumentatione magis quam argumentis usus est, Ramshornius. Illi multis in locis conventire codices dicunt, et post alia verba in C exeuntia vocalem saepe reperiri, veluti *nec ullus, hac illuc* et post *simulac:* etsi essent scriptores, qui constanter abstinerent ab hoc usu, tamen pro regula id numquam fuisse habitum: hic addit exempla ex inscriptionibus. Quae ut reprobraret, nuperrime Frotscherus Excursum scripsit ad Quinctil. Libr. Dec. p. 257. in quo et parvam esse ostendit auctoritatem inscriptionum, quarum de integritate ac fide nihil constet, et ea, quae Ramshornius affert, aut spuria aut male descripta esse, tum in his rebus peti non posse argumentum a numero codicum et ab editionibus negligenter confectis: nam unum librum ad demonstrandum errorem sufficere, et locos nondum correctos exspectare suam emendationem: denique insuavem oris hiatum veteres, ubi liceret, studiose evitasse, in vocabulo *hac* evitare non potuisse, in *nec* ante vocalem posito molliori sono temperasse. Scilicet auctores depravatae elegantiae, et post eos indocti librarii animum suum non ad hunc morem omnium bonorum scriptorum applicarunt, nec mirum hoc videtur: at grammaticorum veterum neminem de hac re distinctius praecepisse, id profecto mirari licet. Schwartzius in Monument. ingen. T. I. p. 148. et ad Tursellin. negligentiores in hac re fuisse putabat Suetonium, Celsum et alios. Suetonium autem ab hac suspicione vindicare conatus est Burmann. ad Caes. 27. et ad Calig. 3.: in Celsi locis plurimis antiquae editiones meliora exhibent, et 4, 10. restituendum est vel: *ac super quoque recte quaedam malagmata iniiciuntur* vel *atque insuper quoque:* de quo infra. De Cicerone et Caesare iamdudum viri docti dubitare desierunt, ne imperitiae nomine a Wolfio ad Suet. Caes. 26. irrisi viderentur: de Livii usu disputavit Drakenborch. l. l. Ex iis vero, quae nullo adhuc librorum subsidio, sed tantum de coniectura corrigi poterant, haec notabo, reliquis, in quibus Ramshornius et alii libros nondum emendatos adhibuerunt, quae multa sunt, omissis. Cic. ad Att. 13, 48. *ac eo properavi.* 4, 16, 6. *libertum ac accensum.* ubi Ernestius copulam delevit, Schützius *et* scripsit. illud verum et ab edit. Rom. iam acceptum. ad Quint. 2, 6. *simul ac ille venerit.* Tusc. 2, 5, 13. *falsumque illud ac improbe:* quod Muretus egregie emendavit. Locum Varr. de Ling. lat. 8, 1. ubi legitur *ac inde*, nemo non videt corruptum esse. Liv. 3,

16, 4. *superantibus aliis ac emergentibus malis.* ubi Drakenborchii *ac mergentibus malis* vix probari potest: equidem suspicor adverbium aliquod esse elapsum. 41, 24, 18. *suspectos alios ac invisos efficimus.* ubi correxerunt *et invisos.* 42, 12, 3. *sororem dedisse Prusiae precanti ac oranti.* Dial. de orat. 4, 1. *ac assidua.* ubi Ernestius correxit. 40, 3. *ac ullius* revocavit Bekkerus, quamquam in Vaticanis legitur *aut.* 39, 3. *unus inter haec dicenti ac alter adsistit.* de quo loco vid. Schurzfleisch. in Actis litter. p. 191. Plin. Ep. 5, 6, 19. *ac adiacentis hippodromi.* quod Cortius emendavit *hac:* cod. Prag. *hoc.* Plin. Hist. n. 16, 43, 83. *ac in alio genere.* Dalecamp. *aut.* Silius 8, 10, 547. *si fors ita Martis iniqui mox ferat ac ipsis inimica sede iacendum:* sed editiones vet. *ast.* Quinctil. Inst. 12, 10, 77. *solicitudo persequitur ac oratorem macerat.* ubi corruptelam indicat varietas lectionis, de qua vid. Buttmann. Florus. 2, 10, 2. *ac ludibundos plerosque ac ubi essent prae poculis nescientes.* Cod. Iustin. 1, 2, 16. *antiquatis ac infirmatis funditus. Ac etiam* legitur in Plin. Ep. 10, 46. ut olim in Varr. de Re r. 1, 47. in Columel. 9, 12, 4. in Sueton. Iul. 26. Aug. 19. male defensum a Cortio ad Plin. Ep. 5, 6. *Ac ita* in epistola Cn. Pomp. Magni addita epist. Cic. ad Att. 8, 12. *ac ita video censeri Marcello.* ut edidit Bosius, sed codices corruptum habent *altia* vel *etiam.* Apulei. Met. 2. p. 118, 29. *ac in contrariam gratiam.* ne Ruhnkenius quidem correxit, Oudendorp. autem quum in antiquis libris invenisset *at*, coniecit *atque.* Ab hac vero communi consuetudine auctores latinitatis prolapsae abhorruisse, iam Drakenborch. ad Liv. 10, 36. et Oudendorpius notaverunt ad Sueton. Caes. 26. Coel. Curio in Cic. Philipp. 11, 3. „*ac in eius corpore*] illam particulam *ac* non praeposuisset vocali, si periodum et conversionem incepisset: in ipsa comprehensione interdum solet, in principio semper sequitur consonans, ut paulo ante: *Ac Dolabella.* Possem sexcenta exempla proferre, nisi putarem posse invenire, qui volent. legatur modo prooemium primi libri de Oratore.“ Cuius sententiae terminos iam Garatonius reiecit. Sed inter eos criticos, qui vitiosa mutatione antiquam scripturam meliorem exstirparent, nominandi sunt ipse N. Heinsius, qui in Liv. 1, 14, 7. coniecit *ac obscuris.* et Davisius, qui in Caes. B. Gal. 2, 19. *porrecta ac aperta loca,* in Cic. de Nat. de.

1, 1, 2. restituit *ac ab omni curatione.* Cortius, qui Sallust. Iug. 85, 12. dedit *ac ego scio.* et Wakefieldus in Lucret. 1, 889. *ac in terram* et 5, 343. *ac oppida* temere corrigens: quamquam nunc, Ramshornii sobrium et moderatum iudicium admiratum, Forbigerum video in recentissima editione, Wakefieldi opinionem comprobare, quasi Lucretius multa sibi indulserit, quae ab omnium reliquorum scriptorum usu recedant. In carmine quum unam modo syllabam admitteret versus, et librariis commoda esset oblata occasio corrigendi, tum utrumque vocabulum pronuntiatione parum differebat. Quare apud Lucretium quoque ea, quae in aliquibus libris 5, 343. 5, 231. leguntur, librariis attribuenda videntur. Neque sufficit in hac re doctum silentium Immanuelis Bekkeri in Tacito non semel *ac* ante vocalem restituentis, neque incerta obloquentium iudicia. vid. Ephemerid. Heidelberg. a. 1827. n. 13. p. 192.

AC ante litteram H positi nullum, quod sciam, exstat certum exemplum: quamquam erant, qui adspirationem saepe consonae vicem praestare, eique AC praeponi existimarent. Sed vide Drakenborch. ad Liv. 22, 2, 3. In Vellei. Pat. 2, 105, 2. legitur *ac hilarem.* 125, 5. *ac Hispanias.* Sed ut constat, parva est in hoc scriptore antiquorum librorum auctoritas. In priori loco Ruhnkenius correxit *aut*, in hoc *atque.* In Ennii versu apud Macrob. Sat. 6, 4. *splendet ac horret* nunc legitur *et.* Praeterea Heusingerus et Wolfius AC ante consonantes C, Q, X, poni negabant: quo argumento, equidem non video: nam *iccirco*, *accipere* et talia frequenter posita non offendunt. Quare alii AC ante C et Q poni posse concedentes, certe id non ab initio periodi, sed in media tantum oratione admitti putabant. Cuius sententiae rationem equidem non magis perspicio. Cic. Tusc. 2, 21, 48. *vinclis prope ac custodia.* in Verr. 3, 5, 10. *ex ipsa varietate ac novitate rerum ac criminum delectatio.* Neque igitur reprehendi poterat hoc nomine Ilgenii emendatio in Orat. pro Arch. 12. facta *ac quum*: de quo loco vide p. 357. Varro de Re r. 1, 4, 5. *exercitus ac classis.* Liv. 3, 6, 3. *ministeriaque invicem ac contagio.* 3, 6, 9. *circuitio ac cura.* Quinctil. 10, 1, 48. *litium ac consiliorum.* Tibull. 1, 3, 87. *ac circa.* Apud Caes. B. Gall. 1, 44, 8. *ac contra se*, alii libri omittunt *ac.* ut in B. C. 1, 48. *ac civitates.* Etiam variant libri in 1, 75, 1. *ac conquiescere.* et in

1, 13, 2. *simul ac Caesar*, sed consentiunt. 3, 78, 3. *frumento ac commeatu.* Ceterum notanda videntur exempla voc. AC ante G positi, veluti Cic. ad Fam. 12, 7. *dignitati ac gloriae*, et ante I consonantem: Pers. 6, 45. *ac iam*, et ante S, de quo vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. p. 199. De Nat. d. 2, 11, 31. p. Tull. 21. conf. 9. Cuninghamus in Animadv. in Horat. p. 218. in Carm. 1, 7, 13. praeferendum esse censet *Anio ac Tiburni lacus* ob ipsam, quae sequitur, T litteram. Bentleius caussam vidit in *et* ter repetito. Ceterum de voc. ATQVE ante consonantes posito vid. Schwartzius in Monum. ingen. I. p. 149. Notanda haec sunt, tamquam rariora. Cic. p. Sext. 8, 20. *labi illi atque coeno.* 42, 92. *quam ius atque vis.* cf. Somn. Sc. 9. de Orat. 2, 6, 23. *cura atque labore.* sed alii *ac*. p. Coel. 19, 54. *atque scitote.* Plin. Hist. n. 11, 25, 30. *atque scorpiones.* 18, 1. *atque quum.* In Taciti Agr. 10. mutarunt *etiam iugis atque montibus* in *i. etiam ac montibus.* Caes. B. Civ. 1, 57. codex quidam *homines asperi atque montani.* quam, tamquam rariorem formam repudiat Heldius. Haec hactenus de forma: iam de significatione dicamus.

In notionibus et sententiis coniungendis quum duplex esse possit ratio, altera, qua partes simpliciter iungantur externo nexu, iunctaeque ad aliquid commune referantur, altera, qua notiones et enuntiationes duae aequali conditione ita componantur, ut aut utriusque aequalis dignitas exprimatur, aut necessitudo, qua utraque aequali modo cohaereat vel continuetur, significantius appareat, Latini hunc interiorem nexum non fortuitum designant per ATQVE, Graeci per τέ. Id undique comprobatur, quum aliis omnibus exemplis, tum maxime eo usu, quo particula in comparatione et in ratiocinatione usurpatur. At non omnes scriptores, praesertim recentiori tempore, ad hanc proprietatem diligenter attendebant, sed dum magis ad universam vim copulandi respiciunt, multis in locis ATQVE ita usurpabant, ut ubi ATQVE requiras ob nexum conditionis vel caussae vel temporis aequalitate terminandum, simplicem copulam ET additam videas. Ita Tacitus Ann. 6, 40. si vera lectio est, *ac tunc* scripsit pro *et tunc*, quod legitur 2, 62. Varro apud Gellium 10, 1. *quarto locum adsignificat ac tres ante factos: quartum tempus adsignificat et ter ante factum.* Attamen quae consuetudo vulgaris saepe neglexit, certam habent caussam

ac finem. Inter grammaticos veteres hanc rem intellexisse videtur Sosipater Charisius, in Inst. p. 204. aliquot locos notans, in quibus *atque* pro *et* positum esse putabat. Recentiores elegantiam nescio quam particulae tribuere solent, quippe quae vocabula polysyllaba coniungat. vid. Nolten, Lex. Antib. p. 1278. Sed etiamsi optimus quisque scriptor numero orationis curam impendat maximam, tamen hoc laudabili studio non pervertet aut negliget ipsam verborum significationem. Quo autem sensu Heindorfius ad Cic. de Nat. d. p. 369. in *atqie* id quaesiverit, quod diversitatem exprimeret, et quo modo Ramshornius ubique adversativam sententiam per *atque* copulatam intellexerit p. 515., equidem in tanta synonymorum compositorum copia non assequor.

Etiam G. W. Müllerus in Annot. ad Brem. edit. Cornelii Wittenberg. 1820. editis quum dixisset *atque* ex *at* et *que* compositum proprie significare oppositum, *aber wol*, addit: „quae propria significatio multo usu obscurata est ita quidem, ut particula *atque* in universum aliquid oppositi, quod non suae naturae necessitudine cum praecedenti coniunctum est, externo vinculo, cogitationum decursu facto, prius dicto annectat: praevaletque in plerisque locis annectendi haec potestas.“ His prorsus contraria quum ego propono, tum ipse Müllerus in reliquis, quae perlustrat, *atque* saepe esse id quod *et tum*, *und dann*, „et comparationi inservire rerum similium.“ Tenendum erat, *ad* et *at* unius vocis duas esse formas, pro diversa adiungendi et opponendi ratione discretas, et quae in *atque* esse possit adversativa vis, tolli ipsa copulatione.

Vniversum huius nominis usum ad duo exemplorum genera recte referri posse putamus. Nam et notionibus coniungendis et sententiis nectendis inservit una hac significatione, qua duae res non tantum apponuntur, sed aequiparantur. Ita coniuncta non adhaerent, sed inhaerent invicem sibi. Si quis igitur maiorem partem exemplorum, quae nos allaturi sumus, etiam cum usu particulae *et* convenire contenderit, is ante omnia cognoscat, saepe ea non verbis exprimi, quae cogitatione in conformandis sententiis substituantur: veluti saepe *καί* ponitur pro *καὶ οὕτως*: at non ipsum hoc significat: significat autem particula *τέ*. Potest enim ab eo, qui dicturus est virum uti genere ita virtute eximium, recte dici *genere et virtute eximius:* sed totam istam cogitationem distinctius exprimit particula *atque*, sicuti Velleius Pat. 114. dixit *virtute atque nobilitate.* Quae res in iis

exemplis egregie perspicitur, in quibus *atque* admitti nullo pacto possit. Nam dicimus *hominem animo atque corpore praestare:* at non item recte *homo constat animo atque corpore*, quibus verbis partes variae coniungantur, non aequiparentur: quare cum omnibus bonis scriptoribus Sallust. Iug. 2. dixit *genus humanum compositum ex corpore et anima est.* Haec autem eadem est caussa, quapropter partes orationis, quae per *atque* coniunguntur, arctius cohaerere videntur. Nam inhaerent sibi invicem et quasi confluunt. Vnde etiam fit, ut haec particula eam in se recipiat vim demonstrativam, qua, ut rerum connexus percipiatur, animum ad aliam rem simul comprehendendam perducit, eamque aequo modo considerandam monstrat. Vbi igitur grammatici, quum vidissent in multis locis pronomina demonstrativa et personalia proximo loco cum hac particula componi, veluti *atque ille*, *atque ego*, hoc quidem argumento demonstrarunt *atque ego* poni pro *equidem*, ut fecit Tellerus ad Sallust. p. 302., confundebant caussam cum re ex ea exorta. Nam coniungitur *atque* cum pronominibus ipsa sua vi ac natura, et quod attrahuntur pronomina, id non sola consuetudine fit, sed ratione. Cic. Orat. 2, 7. *atque ego in summo oratore fingendo talem informabo, qualis fortasse nemo fuit.* In his Cicero, postquam exposuerat, quam arduum esset praestare eloquentia, transit ab iis, qui se studio eloquentiae dediderint, ad suum consilium, quasi dicturus: uti ista se habent, ita ego talem informabo, qualis fortasse nemo fuit. Haec universa praecepta tenentes nos exempla nunc ex ordine disponamus.

I. 1. Ac primum particula ATQVE id proprium habet, ut unitatem notionum interiorem, nexumque rerum in aequali ratione conspicuam significet. Vnitas enim illa vel ipsa apparet in rebus unius generis, vel conficitur rebus ad unam rationem aequo modo conferendis. Quo quidem ATQVE differt ab ET, quod meram coniunctionem denotat, atque, ut dixi, ubicumque obtinet locum suum. In connectendis autem his notionibus similibus et cognatis, sive sua natura cohaerentibus, sensus particulae *atque* reddi potest verbis: *ut — ita, itemque.* Saepe haec dictio amplificationi unius nominis inservit.

Sulpic. apud Cic. ad Fam. 4, 5, 14. *nullus labor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.* Cic. p.

Arch. 12, 30. *ego vero omnia, quae gerebam, iam tum in gerendo spargere me ac disseminare arbitrabar in orbis terrae memoriam sempiternam.* p. Domo 28, 75. *lucem salutemque redditam sibi ac restitutam accipere debuit.* ut Terent. Eun. 1, 2, 67. *ut suis restituam ac reddam.* Sallust. Cat. 6, 1. *genus hominum — liberum atque solutum.* Terent. Ad. 3, 1, 10. *tali ingenio atque animo.* De coniungendis vocabulis *perfectus atque absolutus* vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 620. Liv. 21, 53, 2. *memoria vulneris aciem ac tela horrere.* Terent. Andr. 1, 1, 47. *vitam parce ac duriter agebat.* Eun. 1, 2, 95. *utinam istuc verbum ex animo ac vere diceres.* Eun. 2, 3, 71. *faciam sedulo ac dabo operam.* Bentleius abiecit *ac*, ut per asyndeta fortius incederet oratio. At particula duo verba in unam notionem coniungit, quod auget vim orationis. In Quinctil. Inst. 9, 4, 20. Spaldingius bene restituit: *neque enim aut hiare semper vocalibus aut destitui temporibus volunt sermo atque epistola.* et 9, 4, 13. *quodsi numeris ac modis inest quaedam tacita vis.* Atque ita e codicis Goth. auctoritate revocandum in Lactant. 6, 1, 5. *si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint.* vulgo *aut:* sed optimum intelligitur vinum, quod et vetus est et odoratum. vid. Heusingeri Emend. p. 92. et 18.

Ob hanc caussam frequentissima est commutatio particularum *atque* et *aut.* Liv. 21, 4, 4. recte legitur *fortiter ac strenue.* ubi alii codices *aut.* 3, 42, 4. *natura loci ac vallo, non virtute aut armis tutabantur.* ubi librarii mutarunt *aut vallo.*

2. Quare indicat ATQVE, alteram rem simul cum altera positam esse vel exsistere. Sicuti Tacitus, quod Ann. 2, 6. dixit de navibus: *augebantur alacritate militum in speciem ac terrorem*, idem addito vocabulo *simul* expressit Agr. 35. *Britannorum acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constiterat.*

Liv. 3, 42, 2. *nequid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur.*

3. Quod ita in cognatis notionibus apparet, id etiam in qualibuscumque iis locum habet, quae composita aequiparantur, atque hoc arctiori nexu una comprehenduntur. Quo fit, ut *atque* idem sit quod *et — et*, vel *ut — ita*, vel *aeque ac.*

Sallust. Cat. 30. *omnia, honesta atque inhonesta.* c. 20. *nobiles atque ignobiles.* Liv. 21, 4, 6. *caloris ac frigoris patientia par.* 6, 41, 4. *bello ac pace.* Quod Terent. Heaut. 2, 2, 103. *hodie sero ac nequicquam voles.* id Cicero per

et — et dixit p. Quint. 25, 79. *verum et sero et nequicquam pudet.* Ennius in Medea graeca γῇ τε κ' οὐρανῷ vertit *coelo atque terra.* Cic. de Leg. 2, 4, 9. *aetas — aequalis illius coelum atque terras tuentis et regentis dei.* 1, 7, 23. *non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra.* p. Coel. 19, 45. *copiam sententiarum atque verborum — perspexistis.* Vell. Pat. 2, 127. *adiutorem in omnia habuit atque habet.* Terent. Hec. 5, 4, 4. *timeo, ne aliud credam atque aliud nunties.* i. e. et item aliud nunties. Livius 22, 29, 10. *quod beneficio eius erga nos ac maiestate eius dignum est.* i. e. aeque ac. Horat. Epist. 1, 16, 32. *vir bonus et prudens dici delector ego ac tu.* i. e. non minus ego quam tu. Cic. p. Flacc. 1, 1. *quum in maximis periculis huius urbis atque imperii gravissimo atque acerbissimo reipublicae casu, socio atque adiutore consiliorum periculorumque meorum L. Flacco, caedem a vobis, coniugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia depellebam* etc.

Id plenius exprimitur addito alio aequalitatis nomine. Tacit. Ann. 1, 48. *ubi bellum ingruat, innocentes ac noxios iuxta cadere.* i. q. innocentes iuxta ac noxios.

Etiam in his locis saepe a librariis substitutum est *aut*, neque deerant, qui docerent pro eo poni *atque*. Vid. I. H. Vossium ad Virgil. Georg. 3, 492. Vt, quae per se perspicua sunt, omittam, etiam in Livii 6, 7, 6. defendenda est lectio: *simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet.* Nam sensus est: quisque faciet et ea quae didicit et quae consuevit. 7, 34, 13. *quaenam illa inscitia belli ac pigritia est.* Si dixisset *aut pigritia*, de ipsa caussa Decius dubitasset, sin vero *et pigritia*, duas caussas simpliciter nominasset: at dixit *ac pigritia*, quum intellexisset et inscitiam belli et item pigritiam fuisse caussam cessationis.

4. Ex his exemplis intelligitur etiam ea, quae sibi contraria esse videantur, ex aequo componi posse, quum ad unam aliquam rem referantur aequali ratione.

Horat. Ars poet. 160. *iram colligit ac ponit temere et mutatur in horas:* i. e. uti iram temere colligit, ita eam ponit. Epist. 11, 1, 180. *sic parvum est, animum quod laudis avarum subruit ac reficit.* Hoc enim codd. praebent.

5. Quo modo duo substantiva coniungantur, quorum alterum notioni alterius necessariam aliquam partem addit, alias per adiectivum, alias per genitivum expressam, grammatici satis copiose docent, eamque formam vocant ἓν διὰ δυοῖν: sed, ut fit in his rebus, nullo subti-

liori indicio adhibito, varia et aliena exempla negligenter confundunt, nec multa in scriptoribus restant bina vocabula composita, quae illi non ad hanc formam referant, quemadmodum nuper fecit Car. Ludov. Rothius singulari libello de Taciti Synonymis conscripto. Exemplorum igitur satis magna copia iam notata est: attamen nemo eas conditiones, quibus hic usus constat, accurate observavit. Atque eae in hac regula positae esse videntur. Nomen, quo addito ipsa alterius nominis notio constituitur et amplior redditur, huic inhaeret, ideoque ex universa inhaerentium notionum natura apud Latinos ubique praecedit, sed ita positum semper coniungitur per *et*, veluti *varietatem et naturam sonorum* Cicero dixit pro varietatis natura, sive varia natura sonorum. Vbi vero illud nomen, quod secundarium appellaverim, post primarium nomen ponitur, coniunctio fit per *atque* et *que*. Hic usus bonis certe scriptoribus omnibus communis est, eiusque ratio ex universa particulae natura facile intelligitur: et quae apud elegantes scriptores ab hac lege abhorrere videntur, ea non in se habent nomina hoc nexu sibi inhaerentia, sed seorsum apposita.

Tacitus quod Hist. 2, 70. dixerat *clamore et gaudio deflectere via.* id alia ratione dicit. 4, 49. *gaudio clamoribusque cuncta miscebant.* Cic. de Leg. 3, 16, 36. *utinam — isto animo atque virtute in summa republica versari quam in municipali maluisset:* bene Goerenzius interpretatur: animo tanta virtute praedito. Sallust. Cat. 3, 5. *me — eadem quae ceteros fama atque invidia vexabat.* i. e. invidiosa fama: sed Tacit. An 3, 74. *gaudio et impetu victoris exercitus.* i. e. gaudii impetu. Cic. in Catil. 4, 1, 2 *vacui mortis periculo atque insidiis.* i. e. mortis periculo inter insidia. Liv. 21, 3, 1. *imperatorque ingenti omnium clamore atque assensu appellatus erat.* 38, 49, 5. *detrectare virtutes, corrumpere honores ac praemia earum.*

Tacit. Hist. 1, 69. *ne Vitellius quidem minis ac verbis temperabat.* non sunt minacia verba, sed *verba*, quae minis quodammodo opponuntur, sunt alloquia blanda, ut apud Propert. 1, 13, 32. Liv. 6, 11, 5. *nisi a se prius Capitolium atque arx servata esset.* non dicitur pro Capitolina arce, quod in hac sententia nullam vim haberet, sed Capitolium atque urbis arx. Sallust. Cat. 2, 2. *periculo atque negotiis compertum est, in bello plurimum ingenium posse.* male explicant *periculosis*

negotiis: in bello enim ingenium comprobant et pericula et militaria negotia. Cic. de Nat. D. 2, 60, 150. *digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio propter mollis commissuras et artus nullo in motu laborat.* ne accipias pro commissuris artuum, intellige porrectionem digitorum, quae fiat per molles commissuras et per artuum aptam naturam.

6. Sed hoc etiam ad universum usum spectat. Nam in nominibus per ATQVE coniunctis proprietatem aliquam habet ipsa collocatio. Nomen enim posteriori loco positum, et per *atque* nexum, aut gravitate et maiore vi praevalet, aut notionem continet, quae antecedentem distinctius reddit, aut universam aliquam rem significat, ad quam id, quod antea dictum est, tamquam pars attinet, ubi nos usurpamus *und überhaupt*, aut denique in se habet aliquam consequentiam, quae explicari potest per *ideoque*, *und sonach*, *und also*. Haec aperte comprobantur communi omnium, qui non negligenter, sed cum iudicio et ornate loquuntur, scriptorum usu, et si quae iis contraria reperiantur, non observationis errorem, sed elegantiae defectum indicabunt, nisi ipsa sint alieni generis. Nam non omnia vim habent oratoriam, et possunt etiam per *atque* coniungi aequalia, in quibus neutra pars praevalet.

Ad primum genus haec pertinent: Tacit. Hist. 2, 70. *foedum atque atrox spectaculum.* An. 13, 19. *nihil rerum mortalium tam instabile ac fluxum est quam fama potentium.* Cic. Verr. 2, 17, 42. *quum multis lacrymis eum oraret atque obsecraret.* Alia paullo post dabimus.

Secundi generis sunt: Sallust. Cat. 2, 9. *is demum mihi vivere atque frui anima videtur* etc. Cornel. Iphic. 1, 1. *pro sertis atque aeneis linteas dedit.* ubi Bremi explicat *und namentlich.* Liv. 2, 31, 1. *per dolum ac proditionem prope libertas amissa est.* i. e. et per proditionem quidem: sed alia ratione Tacit. Hist. 1, 7. *crimen ac dolum compositum ultro.* i. e. crimen dolosum. Tacit. Germ. 34. *sanctiusque ac reverentius visum de actis deorum credere quam scire.* Cave tamen, ne explices per *id est.*

Vniversam rem post singularem notant haec: Cic. p. Domo 28, 74. *de meo consulatu ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt.* De Fin. 1, 10, 34. *Siccine eos censes aut in armatum hostem impetum fecisse, aut in liberos, atque in sanguinem suum tam crudeles fuisse.* i. e. *gegen seine Kinder und überhaupt seine Blutsverwandte.*

Ita accipiendum Cic. Lael. 14, 50. *ut bonos boni diligant adsciscantque sibi quasi propinquitate coniunctos atque natura.* ubi aliter Gernhard. De Rep. 1, 26. *suscipiendum est multitudini atque omnibus.* ubi Creuzerus vacillat. Et fortasse, si integra sunt verba, Catil. 1, 2, 4. *num unum diem postea L. Saturninum — mors ac reipublicae poena remorata est.* Liv. 3, 6, 19. *circuitio ac cura aedilium plebi erat,* ubi nihil mutandum.

Consequentia apparet in his: Sallust. Iug. 50, 4. *infensi adesse atque instare.* Cic. p. Leg. Man. 24, 69. *quidquid hoc beneficio populi romani atque hac potestate praetoria — possum.* i. e. et ita per hoc beneficium delata potestate. De Nat. Deor. 1, 15, 39. de quo loco dixi in notis ad Wopkens. Lect. p. 199. *universa atque omnia continens natura* est quae universa eaque omnia singula contineat. Plin. Hist. n. 27, 9. (55.) *est autem singularis atque non fruticosa, brevior molliorque et densior.* 7, 25. (26.) *illa fuit vera et incomparabilis invicti animi sublimitas captis apud Pharsaliam Pompeii M. scriniis epistolarum iterumque apud Thapsum Scipionis: concremasse ea optima fide atque non legisse.* Tacit. An. 5, 3. *magno senatus pavore ac silentio.*

Locus est Cic. de Fin. 1, 10, 34. *At id ne ferae quidem faciunt, ut ita ruant, itaque turbentur, ut earum motus quo pertineant, non intelligamus.* in quo Goerenzius, quum in vocabulo *ita* vim repositam esse, et gravius verbum *ruant* praemitti non posse notasset, restituit *atque turbentur:* quod nullo pacto probari potest. *Itaque*, quod cum vi positum esse a Cicerone negavit Goerenzius, eodem modo legitur p. Cluent. 19, 51.

His prorsus contraria docuit nuperrime Chr. Gottl. Herzogius in Observat. in nonnullos vet. script. locos Part. I. Gerae 1828. edita p. 23. particulam *atque* non modo aequalia et similia consociare ita, ut pari dignitatis gradu collocata videantur, sed quae vi ac potestate praevaleat, eam primo loco poni vocem, significatione inferiorem, certe posteriorem, altero loco. Quorum rationem nunc non respicio, sed exempla allata. Ea haec sunt Caes. B. G. 1, 31. *qui et sua virtute et populi romani hospitio atque amicitia plurimum ante in Gallia potuissent.* 1, 25. *sibi populoque romano perpetuam gratiam atque amicitiam cum eo futuram.* 1, 40. *ut — intelligere posset, utrum apud eos pudor atque officium, an timor valeret.* In his non video, quomodo vir doctus vocabulum priori loco positum cum maiori et animi et vocis intentione

pronuntiandum esse senserit. Nonne gravior est amicitia quam hospitium et gratia? an praestat pudor officio? *Officium* enim non intelligimus aliquem pudoris effectum, sed quod nos dicimus *Pflichtgefühl.* Quod vero Herzogius addit de nominibus effectum significantibus, et posteriori loco ponendis, id recte observavit. Atque in iis rationem efficit necessitudo notionum nectendarum, ut supra demonstravimus.

Non operae pretium est addere exempla, in quibus *ac* non ita distinguat rerum gravitatem, sed in utraque parte aequum appareat pondus. veluti Quinctil. Inst. 5, 7, 10. *haec quoque pars acumen ac vigilantiam poscit.* Plura iam supra allata sunt: et maxime conspicua formula *alii atque alii.* Liv. 22, 15, 7. vid. infra V, 1.

7. His praeceptis nos universum particulae usum complexi sumus, quem alii diversis locis disponere solent. Tamen etiam haec singula sunt percensenda. Atque fuerunt, qui cognita ista, quam notavimus, aequalitatis notione, *atque* pro *tum* poni posse contenderent. Apertus est eorum error: id ipsa, quibus illi usi erant, exempla demonstrant.

Cic. ad Fam. 15, 11. *itaque nihil est tantum, quod ego non tua caussa debeam facturusque sim quum studiose ac libenter.* Multi, et cum iis Laguna et Schützius scripserunt *tum libenter*, hic in secunda editione *tum studiose, tum libenter.* At nihil sanius istis verbis *studiose ac libenter*, quae, ut ex aliis locis posthac elucebit, formulam efficiunt. Et legendum videtur: *facturusque sim quam studiose ac libenter.* In Cic. de Nat. D. 2, 58, 145. codices exhibent *colorum etiam et figurarum tum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant.* Omnes editores facili negotio abiecerunt *tum.* Si quis vero totam sententiam comprehenderit, ipse videbit, non de coloribus et figuris artium agi, sed haec nomina adscripta esse ab interpolatore aliquo, iisque omissis bene procedere orationem hanc: *Primum enim oculi in iis artibus, quarum iudicium est oculorum, in pictis, fictis caelatisque formis, in corporum etiam motione atque gestu multa cernunt subtilius: tum venustatem atque ordinem et, ut ita dicam, decentiam oculi iudicant: atque etiam alia maiora.*

8. ATQVE quum duas res aequa ratione componat, et notionum seriem continuet, ideoque in iis ponatur, quibus ea, quae antea dicta erant, distinctius confirmantur, aut aliquid maioris momenti additur, critici docuerunt, *atque* dici pro *atque adeo* et *immo:* quod

improbari non potest, modo ne maioris rei indicium in particula expressum putemus. Vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 11. p. 71. de Leg. 3, 14. p. 260. de Fin. 1, 16. p. 73. Bremi ad Cornel. Hann. 2, 4. Gernhard. ad Cic. Offic. 2, 23, 83. Matthiae ad Or. p. lege Man. 18, 54. et Catil. 2, 12, 27. Cf. quae de voc. *atque adeo* infra.

Sallust. Iug. 14, 11. *fratre meo atque eodem propinquo suo interfecto.* Terent. Heaut. 4, 5, 15. *faciam boni tibi aliquid pro ista re ac lubens.* Cic. Orat. 16, 52. *rem difficillimam, dii immortales, atque omnium difficillimam.* Tusc. 5, 15, 45. *hebeti ingenio atque nullo.* Parad. 6, 1. *Si testamenta amicorum exspectas, aut ne exspectas quidem atque supponis.* Catil. 4, 9, 18. *ex plurimis periculis et insidiis atque ex media morte.* ubi vid. Matthiae. cf. 1, 5, 11. Virgil. Aen. 1, 30. *reliquiae Danaum atque immitis Achilli.*

Quod Sallustius Cat. 52, 35. dixit: *alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes:* id Cicero in Catil. 1, 2, 5. *ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus.* In Sallustii loco Frotscherus eiecit copulam, quod non probaverim.

9. Id praesertim in responsionibus iis apparet, quibus non tantum id, quod ab altero colloquentium dictum erat, conceditur, sed aut additur aliquid maius et gravius, aut distinctius illud constituitur, utrumque autem uni aequali rationi submittitur.

Plaut. Pseud. 2, 4, 49. PS. *Ecquid habet is homo aceti in pectore?* CH. *Atque acidissimi.* i. e. itemque acidissimi, et adeo acid. Bacch. 3, 6, 9. PIST. *Num quae advenienti aegritudo obiecta est?* MN. *Atque acerruma.* Terent. Eun. 5, 3, 6. PY. *quid ait? cognoscitne?* CH. *Ac memoriter.* Andr. 2, 1, 39. CH. *fugin hinc?* BY. *ego vero ac lubens.* Plaut. Men. 1, 2, 40. Mil. 2, 3, 66. 2, 4, 15.

10. Non diversa est res, ubi, ut paullo ante commemoravimus, addita alia notione ea, quae praecedit, pressius magisque definitur: quod interdum etiam per *atque adeo* exprimitur. Nec multum id differt a verbis *et quidem.* Quare ipsum *quidem* adiici potest. vid. Oudendorp. ad Suet. Ner. 10.

Plaut. Bacch. 3, 6, 39. M. *Quid amas Bacchidem?* P. *Duas ergo hic intus Bacchidas.* M. *Quid? duae?* P. *Atque ambas*

sorores. Nos: *und dazu, und zwar zwei Schwestern.* Caesar. B. Civ. 1, 50. *quod ex totis ripis in unum atque angustum locum tela iaciebantur.* Cic. Catil. 1, 10, 25. *nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflatam improborum manum.* 1, 5, 11. *magna diis immortalibus habenda est gratia atque huic ipsi Iovi Statori.* Celsus 1, 2. p. 23. *cursus, ambulatio, atque haec non utique plana.* Cic. de Fin. 1, 9, 31. *animo ac ratione intelligi posse.* ubi Goerenzius notat vim explicativam. cf. ad 5, 12, 35. De Leg. 1, 10, 28. *quam tu longe iuris principia repetis atque ita, ut ego non modo ad illa non properem* etc. ubi Goerenzius male explicat per *sed.* 3, 14, 34. *pauci enim, atque admodum pauci.* cf. de Off. 1, 44, 157. Sueton. Ner. 10. *omnes ordines subinde, ac memoriter salutavit.* De Fin. 5, 14, 40. *Sic et extremum omnium appetendorum atque ductum a prima commendatione naturae multis gradibus adscendit.* ubi coniecerunt *idque.*

Additur *quidem* apud Plaut. Epid. 1, 1, 27. EP. *ubi arma sunt Stratippocli?* TH. *Pol illa ad hostes transfugerunt?* EP. *Armane?* TH. *Atque quidem cito.* Cic. de Leg. 2, 5, 12. *id estne numerandum in bonis?* Q. *Ac maximis quidem.*

Hoc modo etiam sententiae, nominum instar, coniunguntur per *atque ut.* Plaut. Bacch. 5, 2, 67. *isne tu hac mecum intro, atque ut eis delicta ignoscas?* i. e. et ita quidem ut. quod expressum Cic. de Leg. 1, 10, 28.

11. Dicitur *atque id*, sicuti *idque*, ubi novum aliquid ex aequo additur, quo res maior vel gravior esse videatur, aut distinctius definiatur.

Cic. ad Att. 5, 12. *negotium magnum est navigare, atque id mense quintili.* 1, 14. *distinebar, ut huic vix tantulae epistolae tempus habuerim, atque id ereptum e summis occupationibus.* In iis, quae paullo post leguntur, *respondit et id multis verbis*, non diserte exprimitur majus, quod aeque considerandum sit, momentum. Differunt enim haec, ut nostra verba *und dazu noch.* i. e. *und sogar*, et *und dies.* Caes. B. Civ. 1, 27. *maximis defixis trabibus atque eis praeacutis.* B. Gall. 5, 14. *duabus missis subsidio cohortibus a Caesare, atque his primis legionum duarum.* Prima enim quaeque cohors praestare solebat reliquis. vide Heldium ad h. l. Ita saepe *atque eo magis.* Caes. B. Gall. 3, 14. 5, 1.

12. In comparationibus, quia res duae ex aliqua parte aequiparantur, propriam sedem occupat *atque*, ubi

alia ex ratione *quam* dicitur. Sufficere poterat in his, expresso ipso similitudinis nomine, simplex particula copulativa: quare Graeci etiam *καί* usurpabant. Non item Latini. Ii enim necessariam putabant aequationis particulam, et ad hunc usum diversitatis quoque et dissimilitudinis comparationem revocabant, utramque eodem modo per particulam *atque* designantes, sicuti Graeci *τέ* et *τέ* — *καί* dicebant. Quo differat usus vocabuli *quam*, suo loco exponemus. Ne quis tamen existimet, in his apparere aliquam vim opponendi, quam ii agnoscunt, qui *atque* ab *at* deducunt, animadvertendum est, in quacumque comparatione mutuam esse rationem.

Hac de re iam antiqui grammatici praecepta agitaverunt. Et Nonius Marc. *atque* ab *ac* distinguens 12, 44. *habet etiam huiusmodi intellectum, ut dicas, aliter ego feci et locutus sum atque tu, hoc est aliter ego ac tu vel quam tu.* Gellius 10, 29. *nam et pro adverbio valet, cum dicimus aliter ego feci atque tu: significat enim aliter quam tu.* Priscianus 18, 249. p. 1192. *et nota, quod ex huiusmodi structura graeca frequenter Latini ac et atque in significatione similitudinis accipiunt,* ut *similis est haec oratio atque ante. Virgilius in* III. *Aeneid.* [3, 236.] *haud secus ac iussi faciunt. — Facio atque feci ante pro sicut ante feci.*

Iam singula exempla afferamus. Ponitur enim *atque* post *aeque.* Cic. de Nat. D. 3, 10, 45. *at hi quidem coluntur aeque atque illi.* Lael. 6, 22. *qui illis aeque ac tu ipse gauderet.* de Div. 1, 22, 45. Terent. Andr. 4, 2, 19. vid. Hadr. Cardinal. de modis lat. loq. p. 8. b. — post *aequus.* Cic. Verr. 3, 19, 49. *quum ex provincia populi rom. aequam partem tu tibi sumpseris atque populo rom. miseris.* Liv. 39, 37, 14. *modo ne in aequo hostes vestri nostrique apud vos sint ac nos socii: immo ne meliore iure sint.* — post *idem.* Cic. de Inv. 2, 23, 70. *in hanc argumentationes ex iisdem locis sumendae sunt atque in caussam negotialem.* Cato de Re R. 48, (49,) 1. *ad eumdem modum atque* —. vid. Hadr. Cardinal. p. 9. b. Ruddimann. 2. p. 94. — post *item.* Varro de Re R. 2, 7, 15. *non item sunt spectandi atque habendi.* De Ling. lat. 9, 4. (10, 4, 179. Sp.) — post *iuxta.* vide infra hoc voc. et Hadr. Cardin. p. 9. b. — post *par.* Plaut. Mil. 4, 6, 36. *si parem sapientiam hic habet ac formam.* Cic. de Nat. D. 3, 1, 3. *neque enim mihi par ratio*

cum Lucilio est, ac tecum fuit. Corn. Datam. 3, 5. *pariqne eum atque illos imperio esse iussit.* Hannib. 5, 3. — post *pariter.* Plaut. Men. 5, 1, 52. *pariter hoc atque alias res soles.* Terent. Phorm. 5, 3, 3. *pariter nunc opera me adiuvas ac re dudum opitulata es.* Liv. 2, 33. 10. — post *perinde.* vid. hoc vocabulum. — post *simile* et *similiter.* Cic. Verr. 3, 83, 193. *aliquid ab isto simile in aestimatione atque a ceteris esse factum.* Philipp. 1, 4, 9. *neque vero illum similiter, atque ipse eram, commotum esse vidi.* p. C. Rab. 5, 14. ubi vide Ernestium. Agrar. 1, 4, 13. Columell. 5, 7, 3. *cetera simili ratione atque in arbusto italico administrantur.* Liv. 6, 28, 6. Vid. Hadr. Cardinal. p. 5. — post *talis.* Terent. Phorm. 5, 9, 39. *faxo eum tali mactatum atque hic est infortunio.* Cic. in Vatin. 4, 10. *honos talis populi romani voluntate paucis est delatus ac mihi.* — post *totidem.* Cornel. Milt. 7, 4. *cum totidem navibus atque erat profectus.*

13. Eodem modo Latini dicunt in conferenda re dissimili, in qua Graeci non utuntur copulativa. vid. Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 1, 46. Hermann. ad Viger. n. 321.

Post *alius.* Plaut. Pseud. 4, 7, 35. *illi sunt alio ingenio atque tu.* Cic. de Leg. 2, 7, 17. Terent. Andr. 3, 3, 13. Cic. Orat. 71, 237. *potest enim non solum aliud mihi ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias videri.* Acad. 2, 5, 15. Vide multa exempla apud Hadr. Cardinal. p. 4. et apud Ruddimann. T. 2. p. 94. not. Saepe etiam cum negatione, ut Cic. ad Fam. 1, 9, 61. *in republica non alius essem atque nunc sum.* Auctor de B. Afric. 35. *neque enim aliud ius esse Cappadociae atque Armeniae.* Tamen non sine caussa dubitat Toepferus in Actis soc. Lat. Ienens. III. p. 174. an ab ullo antiquo scriptore umquam dictum fuerit *nihil aliud atque.* — post *aliorsum.* Terent. Eun. 1, 2, 2. *aliorsum atque ego feci.* — post *aliter.* Cic. Verr. 1, 46, 119. *aliter atque ut edixerat.* Acad. 2, 31, 101. Tusc. 3, 30, 73. ad Att. 16, 13. *si aliter scribo ac sentio.* Vid. Hadr. Cardinal. p. 6. — post *aliusmodi.* Caesar in Anticatone priore: *uno enim excepto, quem aliusmodi atque omnis natura finxit suos quisque habet charos.* Priscian. 6. p. 694, 18. ubi in Krehliana edit. typographus absurdum dedit *habere charos.* p. 717, 25. 7. p. 740, 25. Caelius in 1. Hist. *neque ipsi eos alii modi esse atque Amilcar dixit ostendere possunt aliter.* Priscian. p. 960, 11. — post *contra.* vid. hoc voc. et Hadr.

Cardin. p. 7. b. — post *contrarius*. Cic. Somn. Scip. 4, 9. *contrario motu atque coelum*. Verrin. 1, 46, 120. *contrarium sine ulla religione decernebat ac proximis paullo ante decreverat*. ubi Ernestii nota ex superiore loco corrigenda est. — post *dissimile*. Cic. ad Att. 2, 3. *quod non est dissimile atque ire in Solonium*. vid. Hadr. Cardinal. p. 5. — post *secus*. vide hoc voc. et Hadr. Cardinal. p. 7. a.

14. In his comparandi formulis particula ATQVE sibi coniuncta habere potest vocabula *ut* et *si*, unde fit *aliter atque ut*, *aliter ac si*, quae non tam rara sunt quam putat Menckenius in Observ. p. 45. vid. in ALITER p. 269. Wopkens. Lect. Tull. p. 118. (86.)

Cic. in Verr. 1, 46, 119. *quod iste aliter atque ut edixerat, decrevisset*. quem locum iure defendit Stewechius. Tusc. 3, 30, 73. *et qui suos casus aliter ferunt atque ut auctores aliis ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores*. ubi Ernestius cum Davisio eiecit *ut*. ad Att. 2, 18. *quo aliter ager possideatur atque ut ex legibus iuliis*. 16, 13. *de Antonii itineribus nescio quid aliter audio atque ut ad te scribebam*. ita enim olim legebatur. Vid. Wopkens. Lect. Tull. 1, 15. p. 86. Plautus etiam Amph. 4, 1, 11. *pariter hoc fit atque ut alia facta sunt*. et Casin. 5, 1, 8. Vlpian. Dig. 43, 13, 11. *si ob id aliter aqua fluit atque uti priore aestate fluxit*. quod antea *aliter fecit fluere, quam priore aestate fluxit*. Cf. *proinde atque ut*.

Cic. p. Rosc. Com. 5, 15. *perinde ac si*. Iustin. 31, 5, 7. Cic. de Nat. d. 3, 3, 8. *similiter ac si*. p. Red. in s. 8, 20. *iuxta ac si*. ad Fam. 13, 43, 3. *aeque ac si*. p. Mur. 4, 10. *non secus ac si*. Liv. 5, 5, 2. *non dissimilia ac si*. De verbis *aliter ac si* vide in ALITER p. 270.

15. Ipsa, quae in his clare expressa est, comparatio interdum paullo obscurior aliis verbis continetur: quem ad modum dicitur *nimis atque ut*, *in partem atque* et alia.

Plaut. Bacch. 4, 4, 73. *nimis bellus atque ut esse maxume optabam locus*. Mil. gl. 3, 1, 168. *haud centesimam partem dixi atque, etiam rei si sit, possim expromere*. Caes. B. Gall. 1, 28. *in parem iuris libertatisque conditionem, atque ipsi erant, receperunt*. Sulpic. in Cic. Epist. 4, 5. *posteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo ac debui graviter molesteque tuli*. Vlpian.

Dig. 28, 1, 22, 4. Cic. de Inv. 1, 32, 54. *pro eo ac si concessum sit.* Post *proxime* Cic. ad Fam. 9, 13, 4. *non possum ego non aut proxime atque ille, aut etiam aeque laborare.* vid. Schelleri Observ. p. 174.

Huc pertinet etiam verbum *mutare*, quod ponitur pro *aliud esse.* Plaut. Mil. 4, 3, 37. *numquid videtur demutare atque uti ego dixi?* Amph. 1, 1, 118. *neque se luna quoquam mutat atque uti exorta est semel.*

16. Sed etiam vocabulo, quod similitudinem vel dissimilitudinem significet, omisso, ATQVE comparationi inservit ita, ut *aeque*, *tantopere* vel aliud huius generis verbum intelligendum sit. Id facile e contextu verborum colligitur. Propriam particulae vim aequandi quis non agnoscat? Oratores tamen abstinuerunt hac brevitate: non item iurisconsulti.

Plaut. Cas. 4, 4, 21. *nebula haud est mollis atque huius est.* ubi Lambinus addidit *aeque*, sed bene illustravit usum Taubmann. quem vide etiam ad Amph. 2, 4, 8. et Stewech. s. v. *aeque.* Bacch. 3, 6, 20. *quem esse amicum ratus sum atque ipsus sum mihi.* Priapei. 32, 7. *quae succo caret atque putris pumex.* Cic. ad Fam. 12, 13. *neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipsi tuo iudicio digne ac mereor commendatus esse.* Ita restituit Ernestius, quamquam adeo de verbis *ac mereor* sollicitus. Sed vid. Schelleri Observ. p. 178.

Sic etiam in formula *ac si.* Paullus in Digest. 2, 14, 4, 3, *conditionem inesse stipulationi, atque si hoc expressum fuisset.* 19, 2, 54. Tryphoninus 23, 3, 76. Alia vid. apud Stewech. Inscriptio apud Gruterum p. 475, 3. *commodisque publicis, ac si decurio frueretur.*

17. Vsus particulae ATQVE post adiectivorum comparativos, in quo ea ad vicem vocabuli *quam* propius accedit, notandus est propter ipsos auctores et tempora. Oratores enim hac dictione numquam, aut rarissime utuntur, frequentius poetae. Et veteribus ea iam cognita erat: recentioribus elegantiae caussa magnopere placuit.

Plaut. Merc. 5, 2, 56. *amicior mihi nullus vivit atque is est.* Terent. Andr. 4, 2, 15. *non Apollinis magis verum atque hoc responsum est.* ubi Ruhnken. Virgil. Aen. 3, 561. *haud minus ac iussi faciunt.* Catull. 61, 176. *illi non minus ac tibi pectore uritur intimo flamma.* Horat. Sat. 2, 7, 96.

1, 2, 21. Epod. 15, 5. vid. Bentlei. et Heindorf. ad Sat. 1, 1, 46. Sueton. Caes. 14. *sententiam — velut gravius atque ipse sensisset, exceptam.* Cf. Schelleri Observat. p. 316.

E Ciceronis libris affertur ad Attic. 13, 2. *mihi quidem videtur etiam diutius afuturus ac nollem.* Sed haec extrema verba seiungenda sunt a superioribus, ut sensum habeant: *ac tamen nollem.*

Antecedente negatione sequitur *atque ut.* Plautus Cas. 5, 1, 7. *nec fallaciam astutiorem ullus fecit poeta atque ut haec est fabre facta a nobis.*

18. Duae res, quae uno tempore factae sunt, quum in aequo ponantur et unitate temporis cohaereant, formulae fiunt verborum *simul atque*, *principio atque*, et apud recentiores scriptores *statim atque.* Quo modo *atque* in nectendis sententiis adhibeatur, ne cum Schützio et Forcellino existimemus in Plauti Merc. 3, 1, 34. *ita edepol deperit te, atque hodie primum vidit. atque* positum esse pro *simul atque*, deinceps animadvertendum erit.

De verbis *simul atque* suo loco dicemus. Plaut. Merc. 1, 1, 40. *principio atque animus ephebis aetate exiit.* — Vlpian. Dig. 21, 1, 25, 8. *iudici enim, statim atque factus est, omnium rerum officium incumbit.* Paullus Dig. 16, 1, 24. *quamvis, statim atque intercessit, mulier competierat.*

19. Vbi alicui notioni alia, quae negatur, definitionis caussa adiungenda, ideoque in aequo ponenda est, eam Latini non per *nec*, sed per *ac non* tum nectunt, quum inter utramque intercedit oppositio recta, in qua etiam copulam omittere licet. Illud enim, quod antea dictum est, iterum negativa notione constituitur. Et ita loquitur, qui ea, quae praecesserant, corrigit potiore nomine. Sed differt hic usus a verbis *et non*, quia in *ac non* inest aliquod consequutionis vel conclusionis indicium. Nos dicimus *und so nicht*, *und sonach nicht.* Haec vero etiam pronuntiatione distinguuntur. Nam ubi *ac non* dicitur, vox paullulum post *ac* subsistit, quo gravior vis imponatur vocabulo *non.* Seiunctam negationem maiorem vim in se habere, quam quae in *nec* cum coniunctione coalescat, per se patet. Conf. Heusingeri Emendat. p. 457. Saepe *ac non* in correctionis formula potest explicari per *ac non potius*, quod ipsum alias legitur. Matthiae ad Cic. Epist. 9. p. 17. 46. p. 124.

Cic. de Leg. 1, 20, 54. *perparvam vero controversiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia.* p. Domo 50, 128. *sit*

sane hoc de nostris aedibus, ac non de publicis templis. p. Rosc. Am. 33, 92. *quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur, eum* etc. de Nat. d. 2, 6, 17. ad Att. 1, 16. *nemo erat, qui illum reum, ac non millies condemnatum arbitraretur.* Liv. 8, 27, 2. *Tarentini — postquam Romanos urbe potitos accepere, velut destituti ac non qui ipsi destituissent, increpare Palaepolitanos.* 7, 3, 9. Terent. Heaut. 4, 4, 2. *quod si is nunc me deceperit saepe obsecrans me ut veniam, frustra veniet: aut quum venturam dixero et constituero — decipiam ac non veniam.*

Id autem non fortuito factum esse videtur, quod in plurimis exemplis enuntiatio conditionalis per *si* et *quasi* efformatur. Terent. Eun. 1, 2, 60. Cic. Verr. 1, 31, 80. 3, 30, 72. 48, 113. p. Domo 50, 128. Part. orat. 39, 136. ad Fam. 3, 2, 6. Nimirum id, quod in recta enuntiatione alicui rei inhaerere dicitur, in conditionali in eius loco substituitur. Hinc vis illa verborum *und sonach nicht* mutatur in *und vielmehr nicht.*

Per *ac non potius* explicabis haec: Cic. Agrar. 2, 37, 101. *quis enim umquam tam secunda concione legem agrariam suasit quam ego dissuasi? si hoc dissuadere est ac non disturbare ac praevertere.* conf. ad Fam. 3, 2. extr. Sulpic. in Cic. Epist. 4, 5, 14. *hoc te exspectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapientia tua te occurrere.* Ita defendenda videntur verba in Taciti Dialogo 1. *vix, hercule, auderem, si mea sententia proferenda, ac non disertissimorum, ut nostris temporibus, hominum sermo repetendus esset.* Additur voc. *potius.* Cic. Verr. 3, 79, 183. *quamobrem enim scriba deducat ac non potius mulio, qui advexit?* in Catil. 2, 6, 12.

Atque non proprium est Plinio. Dixit ille ita in Hist. n. 7, 25, 26. 22, 24, 50. 29, 2, 9. 27, 9, 55. 31, 7, 39. et alibi. Reliquis scriptoribus certa videtur fuisse huius dictionis una forma. Neque huc pertinent haec: Terent. Adelph. 3, 3, 38. *nimium inter vos, Demea (ac non, quia ades praesens, dico hoc) pernimium interest.* Cic. Verr. 4, 65, 145. *postea decernitur (ac non varie, sed prope coniunctis sententiis) ut* etc. In his enim non notiones componuntur, sed est parenthesis ea ratio, quam posthac illustrabimus.

Matthiae ad Cic. p. Rosc. Am. 33, 93. subtiliter ita praecipit: *ac non* et *et non* poni, ubi id, quod praecesserat, corrigatur, ita ut *potius* suppleri possit: quae post *ac non* sequuntur, vera esse significari: at ubi post prius membrum aiens alterum negans sequitur, ita ut eorum ordo inverti, et *non* —

sed poni possit, negationem simplici *non* exprimi. Equidem paullo aliter rem conceperam. *Non* ponitur enim, non *nec*, propter oppositionem notionum rectam. Interponitur *et non* ad coniungenda membra, quorum alterum cum altero datur. Sed *ac non* dicitur, ubi aequatio ex aliqua conclusione intercedit, et vis potioris notionis significatur. Quod vero in altero membro negante Matthiae id animadvertit, quod verum sit, positum est in conformatione sententiarum conditionalium, non in significatione particulae. Nec confirmatur illa observatio usu. Nam in Cic. de Orat. 2, 56, 227. *illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum, et non huius rei quoque palmam, ut ceterarum Crasso detulisse.* et de Leg. 1, 20, 54. *perparvam controversiam dicis, ac non eam quae dirimat omnia:* illud, quod altero loco positum, non re vera factum erat, sed ordo inverti, et reddi potest per *non — sed.* Nec facile demonstrabitur Ciceronem Tusc. 2, 12, 28. non potuisse scribere: *quasi de verbo, non de re laboretur:* sicuti ad Fam. 3, 7, 4. scripsit: *quasi vero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me venire debuerint.*

II. 1. Nunc ad usum particulae in coniungendis sententiis transgrediamur. Atque ille, quem in notionibus copulandis hucusque demonstravimus, nexus aequalitatis idem inter duas sententias locum habet, ubi aut alteri, quae sequitur, aequalem vim et dignitatem tribuimus, aut altera cum altera priori caussae ratione, vel temporis continuitate, vel argumentationis consequutione cohaeret. Quare ponitur ATQVE in rebus vel exemplis unius generis comprehendendis. Nos dicimus *eben so*, *und eben so.* Id interdum gravius exprimitur additis verbis *sic*, *similiter* et aliis.

Terent. Hecyr. 5, 4, 18. quum Pamphilus dixisset, *antiquam adeo tuam venustatem obtines.* Bacchis ait: *Ac tu ecastor morem antiquum atque ingenium obtines.* i. e. item tu. Cic. de Leg. 2, 10, 24. *atque haec mea quidem sententia est. eben so ist meine Meinung.* de Orat. 3, 47, 183. Cic. de Invent. 2, 52, 157. enarratis rerum expetendarum generibus, addit: *atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur.* i. e. et item, et aeque. Tacit. Ann. 1, 47. *quos igitur anteferret? ac, ne postpositi contumelia incenderentur.* Wolfius mirabili subtilitate haec: „*ac* insertum est, ut melius distinguantur duo momenta. primum optio ipsa, tum metus.“ Cur autem ita distinguantur, ille non dixit, neque etiam quo modo fieri potuerit distinctio per *ac*. Sed ad-

dit: „male *ne* explicares *ita ut ne.*“ At pendet constructio a verbo *angebant* ante posito. Nam dicit auctor: angebat, quos anteferret, et item (id quod aequo modo considerandum) ne postpositi contumelia incenderentur. Nihil utique clarius esse potest. Cic. de Fin. 5, 11, 33. *tamen concedo, qui de hoc dissentiunt, existiment quod velint, ac vel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me.* Goerenzius explicuit: sed certe hoc teneant: quod et a particulae natura et a sententia scriptoris alienum est. Intelligo potius: existiment, quod velint, et ita vel hoc intelligant. Melius rem perspexit Goerenzius in explicandis locis de Fin. 1, 18, 58. 1, 10, 30. 4, 4, 9. quamquam Graecum τέ, non καί debebat comparari. Lael. 9, 30. *Africanus indigens mei? Minime hercle. Ac ne ego quidem illius.* Gernhardus explicuit, *et sane:* at est: *et item ego: und so auch ich nicht seiner.* Goerenz. in Iahnii Annal. 1, 2. p. 303. non recte explicuisse videtur *ac* per *ja selbst*, quo adiiceretur orationi acerbum quid. Nec dubitarem restituere, quod Bentleius removit, in Horat. Sat. 1, 10, 31. *atque ego cum graecos facerem natus mare citra versiculos.* Addit enim poeta suum exemplum reliquis simile.

Quinctil. 3, 6, 77. *ac similiter in translatione* etc. 12, 10, 67. *Ac sic prope innumerabiles species reperiuntur.*

Ita emendandus videbitur locus Ciceronis de Div. 1, 36, 78. *fiunt certe divinationum coniecturae a peritis. Midae illi Phrygio, quum puer esset, dormienti formicae in os tritici grana congesserunt. Divitissimum fore praedictum est: quod evenit. Ac Platoni, quum in cunis parvulo dormienti apes in labellis consedissent, responsum est singulari illum suavitate orationis fore.* Vulgo *At Platoni.* Vtrumque bene se habet: *ac* est *et item:* de *at* vid. p. 422.

2. Neque aliter ATQVE ponitur in argumentis afferendis similibus et in rebus universam sententiam illustrantibus: quo perducitur argumentatio ad aliam rem aequa ratione conspiciendam. Vid. egregiam expositionem loci Cicer. de Offic. 3, 15, 61. in Bav. Voordae Lect. Tull. c. 18.

Cic. Orat. 55, 184. ubi quum dictum esset, saepe poetarum orationem solutae simillimam esse, pergit demonstratio: *Ac comicorum senarii propter similitudinem sic saepe sunt adiecti, ut nonnumquam vix in his numerus et versus intelligi possit.* Critici mutaverunt *At*, sed in cod. Gud. recte legitur *Ac.* In Laelii 19, 68. sine dubio legendum est: *maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Atque in ipso equo,*

cuius modo mentionem feci, si nulla res impediat, nemo est, qui non eo quo consuevit, libentius utatur quam intractato et novo. Vulgo: *atqui.* quod esset *nun aber:* requiritur autem *und so.* Quod Gernhardus nuper edidit *quin ipso equo,* in hoc quidem contextu intelligi vix potest, neque exempla ibi comparata conveniunt. Mutata constructio in verbis *in ipso equo — nemo est, qui non eo utatur* nullam offensionem habet. Cic. p. Arch. p. 7, 15. *ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae. und so behaupte ich dasselbe, wenn* etc. De Leg. 1, 15, 42. *ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neque natura est, eaque quae propter utilitatem constituitur, utilitate illa convellitur. Atque si natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollentur.* i. e. Et item, si natura a iure aliena est, virtutes tollunitur. Apud Horatium Sat. 1, 10, 31. nunc ex emendatione Bentleii legitur *atqui ego.* Quod correctores, ob contradictionem substituerant in aliquibus codicibus. Elegantior fit oratio continuata per *atque ego*, quam bene cepit Wielandus.

3. Ratio haec non mutatur in narratione. In ea enim per ATQVE coniungitur res ei, quae antea dicta est, aequalis vel aequiparanda, et quae continuato tractu aequaliter cohaeret.

Livius 39, 49, 9. *aegre submoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopoemenem, potuerunt. Atque conferta turba iter reliquum clauserat.* Walchius coniecit *aeque*, cuius ipsius vis inest in voc. *atque.*

In Taciti Hist. 3, 30. restitaendum: *ac rursus nova laborum facies.* Nam sensus est: ut in castris capiendis magnus erat labor, ita nova laborum facies in oppugnanda urbe. *Und ebenso bot sich nun neue Schwierigkeit dar.* Sic Plin. Hist. n. 2, 25, 23. *in nostro aevo circa veneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni: ac deinde principatu eius.*

Hinc saepe a librariis *itaque* substitutum est. vid. Drakenb. ad Liv. 5, 22, 17. 40, 12, 2.

4. Nec puto me ad falsam subtilitatem aberrare, quum dico, ATQVE non semper ad superiora, quae an-

tecedunt, spectare, sed praemitti iis sententiis, in quibus ipsis duae res inter se ex aequo componuntur et comparantur: quod nos vernacula lingua reddere non possumus. Hinc etiam exsistit solemnis formula *ac velut.*

Cic. de Offic. 2, 5, 16. *Atque ut magnas utilitates adipiscimur conspiratione hominum atque consensu, sic nulla tam detestabilis pestis est, quae non homini ab homine nascatur.* Scilicet contraria etiam ita comparari possunt, ut iam monuit Beierus. de Orat. 2, 40, 169. *atque utroque in genere et similitudinis et dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis aut dictis aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae.*

Virgil. Aen. 1, 148. *ac veluti in magno populo* etc. 2, 626. 4, 402. 6, 707. 9, 59. Horat. Carm. 3, 28, 6. Valer. Flacc. 6, 664. In Catulli Epist. ad Manl. 63. legendum est: *ac velut in nigro iactatis turbine nautis lenius adspirans aura secunda venit.*

5. Haec ad comparationem externam magis spectant. Alia interiorem nexum sententiarum comprobant. Vsurpatur enim ATQVE in adiiciendo eo, quod id, de quo antea sermo erat, sive ex ratione caussae sive temporis consequitur, ideoque in iis locum habet, quae necessitate quadam continuationis vel consequutionis arcte cohaerent. Nos dicimus *und so:* Graeci τέ. Nimirum nexus ille proximus eo significatur, quod altera res cum altera aequa ratione componitur, nec simpliciter adiungitur, sed ad alteram illam refertur aequiparatione. Ita intelligimus caussae nexum, ubi ex duabus rebus agendis altera alteram secum ducit, aut ei originem praebet: quod explicari potest per *et ita.*

Livius 22, 6, 12. *quae punica religione servata fides ab Hannibale est: atque in vincula omnes coniecit.* quem locum temere sollicitarunt critici: colon ponendum erat, non comma. Conf. c. 16, 1. Terent. Adelph. 4, 3, 15. *sed me reprehendi tamen, ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palam.* i. e. *dafs ich jener Plauderin etwas sagte, und es so bekannt würde.* Tacit. Hist. 2, 2. *igitur oram Achaiae et Asiae, et laeva maris praevectus Rhodum et Cyprum insulas, inde Syriam audentioribus spatiis petebat. Atque illum cupido incessit adeundi visendique templum Paphiae Veneris. Und so ergriff ihn der Wunsch* etc. Hist. 3, 36. *At Vitellius — curis luxum obtendebat: non parare arma,*

non alloquio exercitioque militem firmare, non in ore vulgi agere: sed umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita, instantia, futura pari oblivione dimiserat. Atque illum in nemore Aricino desidem et marcentem proditio Lucilii Bassi ac defectio classis Ravennatis perculit. i. e. *und so in Unthätigkeit:* fere id quod *itaque.* In utroque loco Schützius supplendam censuit orationem addito voc. *tunc.* Sueton. Ner. 6. *ac taedio tandem maternae memoriae abiecit.* i. e. quum aliquamdiu eas gestavisset: *und so erst.* Tacit. Ann. 1, 35. *saevum id malique moris etiam furentibus visum. Ac spatium fuit, quo Caesar ab amicis in tabernaculum raperetur.* i. e. quum milites attoniti adstarent. Ann. 11, 28. narratur, quod post Messalinae turpes nuptias agitaverint homines, et quibus caussis illi permoti de re deferenda cogitaverint: tum dicitur: *Ac primo Callistus et — Narcissus — agitavere, num Messalinam secretis minis depellerent amore Silii.* i. e. *itaque, und so.* Liv. 3, 46, 7. *quum instaret assertor puellae, ut vindicaret sponsoresque daret, atque id ipsum agi diceret Icilius, sedulo tempus terens, dum praeciperent iter nuntii missi in castra: manus tollere undique multitudo, et se quisque paratum ad spondendum Icilio ostendere. Atque ille lacrimabundus, gratum est, inquit: crastina die vestra opera utar: sponsorum nunc satis est.* i. e. quum hoc vidisset, lacrimabundus inquit. 27, 21, 6. *principium eius rei ab Arretinis fieri, C. Calpurnius scripserat. Itaque confestim eo missus Marcellus.* Codices optimi *atque confestim*, quod tantum abest, ut cum Dukero pro librariorum ludibrio habeamus, ut in textum restituendum optimo iure censeamus, non intelligentes significationem celeritatis, sed caussae.

Hic vero caussalis nexus proximus saepe conspicitur in ipsa ratiocinatione, quum per ATQVE ea coniunguntur, quae cohaerere ex conclusione quadam intelligitur. Est id quod *igiturque.*

Tacit. Ann. 3, 54. *at, hercule, nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi romani per incerta maris et tempestatum quotidie volvitur. Ac nisi provinciarum copiae et dominis et servitiis et agris subvenirent, nostra nos scilicet nemora nostraeque villae tuebuntur?* Ovid. Her. 21, 235. scribendum est: *hoc deus et vates, hoc et mea carmina dicunt: ac desunt voto carmina nulla tuo.* i. e. quod Lennepius desiderat, *et igitur:* vulgo *at.*

In hac demonstratione adduntur interdum ipsa vocabula *ita* et *sic*. Liv. 40, 12, 2. *tandem vicit dolorem ipsa necessitas, quum dicere iuberent: atque ita orsus est.* Sic enim interpungendum. Frontin. 1, 4, 7. narrato Iphicratis strategemate: *atque ita custodes angustiarum inopinatus oppressit a tergo.* Horat. Art. p. 150. *et quae desperat tractata nitescere posse, relinquit: atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet.*

Atque ex eo dicitur, ut cum temporis continuatione conclusio quaedam coniungatur. Sueton. Aug. 94. *obstrepentes forte ranas silere iussit: atque ex eo negantur ibi ranae coaxare.* Tib. 54.

6. Quae temporis nexu proxime et continua serie cohaerent, coniunguntur per ATQVE: quo notatur, id, quod factum est, aequali vel eodem modo continuari et transire in aliam rem sibi per ipsum temporis successum cognatam. Nos dicimus *Und so sprach er*, quod proprie est: ut illud, ita hoc factum est. In his vero exemplis plurima pronomen demonstrativum cum *atque* coniunctum exhibent: quod cum usu particulae *at* comparari potest. vid. p. 420.

Tacit. Hist. 3, 17. *firmati inter se, densis ordinibus excipiunt Vitellianos temere effusos. Atque illi consternantur.* Hist. 1, 82. *tum Otho ingredi castra ausus. Atque illum tribuni centurionesque circumsistunt.* Virgil. Aen. 6, 158. *cui fidus Achates it comes. — Atque illi Misenum in littore sicco ut venere* etc. i. e. *und wie sie so kamen.*

Interdum reddi potest nostro *da* vel *nun*. Plaut. Mostell. 2, 2, 55. *abimus omnes cubitum: condormivimus: lucernam forte oblitus fueram exstinguere: atque ille exclamat derepente maximum.* i. e. *ich hatte vergessen, die Lampe auszulöschen, da schreit er plötzlich auf.* Stat. Theb 9, 481. *dixerat: atque illi sese deus obtulit ultro:* ubi glossa: *id est statim, illico.* Ita etiam ad 12, 360.

7. Quum igitur ea, quae proximo et continuo tempore evenerunt, statim evenisse dicantur, ATQVE saepe ita ponitur, ut explicari liceat per *et statim, et illico.* Id iam veteres grammatici animadverterunt. Nonius Marc. 12, 44. *significat etiam celeriter et statim, ut Virgil. Georg.* 1, 202. Et possunt afferri exempla, in quibus videatur ipsa celeritas expressa esse: veluti Rhet. ad Herenn. 4, 29, 39. *in me, quidquid libet, statuite: dicite, atque obtemperabo.* Sed haec quoque ad eum nexum proximum, quem philosophi nostri bar-

baro vocabulo *immediatum* vocant, pertinent. Tamen quaeritur, num *atque* pro ipso vocabulo *statim*, omissa omni copulatione, ponatur: id quod de antiquo usu affirmarunt grammatici Servius, Nonius, Gellius, quum disputarent de loco Virgilii Georg. 1, 202. *si brachia forte remisit, atque illum in praeceps prono rapit alveus amni.* Et de hac re multa dixerunt Palmerius in Spicileg. p. 619. Gruter. Thes. T. IV. Schottus in Observ. poet. 2, 24. Carrio Emendat. 2, 12. Carolus Animadv. in Gellium 10, 29. Acidalius in Divinat. in Plauti Milit. c. 2. Cerda ad Virgil. Georg. 2, 203. Gronov. ad Liv. 26, 39. ad Tacit. Hist. 3, 17. ad Gellium 2, 29. Barth. ad Stat. Theb. 9, 48. 12, 360. Duker. ad Liv. 27, 21, 7. Graevius in Rhetor. ad Herenn. 4, 29. ad Cic. Catil. 3, 2. Davisius et Oudendorp. ad Hirt. b. Afr. 28. Burmann. ad Phaedr. 1, 16, 5. ad Virgil. G. 1, 203. Burmann. Sec. ad Anthol. T. II. p. 508. Bothius ad Plaut. Epid. 208. et alii. Non apta exempla comparat Gebhard. in Crepund. 1, 16. Salmasius in Solin. 32. adeo correxit codicum, ut ait, auctoritate, *quae atque inventa et oblata est.* pro *ut inventa est.* quasi esset pro *simul atque.* In cod. leidensi legitur recte *quae ut inventa.* vid. Oudendorp. ad Apulei. de Mundo p. 354. Nec melius Silligius emendat Catull. 76, 11. *quin tu animo affirmas, atque istinc teque reducis.* quasi *atque que* sit *statimque.* Nos primum videamus, quae veteres grammatici afferant, exempla. Sunt ea poetarum omnia, oratorum nullum. Ennius: *atque atque adscendit muros romana iuventus.* de quibus Nonius 12, 44. *quod est festine et intrepidanter adscendit:* ita enim legendum est, non *festive.* Gellius 10, 29. *gemina si fiat, auget intenditque rem, de qua agitur: ut animadvertimus in Q. Ennii annalibus, nisi memoria in hoc versu labor: atque atque accedit muros romana iuventus. Cui significationi contrarium est, quod itidem a veteribus dictum est, deque. Et praeterea pro alio quoque adverbio dicitur, id est statim: quod in his versibus Virgilii existimatur obscure et insequenter particula ista posita esse.* Ne nimium aut alienum quid particulae tribuamus, *atque* in Ennii loco non aliter potest intelligi, quam ut proximus nexus, quo adscensus iuvenum cum antecedente quadam actione cohaerebat, appareat. Vertere possumus *und so, und so stieg die römische Schaar zu den*

Mauern hinan. Alter locus ille est, quem e Virgilii Georg. modo attulimus: in quo Nonius explicat *celeriter*, *statim*, Gellius autem satis prudenter ait, *obscure et insequenter* particulam istam positam esse: *obscure*, quoniam ista significatio involuta et leviter expressa est, *insequenter*, quoniam consequutio rei notatur. I. H. Vossius, hunc usum a temporibus Virgilii alienum ratus, orationis membra ita conglutinat: non aliter, quam si quis adverso flumine navigans brachia remisit, eumque amnis in praeceps rapit. Quibus omnino perturbatur sententia poetae, qui *illum* scripsit, lembum intelligens, et interposuit *atque*, non ut adderet verba, quae tantum explicationi inservirent, sed ut quod proxime et continuo tempore factum sit, significanter describeret. Nos quoque ita loquimur: *und so reifst ihn fort.* Ambigitur autem, utrum Virgilius post v. *remisit* orationem inhibuerit, ut reliqua per se accipiantur. an haec apodosin efficiant. Nam in describendis iis, quae continuo et necessario nexu cohaerent, et quae subito effecta et improvisa sunt, verbis, quae apodosin constituunt, additur *atque*, ubi nos dicimus *so:* id quod ex parte bene intellexit Acidalius in Divinat. in Plauti Mil. c. 2. Afferunt etiam illud ex legibus XII tab. apud Cic. de Leg. 2, 4, 9. *si in ius vocat, atque eat.* Sed his non indicatur, statim eundum esse, sed necessario.

In Plaut. Amphitr. 2, 1, 13. *malum! quod tibi dii dabunt, atque ego hodie dabo.* explicant: id statim tibi hodie dabo. Sed cohaerent verba ita: malum tibi dii dabunt, et ita re vera ego hodie dabo. Conf. Curc. 4, 4, 15. Merc. 2, 3, 17. *nam si dico, ut res est, atque illam mihi me emisse indico, quemadmodum existumet me? Atque illam abstrahat, trans mare hinc venum asportet.* Etiam in his grammatici sensum non satis perceperunt, sed aliena admiscuerunt. Perinde enim est, ac si poeta dixisset: male me existumet et item illam abstrahat.

Apud Livium legitur 26, 39, 16. *Hic Quinctium simul pugnantem hortantemque suos incautum hasta transfigit: ille atque praeceps cum armis procidit ante proram.* Gronovius interpretatur *statim, continuo*, Drakenborchius de veritate scripturae dubitat. Nec facilis est transpositionis medela: *atque ille.* Unum restat, ut concedamus ATQVE, ubi continuam et subitam rem notat, etiam secundo loco poni posse: cuius usus plura

ortasse exempla haberemus, nisi ea a librariis mutata essent. Ne tamen ad hanc rem comprobandam adhibeatur locus in Cic. Epist. 10, 31, 7. *quod iussus sum, eo tempore atque ita feci, ut appareret invito imperatum esse.* iam per Cortii interpretationem cautum est.

Garatonius mirifice errat, quum Cic. Catil. 3, 2, 4. *atque ego ut vidi* etc. interpretatur *statim*, *confestim*. Bene disputat Oudendorp. ad Apulei. Met. p. 60. contra Scioppium, et acute emendat Apuleii verba Met. p. 60. p. 642.

Quid Servius sibi voluerit, quum ad Virgil. Aen. 4, 424. haec affert: *atque — est et expletiva: atque illum in praeceps* etc. intelligitur ex scholio ad hunc ipsum locum: *alii quidam superfluam coniunctionem volunt.*

Sed huius argumenti campus latius patet. Nam non modo ea, quae continuo se excipiunt, ita designantur, sed etiam nexus rerum necessitate quadam cohaerentium, qui grammatica forma apodosis exprimitur. Sic nos Germani, quod vocabulum *so* in apodosi collocamus, aequationem duarum orationis partium inter se cohaerentium significamus. Latini simul copulationem suo vocabulo exprimebant. Atque hic usus cum antiquioribus scriptoribus communis erat poetis. Interpretes autem, qui plenam significationem adhibendam esse existimabant, ubique subdiderunt subitae actionis notionem. Quod temere factum erat. Vnus Acidalius in Divinat. in Plauti Mil. c. 2., „usurpatur, inquit, non plane *continuo*, *statim*, ut ubique interpretantur, sed ita in re inopinata et improvisa subitaneaque.“ Apodosis rationem et nexus necessitudinem potius tenere debebant.

Plaut. Epid. 2, 2, 33. *quum ad portam venio, atque ego illam illic video praestolarier.* i. e. *als ich zur Thüre komme, so erblicke ich sie.* Bacch. 2, 3, 45. *dum circumspecto, atque ego lembum conspicor.* Mostell. 5, 1, 8. *quem quum convocavi, atque illi me e senatu segregant.* Merc. 2, 1, 32. In his notanda est coniunctio cum pronomine saepissime facta. cf. n 6.

Cic. de Leg. 2, 4, 9. *si in ius vocat, atque eat.* i. e. *wenn jemand vor Gericht ruft, so gehe man.* quibus de verbis, ut iam dixi, frustra dubitabant. Terent. Eun. 1, 1, 6. *verum si incipies, neque pertendes naviter, atque ubi pati non poteris, quum nemo expetet, infecta pace ultro ad eam venies.* Stat. Theb. 2, 26. *illos ut caeco recubans in limine sentit Cerberus, atque omnes capitum surrexit hiatus.*

Locum Hirtii de B. Afric. 38. bene expediit Clarkius, quem vide.

8. Observatum est ATQVE poni inter duos imperativos. Cuius rei caussam equidem non conspicio in ipsa celeritate, qua utrumque, quod iubetur, efficiendum sit, sed aut in proxima connexione aequali, qua utraque actio in unam coit, aut in ista, quam exposuimus, consequutione continua.

Terent. Heaut. 4, 7, 3. *cape hoc argentum ac defer.* Adelph. 4, 5, 65. *abi domum ac deos comprecare.* 2, 4, 16. *tace modo ac sequere hac.* Andr. 1, 5, 64. *propera atque — audin? — verbum unum cave de nuptiis.* Ita interpungenda haec sunt.

Consequutionem habent Terent. Adelph. 2, 1, 31. *mitte ista, atque ad rem redi.* Andr. 5, 3, 2. *rem potius ipsam dic, ac mitte male loqui.*

9. Redeo ad particulae vim amplificandi, de qua supra loquuti sumus. Etenim, ut antea vidimus in notionibus coniungendis, ita etiam in sententiis conserendis oratio per ATQVE adscendit ad graviora et maiora, reliquis aequiparanda. Tum explicari potest per *et adeo, atque adeo.*

Goerenzius docet ad Cicer. Acad. 2, 40, 126. poni ATQVE pro *immo potius.* Verba sunt haec: *Fatum illud etiam, quo omnia contineri dicitis, contemno. Ne aedificatum quidem hunc mundum divino consilio existimo: atque haud scio an ita sit.* Haec ille explicat: vel potius nescio, an ita sit: de quo vehementer dubito, sed hunc sensum intelligo: et item haud scio an ita sit. At certiora exempla haec apponam. Cic. Tuscul. 5, 21, 62. *Satisne videtur declarasse Dionysius, nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, civibus libertatem et iura redderet.* p. Tull. 4. *ac mihi magis illud laborandum videtur.* Conf. de Off. 3, 5, 23. de Nat. d. 2, 9, 25. Quinctil. Instit. 1, 10, 16. postquam enarraverat, quantum philosophi tribuerint musicae arti, ait: *Atque eam natura ipsa videtur ad tolerandos facilius labores velut muneri nobis dedisse.*

Cic. ad Fam. 6, 1, 11. *simus igitur ea mente, quam ratio et veritas praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum praeter culpam putemus, eaque quum careamus, omnia humana placate et moderate feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur.* i. e. atque adeo. Caes. B. Civ. 2, 28. *hac habita oratione, nullam in partem ab exercitu Curionis*

fit significatio, atque ita suas uterque copias reducit. Atque in castris Curionis magnus omnium incessit timor: nam is variis hominum sermonibus celeriter augetur. Ita codices. Est vero *atque adeo:* id quod requiritur per eam, quae adiungitur, sententiam: *nam is — augetur.* Ovid. Heroid. 1, 28. *illi victa suis Troia fata canunt. — Atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa, pingit et exiguo Pergama tota mero:* ubi Burmannus scripturam *iamque* debebat reiicere.

Hoc autem sensu saepe coniungitur cum vocabulis *tantus, saepe,* veluti Caes. Bell. Gall. 5, 55. 6, 43. Sed 6, 41. codices quinque praestant *at tantus:* nam nihil praecedit, quo ea, quae sequuntur, aequali ratione referantur. Cornel. Hann. 13, 2. *atque hic tantus vir tantisque bellis districtus nonnihil temporis tribuit litteris.*

10. Hanc affirmativam particulae vim, quam supra (p. 466.) in notionibus singularibus illustravimus, in sententiis iis agnoscimus, quibus, qui respondet, rem ita, uti alter dixerat, se habere, non negat, sed affirmat, additque, quod illud magis constituat. Quare additur etiam *ita*, cuius significationi ipsa particula respondet.

Terent. Eun. 4, 6, 19. *Egon' formidulosus? nemo'st hominum, qui vivat, minus.* TH. *Atque ita opus est.* Plaut. Bacch. 1, 1, 52. P. *Rapidus fluvius est hic: non hac temere transiri potest.* BAC. *Atque ecastor apud hunc fluvium aliquid perdundum est tibi.* Curcul. 4, 4, 15. TH. *Mihin' malum minitare?* CA. *Atque edepol non minitabor, sed dabo.*

Terent. Andr. 2, 2, 33. *liberatus sum hodie, Dave, tua opera.* DA. *Ac nullus quidem.* Ita loqui poterat ridens. Post *Ac* exspectatur vocabulum, quo sententia antecedens confirmatur: sequitur in festiva oratione contrarium. Nihil igitur opus erat corrigere *at.*

11. Et ponitur particula hoc modo, ubi vel aliis, vel nobis ipsis dubitantibus aliquid re vera evenisse vel esse affirmamus, quod suspicati eramus antea. Pronominis, quod coniungitur, ratio iam a nobis exposita est.

Plauti Stich. 4, 2, 4. *Sed videone ego Pamphilippum cum fratre Epignomo? atque is est. ja er ist es.* Trucul. 1, 2, 24. *Dinarchusne illic est? atque is est.* Pers. 5, 2, 48. *iam taceo, hercle. Atque tu Persa es.* i. e. re vera tu ipsa es Persa.

Coniunctum cum *sane* Sallust. Iug. 7, 5. *ac sane, quod difficillimum in primis est, et proelio strenuus erat. et bonus consilio.*

12. His similia sunt, quibus aliqua sententia restringitur alia addita, quae aequa ratione consideranda propterea est, quod praecedentem illam magis constituit et distinguit. Nos vernacula lingua talem sententiam aliter concipere solemus: quare quum sensum reddimus per verba *in der That* vel *freilich*, non ideo contendere licet, ATQVE ipsum significare *freilich*. Illud enim in his quoque coniungit aequatas partes.

Terent. Heaut. 1, 2, 19. *quid reliqui'st, quin habeat, quae quidem in homine dicuntur bona? parentes, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, divitias. Atque haec perinde sunt ut illius animus, qui ea possidet.* Quae verti possunt: *freilich gilt dies nach dem Charakter dessen, der es besitzt:* quamquam proprie significant: illa sunt bona dicenda, sed item hoc valet, perinde haec esse ut illius, qui ea possidet, animus. Horat. Carm. 1, 18, 7. *quis post vina gravem militiam aut paupertatem crepat? Quis non te prius, Bacche pater, teque, decens Venus? Ac ne quis modici transiliat munera Liberi Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero debellata.* Ita antiqui libri exhibent. Sensus est: ut quisque inter pocula gaudet iucunda vita, ita monet rixa Centaurorum, ne quis transiliat moderationem. ad Fam. 14, 4, 10. *sustenta te, mea Terentia, ut potes. — Peccatum est nullum, nisi quod non una animum cum ornamentis amisimus. Sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos vivere, cetera quamquam ferenda non sunt, feramus. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum.* i. e. *freilich kann ich mich selbst nicht trösten.* Fallitur Gesnerus, qui *atque* accepit pro *attamen*.

In ironia Cic. Philip. 3, 9, 23. *cui senatus consulto ne intercederet, verebatur? de supplicatione, credo, M. Lepidi, clarissimi viri. Atque id erat periculum, de cuius honore extraordinario quotidie aliquid cogitabamus, ne eius usitatus honos impediretur.* i. e. *freilich war zu fürchten.*

13. Eadem est res in iis, quae ex communi et universa ratione rei confirmandae caussa adiiciuntur, et probationem institutam argumento aequali complent ac conficiunt.

Hunc usum non cognoverat Spaldingius, quum in tribus Quinctiliani locis, omnem librorum auctoritatem respuens, coniecturas probaret temere factas. 4, 2, 10. *deinde fatetur ipse, pro Rabirio Postumo narrasse Ciceronem: atque ille et negavit, pervenisse ad Rabirium pecuniam, qua de re erat*

quaestio constituta, et in hac narratione nihil de crimine exposuit. Addit Quinctilianus haec confirmandi caussa, quasi dicturus: et re vera Cicero negavit. 4, 2, 80. *denique narrandum est utique, quicquid aliter, quam adversarius exposuit, narrari potest. — Atque constat, nusquam eorum esse maiorem usum, quam ubi animus iudicis ab aliqua contra nos insita opinione flectendus est.* Sensus est: ut ex praecepto id constituitur, ita ex usu etiam constat. 6, 2, 4. *atque hoc est, quod dominatur in iudiciis.* In his locis criticus ille scripsit *atqui.*

14. Propriam sedem occupat ATQVE in votis: ATQVE VTINAM. Quod duplicem habet caussam. Nam et pergit oratio ad rem aequaliter spectandam, et additur sententia gravior, ut sensus exsistat hic: et quod hac ratione magis considerandum est.

Cic. Orat. 7, 22. *videmus enim fuisse quosdam, qui iidem ornate ac graviter, iidem versute et subtiliter dicerent. Atque utinam in Latinis talis oratoris simulacrum reperire possemus.* De Repub. 3, 5. p. 348. Mos. Liv. 21, 42, 13. *pro his impartitis, furiosum iuvenem sequentes, oppugnatum patriam nostram veniunt. Atque utinam pro decore tantum hoc vobis et non pro salute esset certamen.* Propert. 2, 9, 47. 2, 13, 42. 2, 15, 25. 2, 16, 19.

15. Pervenimus ad eum multiplicem usum, quo permulti grammatici docuerunt transitum fieri per particulam ATQVE. Quod quum universam rem nulla distinctione adhibita comprehendat, criticos in tractandis singulis locis saepissime fefellit, neque adhuc ullum coniungendarum sententiarum genus repertum est, quod non ex illorum praeceptis per hanc particulam confici posset. Nonnulli de certa sententia desperantes hoc vocabulum pro elegantiae, nescio cuius, adminiculo accipiebant. At una est eius ratio in omnibus exemplis, quae propter variam orationis formam accuratius distinguamus. Sed ne in his rursus falsa doctrina impediamur, primum dicendum est de adversativa particulae vi, quam ii imprimis amplexi sunt, qui in *atque* adversativum *at* iam expressum viderunt.

Multi enim erant, qui existimarent, ATQVE significare *sed*, *tamen*, *autem*. Ex iis nominare sufficit Graevium ad Cic. epist. ad Attic. 6, 1. virum doctum in Miscell. Observ. T. IV. p. 116. Heusingerum ad Cic. Offic. 3, 25. Cortium ad Sallust. Iug. 4. Oudendorp. ad

Caes. B. Gall. 4, 25. B. Civ. 2, 29. ad Suet. Caes. 85. Ruhnken. ad Terent. Andr. 1, 3, 20. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. p. 12. Beierum ad Cic. Offic. T. 1. p. 84. Matthiae ad Cic. p. Mur. 34, 71. in Catil. 2, 12, 27. Et afferunt ii auctorem huius sententiae Donatum, qui ad Terent. Andr. 1, 3, 20. haec: *atque pro tamen, ut sit: tamen ipsis commentum placet.* Alii improbabant haec. Nemo, quod sciam, ipsam rem eiusque caussam satis explicuit.

Adversativa vis, quam dicunt inesse, omnino abhorret ab hoc vocabulo: eam enim exhibet vocabulum *at:* attamen negari non potest, quibusdam in locis ATQVE ita usurpari, ut pro *tamen* positum esse videri possit. Sunt vero loci ii, qui huc pertinent, duplicis generis. In aliis enim *atque* pro *ac tamen*, in aliis pro *atque adeo*, de quo supra iam diximus, ponitur. Potest enim alicui sententiae aliquid addi, quod ab eo diversum et contrarium videatur, etiamsi ipsam non tollat aut infringat: sicuti fit in coniunctionibus concessivis. Ponitur igitur *tamen* ad indicandam rei, quae opponitur, constantiam. Vbi vero praeter hanc oppositionem ex parte conspicuam etiam id significare volunt, quo duae sententiae inter se aequalem vim habent et cohaerent, addunt Latini *atque*, quo quidem indicatur, etiamsi altera res vera sit et constet, aeque tamen alteram veram esse et constare. In Terentii Andr. 1, 3, 20. dici poterat: *mihi non fit verisimile: tamen ipsis commentum placet.* i. e. quamquam mihi non fit verisimile, tamen non fit, ut aliis illis commentum non placeat, sed re vera placet. Tum etiam dici poterat: *mihi non fit verisimile, et tamen ipsis commentum placet:* quo significatur, cohaerere utramque rem. Denique haec verba: *mihi non fit verisimile, ac tamen ipsis commentum placet,* sensum habent hunc: mihi non fit verisimile, et ut id est, ita etiam hoc aeque est, aliis placere commentum. Nos id exprimere solemus per *gleichwol*, in quo verbo altera pars, *gleich*, aequalem vim utriusque rei notat. Latini autem omittunt saepe illud *tamen*, et aequalitatem tantum, qua duae diversae sententiae continentur, verbo *atque* designant. Ita Terentius dixit: *mi, hercle, non fit verisimile: atque ipsis commentum placet.* Ita enim scribendum erat, ut antiqui libri exhibent, quidquid critici dicant de voce *mi* non elidenda.

Plin. Paneg. 26, 1. *labor parentibus erat, ostentare parvulos impositosque cervicibus adulantia verba blandasque voces edocere: reddebant illi, quae monebantur. Ac plerique irritis precibus surdas principis aures adstrepebant.* Nos, *gleichwol flehten die meisten vergeblich tauben Ohren:* quo scilicet non statuimus, *atque* significare *gleichwol.* Terent. Andr. 5, 1, 22. *et nescio quid tibi sum oblitus: ac volui dicere:* ubi Donatus explicat: *contra quam volui*, Bentleius corrigit *ut volui.* Adelph. 1, 1, 15. ubi Micio enarraverat, quam ipse fuerit sollicitus de Aeschine domum non redeunte, pergit: *atque ex me hic natus non est, sed ex fratre:* ita enim Terentium scripsisse, testatur Sosipater Charis. p. 204. qui addit: *ubi Acron, argute, inquit. nam per hanc coniunctionem transitum fecit ad narrationem.* Ipse putat *atque* pro *et* positum. Neutrum valet. Sallust. Iug. 4. *ceterum ex aliis negotiis, quae ingenio exercentur, in primis magno usui est memoria rerum gestarum. — Atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant.* Verte: *gleichwol glaube ich —.* Sed Sueton. Caes. 85. *plebs statim ad domum Bruti et Cassii cum facibus tetendit: atque aegre repulsa, obvium sibi Helvium Cinnam — occidit.* Oudendorp. male intelligit *verum tamen.* Est enim *et in hoc furioso impetu aegre repulsa.*

In aliis locis non omittitur illud *tamen*, sed dicitur *ac tamen*, quod librarii fere semper mutarunt in *attamen*, de quo suo loco dicemus.

Cic. de Fin. 2, 27, 85. *nihil praeterea est magnopere dicendum: ac tamen ne cui loco non videatur esse responsum, pauca etiam nunc dicam ad reliquam orationem tuam.* ita bene restituit Goerenzius, non item bene explicuit per *sed.* De Orat. 3, 10, 35. *discipulos dissimiles inter se, ac tamen laudandos.* ita codices optimi. De Rep. 1, 7. p. 35. Mos. de Off. 3, 33, 118. *atque in his tamen* etc. Wunderus in Variis lect. ex cod. Erfurt. enot. p. 58. egregie restituit *ac tamen* in quatuor locis Ciceronis, sed praeterquam quod narrat, nullum nunc apud Ciceronem exstare locum, in quo *ac tamen* reperiatur, in eo etiam falsus videtur, quod nullo discrimine distinguit *et tamen.* Per *ac* id exprimitur, quod librarii interdum supposito *hic* reddiderunt. De Prov. cons. 7, 16. *quum in Albucio nec Pisonis libidines, nec audacia Gabinii fuerit, hac tamen una plaga conciderit ignominia senatus.* bene emendat Wunderus *ac tamen hac una plaga.* Tacit. Ann. 3, 29. *sed neque tum fuisse dubitaverim, qui eiusmodi preces*

occulti illuderent: ac tamen initia fastigii Caesaribus erant. 3, 73. *ac tamen res Blaesi dignae decore tali fuere:* ubi Ernestius nulla nota adiecta mutavit *at tamen.* Conf. Goerenz. ad Cic. de Fin. 2, 27, 85.

In formula *ac mitto* eadem vis inest, quae in aliis per *atque adeo* formatis. Conf. III, 11.

Terent. Phorm. 2, 1, 2. *nec meum imperium: ac mitto imperium.* Ad. 4, 4, 18. *ac mitto.* de quibus locis vide p. 208. Cic. Catil. 1, 6, 15. *ac iam illa omitto.* sed vide p. 491.

Ipsa autem adversativa significatio simplex, qua aliquid alicui rei opponatur, et ea, quae antea dicta est, sententia reiiciatur, in antiquis scriptoribus nullo exemplo bono comprobatur, sed quae afferuntur, falsa specie fallunt. Quamquam facile concedimus, Latinos ibi etiam *atque* usurpasse, ubi Graeci δέ ponere solebant. Nam quae Graeci ex adverso opponunt, Latini in his ex aequo componunt. Cic. p. Cluent. 28, 75. *summa omnium exspectatio, quidnam sententiae ferrent leves ac numarii iudices. Atque illi omnes sine ulla dubitatione condemnant.* Quod graecus scriptor dixisset οἱ δὲ πάντες, latinus hoc modo concepit: uti omnes iudicium exspectabant, ita iudices altera ex parte omnes condemnabant.

Tacit. Ann. 15, 1. *interea rex Parthorum Vologeses — diversas ad curas trahebatur: cunctator ingenio et defectione Hyrcanorum, gentis validae, multisque ex eo bellis illigatus. Atque illum ambiguum novus insuper nuntius contumeliae exstimulat.* In his pergit oratio ad similem caussam aeque considerandam: et ita illum novus nuntius exstimulat. Cic. p. Mur. 34, 72. *ipsi denique non dicere pro nobis, non spondere, non vocare domum suam possunt, atque haec a nobis petunt omnia.* Matthiae explicat *sed:* at est illud, quod antea illustravimus, *atque tamen.* de Orat. 3, 33, 132. *ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret.* ne accipias cum Matthiae pro *sed.* Est enim *et ita, et hinc, und so:* quod ipsum reliquis verbis expressum. Orat. 31, 112. Neque aliter in locis a Matthiae allatis. de Orat. 3, 36, 145. ubi *sed,* quod in *atque* frustra quaeritur, ipsum paullo post additur. Caesar. B. Gall. 5, 56. *in consilio pronuntiat, — huc iter facturum per fines Remorum, eorumque agros populaturum, ac prius, quam id faciat, Labieni castra oppugnaturum.* Non *sed prius* intelligitur, ut volunt, sed *et item prius.* Cic.

p. Cluent. 8, 25. *his rebus in caussa iudicioque patefactis, quis est, qui illum absolvi potuisse arbitraretur? Atque haec parva sunt. Cognoscite reliqua.* Neque vero in his *atque* pro *sed* positum. Significat enim *atque adeo.* De Nat. d. 3, 35, 84. *hunc igitur nec Olympius Iuppiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit. Atque in suo lectulo mortuus in Tympanidis rogum illatus est, eamque potestatem, quam ipse per scelus erat nactus, quasi iustam et legitimam hereditatis loco filio tradidit.* Ita haec interpungenda sunt. Codices nonnulli *atqui* praebent. Heindorfius, ut significationem adversativam apprehenderet, supplementum alienum inferre conatus est: *atque ne vi quidem aut dolo, sed.* At pergit oratio continuata: *und so wurde er, auf dem Bette gestorben, zum Scheiterhaufen des T. gebracht.* De loco Epist. ad fam. 14, 4. egimus supra p. 486. Quae omnia quum aliam requirant explicationem, etiam in duobus Ciceronis locis dubitari non potest, quin verba corrupta sint. Pro Mur. 3, 6. *ac de officio defensionis meae ac de ratione accusationis tuae, fortasse etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit.* Goerenzius ad Acad. 2. p. 13. vidit scribendum esse *at:* quamquam concursus bis positae particulae nullam offensionem habet: vid. de Leg. agrar. 2, 37, 101. In Catil. 1, 6, 15. *ac iam illa omitto.* scripsisse videtur Cicero *at*, uti pro Rabir. 12, 33. *at de me omittamus.* In Offic. 1, 40, 144. Beierus adversativam agnoscit vim. *Atque hoc idem Sophocles si in athletarum probatione dixisset, iusta reprehensione caruisset.* Sed in hac oratione contrarium quod esse videatur, cum antecedentibus comparatur, sicuti nos dicimus: *wenn so auf der andern Seite*, vel *wenn so dagegen.* Atque sunt nonnulla exempla parum dubia, in quibus *atque* eo modo dictum videtur, quo graecum δέ τε. Auctor belli Afric. 18. *inter. M. Petreius et Cn. Piso cum equitibus Numidis — ex itinere recta subsidio suis occurrunt. Atque hostes suis ex terrore firmatis rursusque novatis animis legionarios conversis equitibus se recipientes, novissimos adoriri et impedire coeperunt, quo minus se in castra reciperent.* Alii codices praebent *at. Atque*, si verum est, sensum habet: *et ita ex altera parte.* Tacit. Agric. 39. *inerat conscientia derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum —: ac nunc veram magnamque victoriam — celebrari.* ubi intelligunt *sed nunc.* At voc. *ac* comparationem utriusque triumphi et temporis indicat. Hertelius recte commemorat Graecorum καὶ νῦν.

Plaut. Capt. 3, 1, 19. *Salvete, inquam: quo imus una, inquam, ad prandium? Atque illi tacent.*

16. Transeo ad assumptionem et praesumptionem. Nam eam vim habet haec particula, ut aliud quid adiiciat aequali ex ratione, quo simul comprehenso, conclusio conficitur: nec tamen necesse est, conclusio ipsa verbis exprimatur. Quam formam grammatici cum logicis assumptionem vocant. Nos Germani quum in ea adhibemus vocabula *nun* et *nun aber*, significamus aliam rem aequaliter esse considerandam. Tantum vero abest, ut illud *aber* etiam particula latina significetur, ut ipsa hac re distinguatur ea ab vocabulo *atqui*, cui propria vis adversativa inhaeret. In particula *atque* oppositio est nulla, certe non exprimitur una hac vocula. Contrarium apparet in *at*, et distincta cum relatione in *atqui*. Quod autem in plurimis exemplis proxime sequitur pronomen personale vel demonstrativum, id aequationis vi efficitur.

Cic. ad Attic. 6, 1. *at Scaptius quaternas postulabat. Metui, si impetrasset, ne tu ipse me amare desineres: nam ab edicto meo recessissem, et civitatem in Catonis et in ipsius Bruti fide locatam, meisque beneficiis ornatam, funditus perdidissem. Atque hoc tempore ipso impingit mihi epistolam Scaptius Bruti, rem illam suo periculo esse. — His de caussis credo Scaptium iniquius de me aliquid ad Brutum scripsisse.* In libro de Nat. d. 2, 15, 40. haec est orationis conformatio: sol similis est aut ei igni, quem adhibemus ad vitae usum, aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atque hic quocumque invasit, cuncta disturbat, ille omnia conservat et alit. Quare non dubium est, quin sol huic alteri similis sit. Heindorfius ex uno codice edidit *atqui*, probavit Moserus. Columella praef. 3. *nec post haec reor intemperantia coeli nobis ista, sed nostro potius accidere vitio, qui rem rusticam pessimo cuique servorum, velut carnifici, noxae dedimus, quam maiorum nostrorum optimus quisque et optime tractaverit. Atque ego satis mirari non possum, quid ita dicendi seligant oratorem, cuius imitentur eloquentiam.* i. e. atque eodem modo. Ante Schneiderum legebatur *atqui*. Cicero de Orat. 1, 12, 54. exponere vult, quantum oporteat oratorem cognitam habere philosophiam. Id hoc modo demonstrat. *Quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, vel ad odium, aut dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? Quare nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis caussasque eas, quibus mentes aut incitantur, aut reflectuntur, penitus per-*

spexerit, dicendo quod volet, perficere non poterit. Atque totus hic locus philosophorum proprius videtur. Ita codices habent, non *atqui.* Si quis conclusionem absolvere velit, ea haec erit: atque totus hic locus philosophorum proprius est: igitur oratorem oportet cognoscere philosophiam. In de Fin. 3, 18, 59. bene restituit Goerenzius: *atque perspicuum etiam illud est.* tamen id non poterat explicari *et sane.* Cic. p. Arch. p. 7, 15. refutare vult eos, qui summos viros doctrina eruditos fuisse negarent, hac quidem conclusione: *ego multos homines excellenti animo ac virtute fuisse, et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope divino, per se ipsos et moderatos et graves exstitisse fateor. Etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atque idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere.* Schellerus cum Ilgenio et Ochsnero Eclog. p. 109. *atqui* necessarium putabant ob distinctam oppositionem: recte quidem, si Cicero non dixisset *idem ego:* quibus hic sensus constituitur: ut illa vera esse fateor, ita idem ego hoc contendo. Quare non oppositio rerum est, quam ille maxime spectet, sed utriusque sententiae aequa conciliatio. Eodem modo de Off. 1, 40, 144. *atque hoc idem Sophocles.* ubi Heusingeri probaverunt *atqui.* Beierus male comparat *at.* Aliter in Tusc. 3, 7, 14. *qui autem est fidens, is profecto non extimescit: discrepat enim a timendo confidere. Atqui in quem cadit aegritudo, in eumdem timor.* Ita enim Davis. e codd. edidit. Brut. 80, 278. *sic nos summi oratoris vel sanitate vel vitio pro argumento ad diluendum crimen usi sumus. Tum Brutus, Atque dubitamus, inquit, utrum ista sanitas fuerit, an vitium.* Alii *atqui*, quod esset *contra. Atque* significat, quae quum ita sint. Bene restituit Frotscher in Quinctil. Inst. 10, 3, 22. *atque liberum arbitris locum* etc.

Ex his patet, quo iure alii non pauci arbitrati fuerint, *atque* pro *atqui* poni. vid. Wopkens. Lect. Tull. p. 150. qui ipsam rem non satis expediit, melius tamen Bav. Voorda in Lect. Tull. c. 8. Schellerus ubique restituendum putabat *atqui.* vid. Rupert. ad Sil. Ital. 2, 134. Cf. quae nos de voc. ATQVE. Librarii centies haec vocabula mutarunt. vid. Miscellan. Obs. Vol. 7. p. 275. Interpr. ad Cic. de Orat. 1, 9, 38. Cortius ad Plin. Ep. 8, 22. ad Sallust. Iug. 4, 3. Ruhnken. ad Terent. And. 1, 4, 20. Drakenb. ad Liv. 3, 52, 8. et 5, 4, 1. Oudendorp. ad Apulei. Apolog. p. 518. Frotscher ad Quinctil.

X. 4, 22. Quo autem modo Gernhardus, Goerenzium sequutus, in eiusmodi locis sensum constituat per *et sane*, equidem non perspicio. vid. eum ad Cic. Lael. p. 145. ad Cat. p. 95.

17. Eodem modo dicitur in praesumptione. Nam ponitur ATQVE in sententiis iis, quibus aliquid, quod aut opponi, aut addi possit, praesumitur, et quidem ea ratione, qua in una cogitationis serie id quoque continetur, quod dispar et diversum videatur. Rhetores illam formam etiam *praeoccupationem* appellant, in qua si ipsam oppositionem spectamus, *at* dicimus.

Terent. Andr. 4, 1, 16. *ingeram mala multa? atque aliquis dicat, nil promoveris.* Quinctil. Inst. 8, 3, 4. *nec tam insolita laus esset prosequuta dicentem, si usitata et ceteris similis fuisset oratio. Atque ego illos credo, qui aderant, nec sensisse, quid facerent* etc. i. e. *nun glaube ich.* 10, 2, 20. *atque ego illi praeceptori — credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret.* Spaldingius oppositionem exprimi voluit per *atqui:* Frotscher revocavit *atque*, quo Quinctilianus indicat id, quod contrarium videri posset, contineri una cogitationis serie, nec sine ratione dictum esse.

18. Hinc saepissime legitur in formulis negativis, quibus id, quod offendere aut obloquendi argumentum suppeditare posse videtur, anteoccupando removetur. Vulgo non recte interponi solet comma. Saepe etiam dicitur *atque si*, de quo postea.

Cic. Phil. 3, 9, 24. *ac ne sine caussa videretur edixisse*, etc. De Fin. bon. 2, 35, 118. *ac ne plura complectar.* ubi Goerenzius haud bene explicat *et sane.* Celsus 8, 1. p. 505. *ac ne saepius dicendum sit.* Horat. Epist. 1, 1, 13. *ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter.* 2, 1, 208. *ac ne forte putes.* Ovid. Rem. am. 465. Cic. de Orat. 2, 46, 191. *ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur.* ad Fam. 5, 12, 30.

19. Sed id etiam affirmativa sententia efficitur, qua aliquod consilium aut aliqua opinio praesumitur.

Cic. p. Lege Man. 8, 20. *atque ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum impertire laudis, quantum forti viro et sapientissimo homini et magno imperatori debeatur: dico* etc.

20. Interdum oratio continuatur per *sed*, *tamen*, *autem*. Quare non deerunt, qui adeo existiment, *atque* pro *quidem* usurpari. Et sunt loci, in quibus ipsum

quidem additur. Attamen id non alio modo cum *atque* cohaeret, quam in *et — quidem.*

Sallust. Cat. 51, 35. *atque ego haec non in M. Tullio, neque his temporibus vereor: sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt.* Iug. 14, 2. *Iugurtha, — Masinissae me nepotem et iam ab stirpe socium et amicum populo romano regno fortunisque expulit. Atque ego — vellem potius ob mea quam ob maiorum meorum beneficia posse me a vobis auxilium petere —. Sed quoniam parum tuta per se ipsa probitas est* etc. Cic. de Off. 3, 11, 48. *atque ille utilitatem sequi videbatur: sed ea nulla erat repugnante honestate.* Plurimi critici propter oppositionem sententiarum scripserunt *atqui:* Voorda perinde esse putat, utrum *atqui* legatur an *atque.* At hoc necessarium esse, ipsa res docet. Quinct. Inst. 12, 11, 8. *atque id viro bono satis est, docuisse quod sciret. Vereor tamen, ne aut magna nimium videar exigere.* ubi verti potest: *freilich ist genug.* Spaldingii coniectura *atqui id* falsa est. 10, 4, 22. *atque liberum arbitris locum et quam altissimum silentium scribentibus maxime convenire nemo dubitaverit. Non tamen* etc. ubi etiam ille inculcavit suum *atqui.* Cic. de Orat. 1, 3, 11. *atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores quam poetae boni reperientur.* quod idem est ac si dixisset: atque in hoc numero perraro exoritur excellens: tamen multo pauciores oratores quam poetae.

Additur *quidem* in Cic. de Nat. D. 1, 40, 112. *quem cibum igitur, aut quas potiones — adhibebis ad deos, ut eos perfundas voluptatibus? Ac poetae quidem nectar, ambrosiam, epulas comparant, et aut Iuventatem aut Ganymedem pocula ministrantem: tu autem, Epicure, quid facies?*

21. Haec ab aliis iam ex parte observata et distincta erant. Reliqua autem referre solebant ad orationis ornatum, ideoque docebant, ATQVE apud Ciceronem saepissime in continuanda oratione, sed pereleganter poni ab initio periodorum. Atque illi quidem scriptori iste usus tantopere placuit, ut in eius libris quaevis pagina exempla suppeditet quaerentibus: at ea non unius sunt generis, nec sufficit demonstrare, vim fere eamdem esse atque in verbis *praeterea, ad haec, item.* Nos igitur triplicem modum discernamus, qui ad universum usum latinum pertinet.

Primum enim ATQVE indicat seriem sententiarum continuari ea quidem ratione, ut aut alia adiiciatur, eaque subtilior rei distinctio et demonstratio, aut lectores ad aliam rem, antea iam nominatam, accuratius considerandam perducantur. Quare in his particula plerumque proxime iungitur cum pronominibus demonstrativis, et ipsa quamquam in aliis locis non multum a particula *et* differre videtur, in aliis exponi potest per *quum illud sit*, vel per *et ita*. Quo quidem discrepat usus particulae *at*, etiam in nectendis sententiis adhibitae.

Cic. de Orat. 3, 32, 130. *Atque ii, quos nominavi* etc. 2, 7, 27. exposita re pergit: *Atque id primum in poetis cerni licet.* 3, 10, 39. agitur de eo, quid sit latine loqui: tum pergit oratio: *atque, ut latine loquamur, non solum videndum est, ut* etc. p. Coel. 19, 45. *audistis, quum pro se diceret: — genus orationis, facultatem, copiam sententiarum et verborum, quae vestra prudentia est, perspexistis. Atque in eo non solum ingenium eius videbatis: — sed inerat, nisi me propter benevolentiam forte fallebat, ratio.* Plaut. Aul. Prol. 15. *ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit, coepi observare, ecqui maiorem filius mihi honorem haberet, quam eius habuisset pater. Atque ille vero minus minusque impendio curare.* i. e. *dieser nun aber.* Cornel. Ages. 7, 2. *Nam quum praecipue Lacedaemonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant, praesidio fuit: a quibus magna donatus pecunia, patriam sublevavit. Atque in hoc illud inprimis fuit admirabile. Quum maxima munera ei ab regibus et dynastis civitatibusque conferrentur, nihil umquam domum suam contulit.* Eum. 10, 3. ubi vide Bremium.

Eodem modo Tacitus nectit narrationem, ubi ad aliam rem in aequo positam transit: quamquam non rarius diversa ratione usurpat *at.* vid. p. 422. Ann. 14, 64. *Ac puella — nondum tamen morte acquiescebat.* Quod saepissime ab initio ponitur, *interim*, secum habet *atque.* Ann. 15, 3. *Atque interim reliquas legiones pro ripa Euphratis locat.* Sic etiam Caesar B. Cic. 2, 29, 1. ubi vid. Held.

Virgilius Aen. librum nonum et Silius librum quartum Punic. inceperunt verbis *Atque ea*, ut continuationem rerum narrandarum indicarent. Servius haec: *quem transitum quidam culpant, nescientes Virgilium prudenter iunxisse superioribus negotiis sequentia per illam particulam.*

Tum per particulam ATQVE transitur ad rei expositionem, quasi sit: et quum res ita se habeat et demonstranda sit. Latini etiam dicunt *igitur:* nos *und so, also.*

Plaut. Casin. 2, 6, 11. *appone hic sitellam, sortes cedo mihi: animum advortite. Atque ego censui* etc. Cic. de Orat. 1, 2, 4. *Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae non sane satis explicata recordatio.* De Repub. 1, 26. nominatis tribus regnorum generibus pergit Cicero ad expositionem his: *Atque horum trium generum quodvis* etc.

Hinc ponitur *ac primum* in principio uberioris expositionis, cui ut respondeat *deinde*, non necesse esse bene demonstravit Gierig. ad Plinii Paneg. 22. et 88. Cic. de Orat. 1, 23, 107. *ac primum illud respondeo* etc. p. Lege Man. 13, 36. Orat. 23, 75. 44, 149. Quod etiam locum habet in iis, quibus singulae res demonstrantur. Cic. de Orat. 3, 16, 61. *nam quum essent plures orti fere a Socrate, — proseminatae sunt quasi familiae, dissentientes inter se et multum disiunctae et dispares, quum tamen omnes se philosophi Socraticos et dici vellent et esse arbitrarentur. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates* etc. *und so zuerst vom Plato.* 3, 28, 109. *atque horum superius illud genus caussam aut controversiam appellant.* Ita etiam dicitur in rerum dispositione. Celsus 5, 28, 3. *ac primum a victus ratione ordinandum est. — Dein post inflammationem* etc.

Neque aliter, ubi oratio interpositis aliis verbis interrupta, ad expositionem redit.

Cicero Acad. 2, 23, 73. de Democriti sententia disserens, postquam de ingenio eius et praestantia quaedam inseruerat, revertit ad rem exponendam his: *Atque is non hoc dicit, quod nos.*

Denique oratores, praesertim Cicero, periodos incipiunt a particula ATQVE, quo se reclinent, et in iis, quae antecedebant, reliqua dicturi nitantur. Nos idem exprimere solemus per *und so.* Ita dicunt Latini his formulis *atque ego, atque ego scio, ac nescio, atque haud scio, ac vereor, atque ego credo:* quae saepe aliquam modestiae ferunt speciem, quasi is, qui loquitur, se ad hanc suam sententiam per ipsam rem perductum esse significet. Ciceronem interdum per *atque ego* ad responsionem transire, observavit Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 3, 8.

Cic. p. Sext. 2, 3. *aggrediar ad dicendum, ne mea propugnatio ei potissimum defuisse videatur, per quem est per-*

fectum, ne ceteris civibus deesset. Atque ego sic statuo, iudices. und so urtheile ich also. in Catil. 3, 2, 3. *Nam tum, quum ex urbe Catilinam eiiciebam —, aut reliquam coniuratorum manum simul exituram, aut eos, qui restitissent, infirmos sine illo ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore et scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse et Romae remansisse: in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut quid agerent, quid molirentur sentirem.* Brut. 49, 181. Quinctil. Inst. 1, 10, 8.

Livius 21, 43, 2. *Si, quem animum in alienae sortis exemplo paullo ante habuistis, eumdem mox in aestimanda fortuna vestra habueritis, vicimus, milites: neque enim spectaculum modo illud, sed quaedam veluti imago vestrae conditionis erat. Ac nescio an maiora vincula maioresque necessitates vobis quam captivis vestris fortuna circumdederit.* Nos quoque *und so weiſs ich nicht.* Alia vide apud Gernhardum ad Cic. Lael. Excurs. p. 255. qui nescio quo pacto remotiorem quasi sententiam repetitam in his videat. Cicero ubi virtutes Luculli eiusque summum litterarum studium exposuit, Acad. 2, 2, 5. pergit: *Ac vereor interdum, ne talium personarum, quum amplificare velim, minuam etiam gloriam.* quod Goerenzius defendere debebat, non mutare. Id etiam vidit Wernsdorf. ad Philip. 3, 9. p. 46. quamquam non satis accurate rem explicuit. Sensus est: et quum ita ille mihi laudandus sit, tantoque studio praestet, vereor etc. Quinctil. Inst. 10, 7, 28. *Ac nescio, an utrumque, quum cura et studio fecerimus, invicem prosit, ut scribendo dicamus diligentius, dicendo scribamus facilius.* Sententiarum nexum in 10, 2, 20. bene exposuit Frotscherus, Spaldingii coniecturam refellens.

Sallust. B. Iug. 4, 3. *atque ego credo fore, qui, quia decrevi procul a republica aetatem agere, tanto tamque utili labori meo nomen inertiae imponant.* Haec ad antecedentia respiciunt, in quibus de magno usu memoriâe rerum gestarum agitur. Quinctil. 10, 2, 20. *Atque ego illi praeceptori, quem instituebam in libro secundo, credidi non ea sola docenda esse, ad quae quemque discipulorum natura compositum videret.* i. e. et ita ego, *und so glaubte ich.* De loco 8, 3, 4. ante loquuti sumus.

22. Ex his facile colligitur, quomodo *ac si*, *atque si* dicatur, et qua ratione id comparari possit cum usu vocabuli *quodsi*. Utrumque enim ad superiora respicere iubet, nectitque sententias ad se invicem relatas. Est igitur *ac si*, in hac rerum consequutione si etc.

Cic. Catil. 2, 2, 3. *ac si, sublato illo, depelli a vobis omne periculum iudicarem. wenn ich nun behauptete.* de Leg. 1, 15, 47. *atque si natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollentur. wenn nun die Natur das Recht nicht bekräftigt.* Ita enim habent codices, non *atqui.* de Offic. 3, 6, 27. *atque si etiam hoc natura praescribit* etc. Quinctil. Inst. 10, 1, 26. 10, 2, 8. 3, 8, 8.

23. Vbi ATQVE cum imperativo coniungitur, transitum aperit ex antecedentibus, quae aliquam conclusionem admittunt. Nos Germani dicimus *und so.*

Cic. p. Cluent. 19, 45. *atque scitote, iudices, eas cupiditates — non facile in eodem homine esse posse.* in Caecil. Div. 19, 61. *Ac vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam.* ita codices: et probaverunt Lambinus et Ernesti.

24. Ad hoc genus referendus etiam est usus particulae in parenthesi, cuius ratio non differre videtur ab illa universa, quae in superioribus satis declarata est.

Livius 21, 38, 6. *id quum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpes transierit: et vulgo credere, Penino, (atque inde nomen et iugo Alpium inditum) transgressum.* cf. p. 508. Cic. Verr. 4, 65, 145. de quo loco vid. p. 474. Atque in hunc modum expediendus est locus Quinctil. 4, 3, 15. *similia his, quae non sunt in quaestione, omnis amplificatio, minutio, omne affectus genus, (atque ea maxime iucundam et ornatam faciunt orationem) de luxuria, de avaritia.* Parenthesis ita signata etiam praemitti potest.

25. Finem imponit orationi particula, ubi, quod demonstratum vel dictum erat, iterum comprehenditur, et ita rem actam esse significatur.

Cic. Orat. 15, 50. *atque in primis duabus dicendi partibus qualis esset, summatim breviterque descripsimus. Und so haben wir denn kürzlich dargelegt.* de Offic. 1, 6, 19. *ac de primo quidem officii fonte diximus.* Cf. 1, 9, 27. de Invent. 2, 39, 115.

III. Superest, ut alias nonnullas formulas afferamus, in quibus ATQVE usurpari solet propria significatione.

1. In formulam abeunt *alius atque alius*, qua varia et multiplex res significatur.

Liv. 8, 23, 17. *dilatisque alia atque alia de caussa comitiis.* 22, 15, 7. 2, 11, 2. 1, 8, 4. Columell. 9, 8, 10. *aliam atque aliam foramine adaperto patitur egredi.*

Aliis interpositis vocabulis, Senec. Ep. 82, 2. *aliud eius subinde atque aliud facientes initium.*

2. *Atque eccum, atque eccum video.* Ita is loquitur, qui aliquem, qui exspectabatur, vel qui opportune et commode venit, accedere videt. Terent. Andr. 3, 3, 48. Eun. 3, 2, 2. Hec. 4, 1, 8. Quod saepe etiam dicitur *sed eccum video*, nemo adhibebit ad comprobandam utriusque formulae aequalitatem.

3. AC SAEPE non raro componuntur, ut rerum continuitatem et aequalitatem indicent: *und so oftmals.* conf. p. 485.

Celsus 5, 8, 4. *ac saepe id, quod iam sanum videbatur, iterum exulceratur.* 3, 3. p. 116. 4, 14. p. 222. Alm.

4. *Atque* cum verbo *omnia* saepe componitur: quod non fit sine caussa. Inest enim vis collectiva, quae omnia aequaliter complectitur. Simili modo nos loquimur *und so überhaupt.*

Cic. de Orat. 3, 59, 223. *atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data.* Orat. 59, 200. *atque omnia illa et prima et media verba spectare debent ad ultimum.* 2, 64, 257. *atque haec omnia verbo continentur.* Ita etiam praemissa negativa sententia i. q. *et potius.* de Offic. 2, 23, 83. *commoda civium non divellere, atque omnis aequitate eadem continere.* ubi Matthiae miror quod ad Catil. 2, 12, 27. explicuit *sed:* Beierus *potiusque.* Nos Germani ita loquimur: *das Wohl der Mitbürger nicht zerstückeln, und so vielmehr alle mit gleicher Sorge umfassen.* Quo modo ad Fratr. 1, 1, 8. *nihil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia plena clementiae, humanitatis.* Quinctil. 10, 2, 2. *atque omnis vitae ratio sic constat, ut, quae probamus in aliis, facere ipsi velimus.* In Cic. Cat. 14, 50. non erat quod Gernhardus dubitaret de scriptura, neque verba cum obiectione referuntur ad adversarium. Scripsit auctor: *atque eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus.* ut praebent codices. De alio Cic. loco vid. p. 465.

5. AC FORTASSE. Id pertinet ad ea, quae de anteoccupatione diximus. Difficile saepe videtur distinguere *at fortasse.* conf. Plin. Pan. 36, 3.

Cic. Orat. 42, 146. *Ac fortasse ceteri tectiores: ego semper me didicisse prae me tuli.*

6. ATQVE ITA, AC SIC saepissime dicuntur propter significationis cognationem. Nemo frequentius

ita loquitur quam Celsus medicus et Phaedrus. Conf. p. 480.

Celsus 7, 20. *tumorem excitent, atque ita fiat mali non finis, sed mutatio.* 2, 11. *in aeneum linamentum ardens coniicitur, ac sic os eius corpori aptatur.* Phaedr. 1, 1, 13. *atque ita correptum lacerat.* 4, 3, 9. Sueton. Caes. 13. 33. 82. Aug. 1. 42.

7. Per *atque si*, *ac si* aut componitur cum re dicta alia res aequa ratione, aut adscendit oratio ad maiora vel graviora. Saepe in ipsis comparationibus locum obtinet.

Celsus 6, 4. *pili primum extenuantur, deinde excidunt: ac si ictus is locus est, sanguis exit liquidus.* 3, 8. *et magnopere necessarium est, neque dari cibum* etc. — *Ac nisi magnopere aliqua res prohibet, inter initia sanguis mitti debet.* Vulgo interponitur comma. Alia vide p. 499. Ammian. 25, 4, 14. 26, 9, 5. Defendenda est praestantior scriptura in Horat. Sat. 2, 2, 118. *ac mihi seu longum post tempus venerat hospes, sive* etc. Fea, vim particulae non intelligens, dedit *at*, idque temere probavit Kirchnerus.

Ita expedienda sunt verba Horatii Sat. 1, 1, 86. *Miraris, quum tu argento post omnia ponas, si nemo praestet, quem non merearis, amorem? Ac si cognatos, nullo natura labore quos tibi dat, retinere velis servaréque amicos, infelix operam perdas.* Quorum sensus est: non modo non amorem tibi comparabis, sed ne retinere quidem et servare amicos poteris cognatos, quos tibi natura dedit: *ac si* est atque adeo si. Et ita scribendum esse, non *an*, bene intellexit Heindorfius.

ATQVE ADEO SI significat *etiamsi*, *und wenn denn auch.*

Tacit. Dial. de Orat. 10. *atque adeo si quis requiritet, semel vidit, transit et contentus est.*

8. Barthius ad Statii Theb. 4, 824. verbis compositis *atque aliquis* expressum esse putat, quod ad plures pertineat ab uno effici. Sed fallitur exemplis, quorum in altero Ovidii Met. 4, 187. *atque* refertur ad praecedens *turpiter*. In reliquis continuatur narratio eo, quem diximus, modo.

9. AC POTIVS. Per *ac* coniungi rem maioris momenti vidimus p. 466. Haec vis tantopere augeri potest, ut addatur *potius*. Heusinger ad Cic. Offic. 3, 6, 16. et Matthiae ad Epist. 27. p. 73. pro *sed potius* poni affirmant. Quod vero inter utramque dictionem

intercedat, supra expositum est. Atque id non infringitur praecedente negatione.

Cic. ad Fam. 1, 1. *ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus: mihi ipsi numquam satisfacio.* ad Att. 3, 15. *si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi.* i. e. *und vielmehr.* Sulpic. ad Cic. 4, 5, 12. *etiam ab hisce tu rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiscere, quae digna tua persona sunt.* de Off. 1, 20, 68. Cic. de Orat. 2, 18, 74. *qui numquam sententias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus, ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus.* i. e. *und so vielmehr.* Horat. Sat. 1, 1, 109. Dubito tamen, an non recte scribatur in Cic. de Leg. 1, 6, 18. *non est ita, Quinte; ac potius ignoratio litigiosa est quam scientia.* Certe *ac potius* non idem valet quod *sed potius.* Lucret. 3, 962. *atque etiam potius, si numquam sis moriturus.*

10. Ac qvidem. De his verbis Schützius praecipit, ea componi ita, ut altera res, quae adiungitur, simul concedatur, redditque hunc sensum vernaculo *und freilich.* Sed exemplum, quo utitur, non satis aptum videtur huic explicationi. Nam in verbis Cic. de Orat. 1, 4, 14. *ac primo quidem totius generis ignari*, sicuti in aliis exemplis transit oratio ad rem per singulas partes accuratius definiendam. Atque haec est, ut supra dixi, propria particulae vis in constituenda expositione, quam reddas per *ita*, *und so.*

Cic. de Orat. 3, 48, 186. *Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut quod etiam est melius et iucundius, longiora. Atque haec quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt.* 3, 29, 117. 3, 10, 38. de Invent. 1, 1, 1. *Saepe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi ac summum eloquentiae studium. — Ac me quidem cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit.* Celsus 7, 14.

In aliis sequitur oppositiva particula *sed*, *autem.* Tum non cohaerent *ac quidem.* Cels. 8, 11. *ac de fractis quidem ossibus hactenus dictum sit. Moventur autem ea* etc. vide p. 494. In aliis *quidem* affirmationi inservit, ad quam, tamquam ad rem in rerum consequutione deprensam, *ac* perducit.

Plaut. Aul. 4, 9, 17. *quinam homo hic ante aedis nostras eiulans conqueritur moerens? Atque hic quidem Euclio est.* i. e. *und das ist sicher Euclio.*

Saepe occurrit formula *ac mihi quidem videtur.* Opinionem cum quadam conclusione adiungit continuatae rei expositioni.

Cic. p. Balbo. 2, 5. *ac mihi quidem hoc dignum rei videtur.* de Orat. 1, 2, 6. 3, 5, 20. in Catil. 3, 5, 13. Sallust. Cat. 3, 2. *Pulchrum est bene facere reipublicae: etiam bene dicere haud absurdum est: vel pace vel bello clarum fieri licet: et qui fecere et qui facta aliorum scripsere multi laudantur. Ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequatur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere.*

De usu verborum AC NE — QVIDEM vide in NE QVIDEM.

11. ATQVE ADEO ita componitur, ut utriusque vocabuli potestas constet integra. Usurpatur enim et ubi una aliqua notio intendenda vel attollenda est, et in adiiciendis sententiis gravioribus. Nam dictio haec, omnibus temporibus communis, rem ex aequo apponit, quae maior vel gravior vel potior est. Nos dicimus *und sogar*, sed saepe eodem sensu etiam *oder sogar.* Quo differat *atque adeo* ab *et adeo*, non est, quod iterum exponam.

Cic. in Caecil. Div. 21, 68. *hoc timent homines: hoc laborant: hoc institui atque adeo institutum referri ac renovari moleste ferunt.* Plaut. Truc. 2, 4, 6. *vapulo hercle ego nunc, atque adeo male.* Curc. 2, 3, 54. p. Planc. 19, 48. *insector, posco atque adeo flagito crimen.* pro Cluent. 29, 79. ad Fam. 4, 3. in Pison. 18, 41. in Catil. 1, 2, 5. 1, 4, 9. Exempla collegit Hadrianus Cardinalis de Modis lat. loq. sub h. v. Drakenb. ad Liv. 10, 5, 14.

Saepe dicitur in carminibus ab initio versus. Valer. Flacc. 2, 61. Statii Silv. 1, 4, 67. ubi not. Theb. 1, 15. 5, 100. Vid. Heinsius ad Claudian. Rapt. Pros. 3, 48. Burmann. ad Propert. 1, 13, 25.

Quod in his ad res refertur, saepe ad eum, qui loquitur, pertinet. Ita dicitur *adeo* ab eo, qui sibi verbis iam propositis non satis fecit, sed se corrigit et addit maius graviusve. *Atque* indicat aliud, quod additur, aeque valere. Cic. p. Rosc. Am. 10, 29. *hoc consilio*

atque adeo hac amentia impulsi. ubi vid. Matthiae. Nos non nisi per verbum *oder* reddere id possumus: quare dicere solemus *atque adeo* esse *vel potius*, *oder vielmehr*. Et additur etiam *potius* Cic. Verr. 3, 50, 118. *quo id iure atque adeo quo id potius more fecisti?* Ernesti. et Beck. delendum putabant *potius*.

Ita explicanda puto Plinii verba Epist. 5, 6. *amavi curam et sollicitudinem tuam, quod, quum audisses me aestate Tuscos meos petiturum, ne facerem suasisti, dum putas insalubres. Est sane gravis et pestilens ora Tuscorum, quae per litus extenditur. Sed hi procul a mari recesserunt: quin etiam Apennino, saluberrimo montium, subiacent. Atque adeo, ut omnem pro me metum ponas, accipe temperiem coeli, regionis situm, villae amoenitatem.* i. e. vel potius quod maius est.

Neque igitur semper adscendit oratio ad maiora, sed in loco alicuius verbi apponitur aliud, quod rem accuratius et verius designet, aut affirmationem adiiciat. Illud dicimus *und vielmehr*, hoc *und in der That*.

Cic. p. Rosc. Am. 35, 100. *quae, si prodierit, atque adeo quum prodierit (scio enim proditurum esse) audiet.* ad Att. 15, 13. *quod ad te antea, atque adeo prius scripsi.* 1, 17. *ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. Nam ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit.* ad Fam. 12, 16. Plaut. Pseud. 1, 3, 57. *egon' patri surripere possim quidquam, tam cauto seni? Atque adeo, si facere possem, pietas prohibet.* Terent. Hec. 3, 3, 36. *maxime volo doque operam, ut clam eveniat partus patrem atque adeo omnes.* Cic. in Verr. 2, 36, 89. *itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renuntiat: demo eius emigrat atque adeo exit: nam iam ante migraverat.*

Plaut. Cas. 2, 6, 15. *dum mihi volui, huic dixi: atque adeo dum mihi cupio, perperam — fabulor.*

Deinde ab eo dicitur, qui aliquid praeter exspectationem fieri aut non fieri miratur, ipsa re cognita se quasi corrigens.

Terent. Andr. 3, 2, 52. *atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obviam.* i. e. *ei da kommt er selbst zur rechten Stunde.* Non huc retulerim exemplum 5, 6, 11. CH. *age me in tuis secundis respice. Tuus est nunc Chremes: facturum, quae voles, scio esse.* PA. *Memini: atque adeo longum est nos illum exspectare:* nam in his *adeo* ad unum vocabu-

lum *longum* pertinere videtur: de qua re in voc. ADEO diximus. Ita Plaut. Curc. 2, 3, 54. *respondit mihi paucis verbis atque ádeo fideliter.* Sed Terent. Eun. 5, 4, 42. *atque adeo autem cur non egomet intro?* i. e. *aber warum gehe ich nur nicht hinein?*

Sic etiam hac dictione is utitur, qui, antea negata re, aliam proponit rem, aut de sententia sua cedit et animum mutat.

Tacit. de Caus. corr. el. 14. *num parum tempestivus, inquit, intervenio secretum consilium et caussae alicuius meditationem tractantibus? Minime, minime, inquit Secundus: atque adeo vellem maturius intervenisses.* i. e. immo. Terent. Phorm. 2, 3, 42. *atque adeo, quid mea? Stilpho est.* i. e. *ie nun, was kümmert es auch mich?* Antea negaverat se dicturum esse nomen. Conf. p. 489. nam ita etiam *atque* simpliciter ponitur.

Noltenius in Lexico Antibarb. p. 845. nescio quo auctore haec: „*atque adeo* quum inchoat periodum, notat fere idem quod *propterea.*" Quod absurdum videtur. Conf. p. 155. Exempla vero quae afferuntur, non unius sunt generis. Nam in Plin. Epist. 5, 3. *atque adeo si quis forte* etc. significatur *et ita adeo.* Magis dubia videtur esse interpretatio loci Cicer. in Verr. 2, 1, 2. *quo mihi maturius ad Siciliae caussam veniendum est, relictis ceteris eius furtis ac flagitiis, ut et viribus quam integerrimis agere et ad dicendum temporis satis habere possim. Atque adeo antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda.* Sed oratoris mens haec erat. Praeter omnia alia maxime mihi consideranda est Sicilia, et ita ne id quidem praetermittendum est, ut de dignitate et utilitate eius prius dicam quam de incommodis eius.

Plinii Paneg. 27. *Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum: maius tamen in spem libertatis, in spem securitatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat, non alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra largiatur et auferat, alat et occidat: nae ille in tam brevi tempore effecerit, ut omnes non posterorum modo, sed sui parentumque poeniteat.* Cohaerent verba *adeo nihil*, et *atque* positum est in continuata argumentatione. *Nun mag der Furst sogar nichts verleihen,*

wenn er nur nichts nimmt, und man wird sich Kinder wünschen.

Plin. Ep. 4, 1, 2. *atque iam adeo sarcinulas alligamus.* Schaeferus correxit *atque adeo iam*, tamquam hoc necessarium esset. Male. vide nos p. 146. nec debebat probare Dronkius ad Tacit. Dialog. p. 105.

12. Per ATQVE INSVPER adiungitur quod eiusdem est generis.

Plautus Amphitr. 3, 2, 7. *quin ego illum aut deseram, aut satisfaciat mihi ille, atque adiuret insuper,* [1] *nolle esse dicta, quae in me insontem protulit.* Celsus 4, 10. *ac insuper quoque recte quaedam malagmata iniiciuntur.* Alii tamen *ac super.* Vide in QVOQVE et supra p. 455.

13. ATQVE ETIAM proprie dicitur pro *et item etiam, et pariter etiam, und so auch, eben so auch.* Nec credam Goerenzio, qui ad Cic. de Fin. p. 593. et in Iahnii Annal. 1, 2. p. 307. statuere conatus est, *etiam* cum *atque* coniunctum ubique sensum habere intensivum, ideoque respondere nostro *ja sogar.* Saepe *etiam*, ab *atque* remotum, ad aliud vocabulum pertinet, veluti Cic. de Fin. 3, 18, 59. Cf. ETIAM.

Cic. de Orat. 2, 61, 251. *atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta.* i. e. *eben so ist auch zu bemerken.* Columell. 2, 2, 3. Cic. de Offic. 1, 26, 90. *atque etiam in rebus prosperis et ad voluntatem nostram fluentibus superbiam, fastidium arrogantiamque magno opere fugiamus.* 91. *atque etiam in secundissimis rebus maxime est utendum consilio amicorum.* 1, 30, 106. de Nat. d. 2, 11, 30. Terent. Heaut. 1, 2, 13. *atque etiam nunc satis tempori est.* i. e. *und so ist's auch jetzt noch Zeit.* Columell. 2, 14, (15,) 7. *sin autem surculo et segetibus atque etiam pratis fundus est dispositus, generatim quodque reponendum est.* Celsus 6, 11. *ac miserius etiam est, si lactens adhuc infans est.* Sallust. Iug. 85, 21. Cic. Orat. 40, 139. *atque alias etiam dicendi quasi virtutes sequitur.*

In Sallust. Cat. 52, 26. *misereamini censeo: deliquere homines adulescentuli per ambitionem: atque etiam armatos dimittatis.* non pauci libri omittunt *etiam*, quod alienis exemplis defendit Gerlachius. Est, igitur etiam. Cic. Orat. 32, 114. *Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit* etc. Codex Gud. omittit *atque*, quod critici approbabant tamquam melius. Vtrumque autem dici poterat, quum *atque* esset id quod *item.* Cic. Lael. 14, 51. *atque etiam mihi qui-*

dem videntur, qui utilitatum caussa fingunt amicitiam, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Goerenzius et Beierus eiiciendum censent *etiam:* non item ego: nam deleto hoc vocabulo, qui sit orationis continuus ordo, non intelligo. Cicero enim amicitiae fundamenta describens a bonitate transit ad utilitatem amicitiae iungendae infestam, ut dicat: *item ii praeterea qui* etc. Fortasse tamen praestat aliorum librorum scriptura: *atque etiam videntur mihi quidem.*

Tum etiam eo sensu usurpatur, quo significat *ac potius*, *und vielmehr*, et ponitur pro atque adeo. vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 10, 30. p. 61. Heumann. ad Cic. Catil. 4, 9, 18. Matthiae ad Cic. Epist. 100. p. 223.

Terent. Adelph. 4, 5, 28. *factum a vobis duriter, immisericorditerque, atque etiam si est, pater, dicendum aperte, illiberaliter.* 2, 2, 1. *cupide accipiat faxo, atque etiam bene dicat secum esse actum.* Cic. ad Fam. 6, 22. *haec quamquam nihilo meliora sunt nunc, atque etiam multo desperatiora.* Liv. 3, 46, 9. *ne Virginio commeatum dent, atque etiam in custodia habeant.* Quinctil. Inst. 4, 2, 73. *quorum pater vivit, atque etiam liberis adest.* Cic. de Off. 1, 41, 147. *sed etiam, quid quisque sentiat, atque etiam qua de caussa.* Sueton. Iul. 26. *tirones neque in ludo neque per lanistas, sed in domibus per equites Romanos, atque etiam per senatores armorum peritos erudiebat.* 55. *splendidam quoque atque etiam magnificam ac generosam quodammodo rationem dicendi tenere.* vid. Burmann. ad c. 76. et Oudendorp. ad c. 55. Liv. 44, 22. *in omnibus circulis atque etiam, si diis placet, conviviis sunt, qui exercitus in Macedoniam ducant.* Cic. in Verr. 4, 34, 76. non bene explicat Matthiae ad p. Mur. 34, 71. per *sed etiam.*

Plaut. Trucul. 5, 6. AST. *merito ecastor tibi succenset.* PH. *egon'? atque isti etiam parum male volo.* Verte: *ich? vielmehr mein' ichs nicht so böse mit ihm.* Haec secum loquitur. Aliter Lambinus sensum cepit: sed conf. 4, 4, 34.

14. Componuntur non mutato sensu ATQVE ADEO ETIAM.

Livius 10, 5, 14. *non petentem atque adeo etiam absentem creatum credidere quidam.* ubi erant qui alterum utrum expungerent. vid. Drakenborch. Varro apud Nonium 2, 550. *mihi facies maeandrata et vermiculata, atque etiam adeo cingens orbem terrae.*

15. AC — QVOQVE. Ne quis neget, haec verba communi notione contineri, comparari potest germani-

cum *und so ebenfalls*. Negavit vero Facciolatus in Epistola Meieri. Quae Schwartzius in Monument. ingen. 1. p. 150. ad defendendam suam sententiam affert, parum efficiunt. Nam etiamsi *ac* annectendae sententiae inserviat, *quoque* ad proximum vocabulum pertineat, tamen inter utramque vocem id intercedit, quod similis vel aequalis res per *atque* coniungi solet.

Cic. de Nat. d. 2, 12, 32. *atque ex hoc quoque intelligi poterit* etc. Columell. 2, 13, (14,) 3. *ac de iis quoque leguminibus, quae velluntur, Tremellius obesse maxime ait solo virus ciceris.*

Celsus 2, 3. *ac lumbricos quoque aliquos sub fine morbi descendisse nihil nocet.* 3, 22. *atque huius quoque plures species sunt.* E Celso, qui hunc usum frequentavit, afferamus haec: 2, 6. p. 56. Alm. 2, 17. 3, 21. p. 162. 4, 15. p. 224. 5, 28, 3. et 15. p. 337. 6, 7, 8. p. 376, 7. praef. p. 406. 7, 7, 10. p. 430. 7, 18. p. 457. 6, 14. *ac mediocriter eam tumentem aqua quoque frigida — reprimit* dixit pro *ac mediocriter tumentem quoque.* Et componuntur *ac postea quoque* 4, 13. p. 223. *ac tum quoque.* 4, 26. p. 479.

Adscendit oratio etiam in hac formula.

Plaut. Pseud. 1, 3, 133. CAL. *Verberavisti patrem atque matrem.* BA. *Atque occidi quoque, potius quam cibum praehiberem.*

Plautus, ut fit in vulgari sermone, particulas plures constipavit Amphitr. Prol. 30. *atque ego quoque etiam, qui Iovis sum filius, contagione mei patris metuo malum.*

16. Num ATQVE ET eo modo, quo *atque etiam* dicitur, usurpetur, dubitari potest.

Liv. 21, 38, 6. *atque inde nomen et iugo Alpium inditum.* Gronovius et Drakenborchius emendant *ei iugo.* Fortasse scripsit Livius *est.*

17. De AC TAMEN et quo differat ab *attamen* vide p. 489. et iterum in TAMEN.

18. ATQVE VBI coniunguntur, ut significetur transitus in aliam rem connexam. Nos dicimus *und so wie.* Igitur interdum idem est quod *simulac.*

Tacit. Ann. 3, 1. *Atque ubi primo ex alto visa classis, complentur portus* etc. Celsus 6, 7, 7. *atque ubi crusta ex auricula procedit, eluenda est aqua tepida.* Vim particulae perspexit Barth. ad Stat. Theb. 2, p. 276.

19. ATQVE VT consociantur similitudine sua. Nos *und so wie.*

Cic. Tusc. 2, 20, 46. *atque ut haec de honesto, sic de turpi contraria.*

Tum ATQVE VT et AC NE dicuntur cum quadam conclusione, *und damit so*, et pro *et adeo ita ut.*

Sueton. Aug. 46. *ac necubi aut honestorum deficeret copia, aut multitudinis soboles* etc. ita restituendum est. Caes. 52. *ac ne cui dubium omnino sit* etc. Cic. Philip. 2, 9, 24. *ac ne sine caussa videretur edixisse* etc. i. e. et in hac rerum conditione. Catil. 3, 12, 29. *id ne vobis diutius faciendum sit, atque ut in perpetua pace esse possitis, providebo.* negatione praemissa id quod *et potius.* vid. p. 467. Plaut. Bacch. 5, 2, 67. *isne tu hac mecum intro, atque ut eis delicta ignoscas?* Inconsiderate Bothius haec mutavit.

Exprimitur haec significatio addito *ita* in ATQVE ITA VT.

Plaut. Epid. 3, 4, 32. *si sexaginta mihi denumerantur minae, tuas possidebit mulier faxo ferias, atque ita profecto ut eam ex hoc exoneres agro.*

Solemnis est formula, qua *atque* additur iis verbis, quibus cur dicendum videatur, antea monetur.

Cic. p. Cluent. 14, 43. *atque ut haec ita esse perspicere possitis, exponam vobis Oppianici facinus.* in Catil. 2, 5, 9. *atque ut eius diversa studia in dissimili ratione perspicere possitis, nemo est in ludo gladiatorio* etc. p. Leg. Man. 8, 20. Quibus patet, cohaerere verba *atque ut*, neque ea distrahi posse interposito commate, ut fieri solet.

20. ATQVE VERO. Vt harum particularum usum demonstrent, afferunt Plaut. Aul. Prol. 15. *ubi is obiit mortem, qui mihi id aurum credidit, coepi observare, ecqui maiorem filius mihi honorem haberet, quam ei habuisset pater. Atque ille vero minus minusque impendio curare, minusque me impartire honoribus.* At in his voc. *vero* non cohaeret cum particula, sed significat *re vera.*

IV. 1. De nexu, qui inter *atque* et alias copulativas particulas intercedit, haec notanda videntur. Ac primum nullam offensionem habet, ubi aliis verbis per *et* coniunctis praecedit *ac* nectendae sententiae caussa.

Cic. p. Coel. 18, 43. *ac multi et nostra et patrum maiorumque memoria, iudices, summi homines et clarissimi cives fuerunt.* Editores quidam correxerunt *at multi.*

2. Sequitur *ac* post *et:* de quo Goerenzius ad Cic. de Fin. 4, 22, 61. „sed accurate notabis, inquit, per *ac* semper fere partem solere eius, quod ante per *et* iungebatur, insigniri.“ Quae pars intelligatur, e superiori expositione patebit. Contrariam sententiam vide p. 464.

Cic. de Orat. 1, 58, 247. *equidem putabam virtutem hominibus instituendo et persuadendo, non minis et vi ac metu tradi.* Intellige, vi ideoque metu: *und sonach.* de Off. 3, 1, 1. *magnifica vero vox et magno viro ac sapiente digna.* Per *ac* apparet gravior vis alterius nominis Quinctil. Inst. 8, 3, 3. *qui non assequutus esset docendo iudicem tantum et utiliter demum ac latine perspicueque dicendo.*

Proxime etiam sequitur *que.*

Varro apud Non. s. v. *aeternare: litterisque ac laudibus aeternare.* Liv. 26, 10, 4. *submoverique atque in castra redigi.*

3. In multiplici repetitione particulae grammatici quidam nescio quam elegantiam observasse sibi visi sunt. At haec omnino nulla est, nisi scriptor certa ratione usus fuerit. Poetae saepe metro et vocalium sonantium concentui indulgebant, neque in hac necessitate nobis permittebant, quo *atque* a ceteris copulis distingueremus. Ita apud Virgil. Georg. 4, 461. *flerunt Rhodopeiae arces altaque Pangaea et Rhesi mavortia tellus, atque Getae, atque Hebrus, et Actias Orithyia.* Oratores autem quo modo vim aliquam addiderint per particulam, id ex universa hac doctrina constat.

Cic. ad Fam. 1, 5, 8. *dignitatem tuam in virtute atque in rebus gestis tuis, atque in tua gravitate positam existimare.* de Leg. 3, 9, 20. *atque ut C. Flaminium atque ea, quae iam prisca videntur, propter vetustatem relinquam.* Conf. p. Coel. 19, 45. Apud Sueton. Calig. 52. *vestitu calciatuque et cetero habitu, neque patrio, neque civili ac ne civili quidem, ac denique humano semper usus est.* Wolfius vidit scribendum esse *aut denique.*

4. Poetae usurparunt *atque — atque* pro *et — et.*

Virgil. Eclog. 5, 22. *quum — atque deos atque astra vocat crudelia mater.* Catul. 68, 152. *haec atque illa dies, at-*

que alia, *atque alia*. Vid. Hadr. Cardinal. p. 59. a. Iac. Gronov. ad Gell. 7, 14. Drakenborch. ad Sil. Ital. 1, 93.

5. Post *nec* ponitur *atque* eo modo, quo *et*, *que*, apud poetas quidem et recentiores scriptores. Ernestius ad Sueton. Vesp. 12. loquitur tamquam de re pervagata: sed rara sunt exempla et nova, et plerumque in coniunctione aliarum particularum, veluti *ac — etiam*, *ac minus*. Ruhnkenius ad Vellei. P. 2, 44. prorsus repudiavit doctrinam ex locis mendosis ductam et conflatam: sed quem auctorem huius sententiae laudat, Bentleius et in Horat. Ep. 16, 6. et in Serm. 1, 6, 68. corrigendis alia pensavit argumenta, non particulae vitium.

Martial. 11, 32, 4. *nec clavis nec canis atque calix.* Tacit. Agr. 10. *naturam Oceani atque aestus neque quaerere huius operis ist*, *ac multi retulere.* Sueton. Vespas. 12. *mediocritatem pristinam neque dissimulavit umquam, ac frequenter etiam prae se tulit.* vid. NEQVE. Quae Schwarzius ad Plin. Paneg. 36. p. 537. affert, diversi sunt generis.

6. Eorum, quae proposuimus, veritatem nihil magis comprobat, quam poetarum aliorumque scriptorum usus, quo praemisso *atque* proximum additur *neque*.

Sueton. Caes. 18. *ac neque more*, *neque iure — profectus est.* Celsus 1, 1. *sanus homo — nullis obligare se legibus debet: ac neque medico*, *neque iatroalipta egere.* 1, 2. 2, 1. *si qua etiam genera morborum in infantem inciderunt, ac neque pubertate*, *neque primis coitibus*, *neque in femina primis menstruis finita sunt.* et sic saepissime. 7, 23. *atque neque assumi facile cibus*, *neque contineri potest.* Targa correxit *ac neque.* Dubius est locus 8, 1. p. 504. ubi codices praebent *ac neque inter durissima ossa numerandum:* de quo vid. Targae Epist. p. 560. Valer. Flacc. 4, 128. *atque adeo neque ego hanc motis avertere ventis tentavi tenuique ratem, nec iam mora morti hinc erit ulla tuae.*

7. Potest ea orationis pars, cui praefixa est particula *ac*, longius a reliquis distrahi, interpositis aliis sententiis: id quod ipsam distinguit a particula *et*.

Cic. Orat. 14, 43. *quoniam tria videnda sunt oratori, quid dicat, et quo quidque loco et quomodo: dicendum omnino est, quid sit optimum in singulis, sed aliquanto secus atque in tradenda arte dici solet. Nulla praecepta ponemus (neque enim id suscepimus), sed excellentis eloquentiae speciem et formam adumbrabimus: nec quibus rebus ea paretur, exponemus: sed qualis nobis esse videatur. Ac duo bre-*

viter prima. Haec cohaerent cum superioribus *dicendum est aliquanto secus atque in tradenda arte dici solet.*

8. Num particula post vocabulum, quod coniungat, poni possit, ab antiquis grammaticis iam quaesitum est, atque hanc licentiam Priscianus p. 1034. poetis concedit, allato Horatii loco Serm. 1, 4, 107. *quum me hortaretur parce frugaliter atque viverem uti contentus eo quod mi ipse parassem.* De quibus Bentleius, „delirat, inquit, acumen grammatici, quum *atque* hic postponi existimat." Poetis licuisse transponere vocabula, satis probat unus Lucretius 3, 530. *scinditur atque animo quoniam natura* etc. ubi quod olim legebatur *atqui*, nunc reiectum est. De loco Horat. Epist. 1, 1, 25. loquuti sumus p. 194. Sed apud Gellium 1, 2. *totiusque villae venustate aquis undique canoris atque avibus personante.* recte dicuntur *canorae aquae*, sicuti Peneus a Plinio Hist. n. 4, 8, 15. Quod 19, 1. Lipsius dedit, *sed nihil de periculo, de saevitia atque remissum*, a criticis non acceptum est: alii libri *de saevitiave.* Neque editores obtemperaverunt consilio Lipsii, qui Elect. 2, 19. p. 506. in Gell. Noct. 19, 9. emendaverat: *et poculis mox, sermonibus atque tempus fuit.* in Flori 2, 6, 24. *quod in bullis singulis atque anulis erat.*

* Quam saepe confusa sint a librariis vocabula *ac* et *at*, in quovis libro notatum videmus. Conf. p. 450. Critici autem, qui utriusque vocis vim non perspectam haberent, innumeris in locis temere reposuerunt *at.* De commutatione verborum *ac* et *aut* dixerunt Drakenb. ad Liv. 21, 53, 3. 7, 39, 14. Cort. ad Sallust. Iug. 82, 2. Burmann. ad Suet. Cal. 46. interpr. ad Vellei. P. 1, 12. Heusing. ad Cic. Off. 3, 6, 13. 3, 13, 3. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 121. Saepe variant libri in *ac* et *et.* vid. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 34, 11. Goerenz. ad Acad. 2, 11, 36. de Fin. 5, 24, 69. 4, 5, 11. in *ac* et *hac.* vid. Drakenb. ad Liv. 35, 26, 7. Wunder. in Lect. cod. Erfurt. p. 58. in *ac* et *ad.* vid. Drakenb. ad Liv. 21, 31, 2. Bremi ad Cornel. Them. 3, 8. *Atque* confunditur cum *ad quae.* vid. Burmann. ad Suet. Caes. 29. et 39. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 499. 538. cum *aque.* vid. Burmann. ad Ovid. Her. 6, 156. 21, 180. ad Met. 3, 631. cum *adque.* vid. Drakenb. ad Liv. 8, 17, 1. 9, 31, 10. Burmann. ad Suet. l. l. cum *atqui.* vid. Drakenb. ad Liv. 5, 4, 1. conf. p. 493. cum *itaque.*

vid. Drakenb. ad Liv. 40, 12, 2. cum *utque*. Burm. ad Suet. T. 1. p. 521. Quomodo excidere potuerit particula, demonstravit Madvig. in Emendat. p. 126. Interdum a librariis eam adiectam esse indicat Oudendorp. ad Apulei. de Mundo p. 329.

ATQVI.

Etiam in hoc vocabulo grammatici omnia miscent, modo per *sed enim*, modo per *attamen*, *immo* explicantes. Ab origine exordiar. Atque compositum est ATQVI ex *at* et *qui*, quod est *quo*. Significat igitur proprie, *contra quo modo*, *quodam modo*, et quum relativa haec notio respondeat demonstrativae, idem fere quod *contra hoc modo*. Id proxime accedit ad confirmationem, ut res, quae dicitur, suo modo constare videatur. Hinc exsistit sensus verborum *ἀλλὰ δή*, *ἀλλὰ δήπου*, *ἀλλὰ μὴν*, *ἀλλά τοι*, *dagegen eben*, vel si vim pronominis pressius tenemus, *dagegen in welcher maſsen*.

Id ex plurima parte etiam Lindemannus bene cognovit, cuius verba Spec. IV. De Adverbio lat. p. 4. haec sunt: „*atqui* ex *at* et *qui* compositum nemo est, quin statim intelligat, quodque plane est Graecorum *ἀλλά πως*, *at aliquo modo*, *at quodammodo*, *aber gewissermaſsen:* quae est prima voculae significatio, quaeque saepe invenitur, veluti Cic. Tusc. 1, 39. *iidem*, *si puer parvus occidit*, *aequo animo ferendum putant: si vero in cunis*, *ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura quod dederat. Aber von diesem forderte die Natur gewissermaſsen noch strenger ein*, *was sie gegeben hatte.* Quacum notione coniunctissima est illa, qua respondet Graecorum *ἀλλὰ μέντοι*, *aber gleichwol.* Quum enim *at* per se iam vim oppositivam cum concessiva coniungat, *qui* autem encliticum illud facile vim consequutionis accipiat, ut Graecorum *τοὶ*, quod proprie est *eo*, *drum*, efficitur ut *atqui* poni possit et soleat, ubi opponitur aliquid superioribus, simul tamen conceduntur aliquatenus, quae ante dicta sunt, ita quidem, ut consequutio annectatur: *aber wenn denn auch so ist*, *gleichwol* etc. Ex hac notione sequitur illa usitatissima, ubi *atqui* in argumentationibus et conclusionibus assumptionem inducit.“ In his tamen primum desidero exempla graeci usus verborum cohaerentium *ἀλλά πως*: tum apud Ciceronem *atqui* est *dagegen eben*, quod fere idem atque *vielmehr:* nec patet, quomodo ambigua et incerta notio verbi *gewissermaſsen* transire possit in certam, quae confirmat, sententiam.

Duae igitur sunt vocabuli partes, altera oppositiva, altera confirmativa. Et inservit ipsum sententiae contrariae ita opponendae, ut eius vis per asseverationem et per veritatis confirmationem, dum dicimus rem suapte potestate valere, magis eluceat. Atque quadruplicem observamus usum huius particulae, in oppositionis asseveratione, in sententia, quae aliis concessis aut missis, suam ob vim aeque adeoque magis consideranda sit, in anteoccupatione et in assumptione, quae cum conclusione quadam coniuncta est. Veteres scriptores non omnes consentiunt in huius vocabuli usu, quippe qui ad graecam dictionem conformatus esse videatur. Alii enim eo omnino non utuntur, numquam Varro, numquam etiam Celsus: alii eius potestatem, ubi fieri poterat, vocabulo *atque* comprehendebant. Quare multis in locis, praesertim in assumptione et in occupationis formulis, si libri scripti variant, quid ab auctore profectum sit, constitui non potest. Quid, quod recentiori tempore scriptores nonnulli ad discrimen harum particularum ipsi non diligenter attenderunt.

I. 1. Obiectio, quae simpliciter refutat aliam sententiam contrariam, aut contrarium quid opponit, exprimitur per *at*, non per *atqui*, neque hoc pro illo positum usquam, nisi apud recentiores scriptores et iurisconsultos, reperitur. Nam *qui*, quod adhaeret, expendit quodammodo vim sententiae, additque momentum aliquod affirmationis.

Vlpian. in Digest. 8, 5, 1. *sepulchra autem nostri dominii non sunt: atqui viam ad sepulchrum possumus vindicare.* i. e. *at.* Plaut. Rud. 3, 4, 14. Le. *tecum ago.* Tr. *atqui mecum agendum est.* quod accipi potest pro *at mecum, non cum illo:* sed maior inest vis: nam antea Daemones dixerat *cum istoc primum, qui te novit, disputa.* Affirmat igitur Trachalio ex sua parte id, quod Daemones dixit.

2. Errant ii, qui, Facciolatum sequuti, docent *atqui* poni in continuata sententia pro *atque, atque etiam.* Numquam enim *atqui* coniungit aequalia aut similia, sed ubique adversativam significationem sibi propriam perhibet, neque sententiam consequutione producit ita, ut sit *und so.* Id non satis distinxit Voorda, quum in Lect. Tull. c. 8. de utriusque vocabuli discrimine ageret, et Schwartzius in Tursellino falsa apposuit exempla Cic. Agrar. 2, 6. Verr. 1, 42, 108., in quibus necessario et

recte legitur *atque*. Quo autem modo *atque* pro *atqui* poni possit, supra p. 492. demonstravimus: nam adversativa notio omitti quidem, tamen non potest addi importune. Neque ille, quem supra p. 460. illustravimus, nexus particulae et pronominis etiam huic voci *atqui* competit apud bonos quidem scriptores, nec vis illa collectiva, quae propria est vocabulo *atque*. Vid. p. 475. s.

Mirabili subtilitate critici alterutrius particulae patrocinium suscipere solebant: veluti Davisius vocabulum *atqui*, recentiores ubique *atque* restituendum censuerunt. Quomodo loci Cic. p. Mil. c. 4. et c 15., quos Facciolatus affert, explicari debeant, deinceps monstrabimus. Cic. Tusc. 5, 20, 57. *qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam, servitute oppressam tenuit civitatem. Atqui de hoc homine a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eumdem tamen maleficum natura et iniustum.* Haec recte essent dicta, nisi praecederent *servitute oppressam civitatem.* Quare sine dubio scribendum est *atque*, idque legitur in cod. oxon. p. Arch. 6, 15. *etiam illud adiungo, saepius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura valuisse doctrinam. Atqui idem ego contendo, quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solere exsistere.* Ita Schellerus cum Ilgenio et Ochsnero correxerunt, sed unice verum est *atque idem ego.* ut in iis locis, quos afferunt Schellerus in Observ. p. 91. 100. 133. et Ochsnerus p. 110. praeter Tusc. 3, 9. ubi prorsus alia est ratio.

Cic. de Senect. 14, 50. *quid de P. Licinii Crassi et pontificii et civilis iuris studio loquar? aut de huius P. Scipionis, qui his paucis diebus pontifex maximus factus est. Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus.* Miror Gernhardum haec eo nomine defendisse, quod cum obiectione quadam aptius per *atqui* referrentur ad adversarium. In his enim nihil opponitur adversario, nisi exempla, neque ipsa orationis conformatio admittit *atqui*, quod locum obtinere posset in hac sententia: *atqui ii omnes senes erant multorum annorum.* Cicero scripsit *atque:* cuius de usu vid. p. 475. Nec probari potest Schützii emendatio in Cic. ad Att. 3, 23. *atque hoc in illis tribunis plebis non laedebat.* Vult ille: *atqui hoc illos tribunos pl. non laedebat.*

Apud Arnobium legitur 3. p. 67, 31. *nisi enim thura et sal-*

sas accipiant fruges, benefacere dii nequeunt? Atqvin ego rebar paullo ante, spontaneas esse numinum benignitates. Ex hoc recentiorum usu Floridus emendare voluit Apulei. Apolog. p. 310. (496. Pric.) *atqui ego scio*, ubi recte legitur *atque*.

Numquam dixerunt veteres *atqui etiam:* quamquam id legitur in quibusdam codicibus Cic. in Verr. 1, 60, 155. Tusc. 5, 15, 43. et quondam in editionibus Gruter. et Ernest. de Fin. 3, 18, 59.

3. Confirmationem igitur addit rei, quae opponitur. Quod etiam per simplex *at* exprimitur, sed adiecto *qui* intenditur vis enuntiationis: *dagegen eben.* Quamquam erunt, qui haec exempla ad syllogismi formam reducant, reddantque *nun aber.* Sed non necesse est orationem putare non absolutam, neque aliunde oritur usus in syllogismis, nisi ex hac ipsa significatione primaria. Saepe nos eumdem sensum exprimimus per *vielmehr.*

Cic. p. Sext. 37, 79. *quum omnia vi et armis egeris, accuses eum, qui se praesidio munierit, non ut te oppugnaret, sed ut vitam suam posset defendere? Atqui ne ex eo quidem tempore id egit Sextius, ut a suis munitus tuto in foro magistratum gereret.* De Nat. d. 1, 7, 16. *atqui mihi quoque videor, inquam, venisse, ut dicis, opportune.* ubi recte Heindorfius comparat ἀλλὰ μὴν καὶ ἐμοὶ δοκῶ. Horat. Carm. 1, 23, 1. *vitas hinnuleo me similis Chloe, quaerenti pavidam montibus aviis matrem —. Atqui non ego te tigris ut aspera, gaetulusve leo frangere persequor.* i. q. ἀλλά τοι. Terent. Ad. 5, 5, 5. *et tibi lubens bene faxim.* Sy. *gratiam habeo.* (quod ironice dicit.) D. *atqui, Syre, hoc verum est, et ipsa re experiere propediem.* Male Donatus: *atqui abundat per παρέλκον.* Eun. 5, 1, 9. Heaut. 4, 4, 7. *atqui tu hanc iocari credis? faciet, nisi caveo.* i. q. atqui non iocatur. Dubitationem occupat, eique affirmationem opponit: *glaubst du vielmehr, sie scherze.*

4. Dicitur *atqui* in asseveratione ea, quae alterius assensum occupat, ne ille de veritate dubitet, quasi sit sententia: at aliud, quod ex sua parte convenit, hoc est: *at sane, ex altera parte sane.* Cicero de Senect. 22. *iam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atqui dormientium animi maxime declarant divinitatem suam.* vertit graeca verba Xenophontis: ἐννοήσατε δὲ, ὅτι ἐγγύτερον μὲν τῷ ἀνθρωπίνῳ θανάτῳ οὐδέν ἐστιν ὕπνου. ἡ δὲ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴ τότε δή-

που θειοτάτη καταφαίνεται. Est *τότε δήπου dann eben, atqui dagegen eben.* Ita removentur ea, quae obstant, asseveratione.

Cic. de Senect. 17, 59. *quum autem admiraretur Lysander et proceritates arborum et directos in quincuncem ordines et humum subactam atque puram — : tum dixisse mirari se non modo diligentiam, sed etiam sollertiam eius, a quo essent illa dimensa atque descripta: et ei Cyrum respondisse: atqui ego omnia ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio.* i. e. ne putes alium id fecisse, ego senex quidem feci. Xenophon scripsit *ταῦτα τοίνυν ἐγὼ πάντα καὶ διεμέτρησα καὶ διέταξα.*

5. Quum in eo, quod ex adverso ponitur, non semper contrarium, sed quod ab altera parte appareat, insit, additur per *atqui* confirmatio rei ex altera parte. Et potest oratio ita ad graviora et ad ea, quae magis in re probanda valeant, adscendere: id quod negavit Voorda Lect. Tull. c. 8. Tum significat *immo, quin*, quod eiusdem est formationis. Sed affirmativa vis saepe tantum praevalet, ut reddi possit per *ja*, *allerdings*, et in reiicienda dubitatione per *nein*, et in ironia per *freilich.* Ratio una subest.

Curt. 9, 2, 17. quum dixisset: *non est improvisa vobis mentientium vanitas*, addidissetque exempla, pergit: *Atqui eadem vanitas copias peditum equitumque numeravit.* i. e. ex altera parte. nec tamen male se haberet *atque*, quod esset *et item.* Cic. Lael. 19, 68. *maxima est enim vis vetustatis et consuetudinis. Atqui in ipso equo, — si nulla res impediat, nemo est, qui non eo, quo consuevit, libentius utatur, quam intractato et novo,* Dici poterat *atque*, i. e. et ita, et ita sane: sed quod non pauci codices habent, *atqui*, Gernhardus male reiicit ob conclusionis in syllogismo defectum: nam idem exprimit ac *quin:* quod alii ex aliis libris receperunt. In Terent. Heaut. 4, 4, 15. unius sunt formae haec: *quin est paratum argentum.* et, *atqui iam dabitur.* Hec. 1, 2, 83. *postquam hunc alienum ab sese videt, maligna magis et magis procax facta illico est.* Ph. *Non edepol mirum.* Pa. *Atqui ea res multo maxume disiunxit illum ab illa.* ubi Donatus *atqui, immo:* legitur *et atque.* Vtrumque recte. Scribon. Larg. Compos. medic. 179. *adiuvari autem debent in initiis vino mero* etc. *Atqui maxime prodest lac asininum.*

Plaut. Pers. 4, 4, 30. Do. *Salvus sis, adolescens.* Sa. *siquidem hanc vendidero pretio suo.* To. *Atqui aut hoc em-*

ptore vendes pulchre aut alio non pretio. Cic. de Republ. 3, 5. *atqui id tibi, inquit Laelius, verendum est, si ea dixeris, quae contra iustitiam dici solent, ne sic etiam sentire videare, quum et ipse sis quasi unicum exemplum antiquae probitatis* etc. Ironia in his aperta est: verte *allerdings, freilich.* Ita etiam de Leg. 1, 1, 4. *atqui multa quaeruntur in Mario, fictane an vera sint.* quod est *im Gegentheil eben,* verti potest *ja freilich.*

6. Hinc componuntur verba *atqui certe*, *atqui sic.* Illud est *dagegen in der That eben:* quod fere idem atque *at contra potius*, *dagegen vielmehr.*

Cic. ad Att. 7, 7. *illud — non adscribis: et tibi gratias egit. Atqui certe ille agere debuit. i. e. dagegen hätte er eben wirklich Dank sagen sollen.* de Nat. d. 2, 7, 18. *an cetera mundus habebit omnia: hoc unum, quod plurimi est, non habebit? Atqui certe nihil omnium rerum melius est mundo. i. e. dagegen eben.* conf. II. 2.

Terent. Eun. 5, 4, 31. (5, 11.) Pa. *nescio.* Py. *atqui sic inventast.* Cic. p. Arch. 8, 18. *hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui sic a summis hominibus eruditissimis accepimus, ceterarum rerum studia et doctrina et praeceptis et arte constare, poetam natura ipsa valere.* ubi Schützius temere mutavit *atque.* Est enim: ab altera parte sic etiam accepimus.

Plaut. Asin. 3, 3, 80. *atqui pol hodie non feres, ni genua confricantur.* Conf. p. 437.

7. In colloquio saepe, ut ex allatis iam exemplis cognoscitur, *atqui* continuat et persequitur rei, de qua amplius dubitari non possit, affirmationem: ubi nos dicimus *nun ja*, *allerdings.*

Plin. Hist. n. 15, 18, 20. *interrogo vos, inquit, quando hanc pomum demptam putetis ex arbore? Quum inter omnes recentem esse constaret: atqui tertium, inquit, ante diem scitote decerptam Carthagine: tam prope a muris habemus hostem.* Plaut. Aul. 2, 4, 8. *atqui ego istuc, Anthrax, aliovorsum dixeram.*

8. Sed quaecumque obiectio, quae fit, ut aliorum sententia refellatur, coniuncta esse potest cum quadam consequutione. Ea exprimitur per *atqui*, i. e. *dagegen eben,* quod fit consequutionis ratione *dagegen nun.*

Cic. de Fin. 2, 2, 5. *atqui haec patefactio quasi rerum opertarum — definitio est.* Antea dictum erat: Epicurus *ne-*

gat definiri rem placere. Prudent. Perist. 6, 77. *facessite, inquit, ne nostram gravet obsequela mortem. Atquin ipse meos pedes resolvam, ne vestigia* etc.

Expressam videmus hanc consequutionem Plaut. Rud. 3, 4, 55. *atqui quia vetas, utramque iam mecum abducam simul.* i. e. *dagegen eben weil du's verbietest.*

9. Peculiarem usum constituunt verba *atqui si, atqui nisi.* Posita aliqua re, ad aliam vel contrariam conditionem transgredimur, priorem illam aut concedentes, aut omittendo non negantes, sed ad eam tamen in quadam rerum consequutione respicientes. Et dum hoc alterum cum confirmationis augmento profertur, illud prius sua vi constat. Quare vis particulae saepe explicari potest: *quod quum ita se habeat, wenn nun dagegen, wenn nun aber,* et ubi non contrarium additur, per affirmationem: *wohl denn, wenn: gut, wenn.* Ita in argumentatione transitur ad aliud argumentum. In colloquiis utuntur hac formula ii, qui alterius sententiam arripiunt, et per eam concessam ad aliam suam transgrediuntur. Sed non ipsa verba *atqui si* cohaerent, sed interponi debet comma: quod exemplis iis comprobatur, quae haec verba disposita habent, veluti Liv. 8, 9, 1. *atqui bene habet, si ab collega litatum est.* et Cic. de Rep. 3, 5. p. 347. Moser.

Cic. p. Mil. 3, 9. *quis est, qui quoquo modo interfectus sit, puniendum putet, quum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus? Atqui, si tempus est ullum iure hominis necandi, quae multa sunt, certe illud est non modo iustum, verum etiam necessarium, quum vi vis illata defenditur.* i. e. quod quum sit, ex altera parte affirmandum est hoc.

Terent. Eun. 4, 6, 1. *credo equidem illum iam adfuturum, ut illam a me eripiat. Sine veniat. Atqui, si illam digito attigerit, oculi illi illico effodientur.* verti potest *doch wenn,* sed accuratius *dagegen in der That, wenn.*

Cic. de Leg. 1, 5, 15. *atqui, si quaeres, ego quid exspectem, quoniam scriptum est a te de optimo reipublicae statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idem de legibus.* Vnus codex *atque*, non male quidem: sed illud gravius *nun wohl, wenn — dann allerdings.* de Fin. 4, 23, 62. *atqui, si verum respondere velles, Cato, haec erant dicenda.* i. e. *nun wohl, wenn.* de Orat. 2, 50, 204. *atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quae nos sequi in dicen-*

do, quaeque maxime spectare solemus. i. e. *nun gut, wenn so gefällig ist, will ich nun aber auch darthun.* Etiam *atque* dici poterat. Horat. Epist. 1, 2, 33. *atqui, si noles sanus, curres hydropicus.* bene vertit Vossius *wohl denn, willst du gesund nicht laufen.*

Cic. de Leg. 1, 15, 43. *atqui, si natura confirmatura ius non erit, virtutes omnes tollentur.* Sed quum in his pergat una argumentatio, cohaereantque superiora *si neque natura est*, non dubitabimus assentiri Goerenzio, qui correxit *atque.*

10. Goerenzius ad Cic. de Fin. 5, 12, 36. „respondet, inquit, *atqui* nostro *nun aber*, et solet explicationem saepe sic ingredi, ut *primum* subaudiri possit. Inde fit etiam, ut eam *deinde* excipiat, quale exemplum paullo ante adfuit §. 34. *atqui perspicuum est — deinde id quoque videmus.*" In his triplicem video errorem: nam vocabulum *primum*, quod saepe omittitur postea sequente verbo *deinde*, non cohaereret, si positum esset, cum voc. *atqui.* Tum *atqui* non ab initio explicationis ponitur ipsius ingressus caussa, quod proprium est particulae *atque.* vid. p. 497. Denique in loco Ciceronis non verti potest *nun aber*, quum proxime antecedens *iam vero* idem significet, neque expositio rei incipiat a verbis *atqui in sensibus est sua cuiusque virtus.* Opponuntur verba *est virtus* et *cuiusdam modi esse debet.* Igitur *atqui* significat *dagegen wirklich.* In altero loco 12, 34. aut verba *quaerimus* et *perspicuum est* ex adverso opponuntur, aut scribendum est *atque.*

II. 1. Ponitur *atqui* proprie post sententiam, quam concessam aut remissam agnoscimus, aut negare nolumus, ut alterius rei veritatem comprobemus, eamque non minus vel magis adeo valere demonstremus. Quare proxime accedit ad *at tamen*, sed vim confirmationis propriam habet in *qui*, nec potest praecedere *quamquam*, nec *quidem.* Reddi potest per *καί τοι, gleichwol eben, dagegen vielmehr:* nolim tamen cum aliis adhibere *freilich.* Negatio plerumque aut praecedit, aut intelligitur antea.

Terent. Phor. 1, 4, 26. A. *non sum apud me.* G. *atqui opus est nunc quum maxime ut sis, Antipho.* Sueton. Vesp. 23. *pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans, num odore offenderetur. Et illo negante, atqui, inquit, e lotio est:* i. q. *gleichwol eben.* Cic. ad Att. 8, 3. *o rem, inquis, difficilem et inexplicabilem. Atqui explicanda*

est. Plaut. Bacch. 4, 7, 26. *numquam auferes hinc aurum.* Cu. *atqui iam dabis.* Horat. Sat. 1, 9, 52. *magnum narras, vix credibile. Atqui sic habet.* Cic. Acad. 2, 36, 114. *vereor, ne subarroganter facias, si dixeris tuam. Atqui ita dicas necesse est.* Curt. 6, 10, 5. *de me Nicomachus nihil dixit: Cebalinus plus, quam audierat, scire non potuit. Atqui coniurationis caput fuisse credit rex.*

Cic. de Nat. d. 3, 19, 49. *quod si probabile non est, ne illa quidem superiora, unde haec manant, probanda sunt. Atqui in plerisque civitatibus intelligi potest, augendae virtutis gratia, quo libentius rei publicae caussa periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.* quae Heindorfius debuit explicare, non mutare. *Atqui* est at tamen, *gleichwol.* vid. ad Wopkens. Lect. Tull. p. 302. Prudent. Cathem. prooem. 33. *non sunt illa dei —. Atqui fine sub ultimo peccatrix anima stultitiam exuat.*

2. Interrogatio praecedit negativa, quae id proponit, quod negari posse non videatur, apponiturque aliud, quod nihilominus valet, illudque, quod antea dictum erat, confirmat. Hinc Dukerus ad Flor. 3, 12, 11. „*atqui* non semper est adversantis, sed praecedente interrogatione saepe declarat et confirmat ea, quae dicta sunt.“ Confirmat quidem, sed ex quadam oppositione.

Cic. in Verr. 3, 86, 200. *placetne vobis in cellam magistratibus nostris frumentum Siculos gratis dare? Quid hoc indignius? quid iniquius? Atqui hoc scitote aratoribus hoc praetore optandum et petendum fuisse.* Parad. 1, 1, 7. *potestne bonum cuiquam malo esse? aut potest quisquam in abundantia bonorum ipse esse non bonus? Atqui ista omnia talia videmus, ut etiam improbi habeant, et obsint probis.* in Verr. 2, 59, 144. *modum statuarum haberi nullum placet? Atqui habeatur necesse est.* Flor. 3, 12, 11. *nonne ambitus honorum ab iisdem divitiis incitatus? Atqui inde Mariana et Sullana tempestas.* i. e. si quis illud neget, tamen inde orta est tempestas. 4, 2, 53. *quis non peractum esse cum Pompeio crederet bellum? Atqui acrius multo atque vehementius Thessalici incendii cineres recaluere.* Curt. 6, 10, 10. *tot conscii ne in equuleum quidem impositi verum fatebuntur? Atqui nemo parcit moriturо, nec cuiquam moriturus, ut opinor.* i. e. tamen illud non potest negari, morituro neminem parcere.

3. In colloquiis locum habet, ubi alter alterius sententiam concedens, suam tamen etiam, atque magis comprobatam vult, quasi dicat: quamvis illud verum sit, hoc tamen certe animadvertendum est. Qua forma saepe incipit responsio.

Cic. de Orat. 1, 36, 167. *ego vero istos, inquit, non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim. Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed iuris civilis prudentia.* 2, 14, 59. *id mehercule, inquit Catulus, admirans, illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum. Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans, horum libros et nonnullos alios, sed delectationis caussa, quum est otium, legere soleo.* i. e. quamquam ego graece scio, tamen non lego istorum libros utilitatis caussa, sed delectationis.

III. In ea rhetorica forma, quam ab occupatione alienae sententiae appellamus, ubi *atque* recte dicitur, etiam *atqui* suum locum obtinet. Nam quae ab aliis dictum iri suspicatur is, qui loquitur, aut coniungi possunt antecedentibus, aut iis opponi. Atque ea iterum reiiciuntur alia sententia, per *sed* adiuncta.

Cic. Brut. 83, 287. *atqui eae notae sunt optimae, credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suavitatem, nec* etc.

Cic. de Off. 3, 11, 48. *Cyrsilum quemdam, suadentem ut in urbe manerent Xerxemque reciperent, lapidibus cooperuerunt. Atqui ille utilitatem sequi videbatur: sed ea nulla erat repugnante honestate.* Ita Heusingerus edidit: alii *atque ille:* quod pronominis adiuncti caussa probabilius esse videtur. vid. p. 460.

IV. 1. In ratiocinatione duplex est usus. Quae antea in conditione posita erant, affirmantur vere esse per *atqui* ita, ut quae non certa viderentur, nunc ex sua altera parte vere sic se habere, concedantur. Nos dicimus *nun aber.*

Cic. Parad. 3, 1, 21. *quodsi virtutes pares sunt inter se, paria esse etiam vitia necesse est. Atqui pares esse virtutes, — facillime potest perspici.* de Nat. d. 2, 15, 40. *ergo quum sol igneus sit oceanique alatur humoribus, — necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque*

ad victum, aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atqui hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector est et consumptor omnium — : contra ille corporeus vitalis et salutaris omnia conservat. Ita bene codd. auctoritate restituit Heindorfius.

2. Assumptioni proprium est *atqui*, quum id, quod secundo loco conclusioni interponitur, ad demonstrandum valere dicimus. Cum affirmatione enim infertur alterum argumentum, quod in epicheremate etiam primum locum obtinere posse, logici ostendunt.

Cic. p. Mil. 12, 32. *satis est quidem — docere magnam ei caussam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. — Atqui Milone interfecto Clodius hoc assequebatur, non modo ut praetor esset* etc. Tusc. 5, 14, 40. *qui enim poterit aut corporis firmitate aut fortunae stabilitate confidere? Atqui, nisi stabili et fixo et permanente bono, beatus esse nemo potest. Quid ergo eiusmodi istorum est?*

Absolvitur conclusio in his: Tusc. 3, 7, 14. *qui fortis est, idem est fidens. — Qui autem est fidens, is profecto non extimescit. — Atqui in quem cadit aegritudo, in eumdem timor. — Ita fit, ut fortitudini aegritudo repugnet.* De Senect. 19, 66. (mors) *aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum, aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, ubi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inveniri potest. Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum?*

Grammatici recentiores tantum non omnes docent, ATQVIN alteram huius particulae formam poni solere ante vocalem proximi verbi, nihil tamen differre significationem et usum. Eadem res est, de qua diximus in ALIOQVIN p. 235. Caper de Orthogr. p. 2241. *atqui careat N.* Illo igitur tempore iam in usum venerat additamentum, cuius rationem non in explendo hiatu, sed in oppositiva vi litterae N quaerendam esse, supra exposuimus. Tantum vero abest, ut cum Conr. Schneidero Grammat. p. 497. Vol. 1. *atqui* ex *atquin* ortum esse putemus, ut alteram hanc formam recentiorem et ad distinguendam significationem factam esse arbitremur: neque in Plauto plura exempla, ut ille narrat, reperiuntur, sed unum Rud. 3, 4, 55. in quo Camerarius aliique correxerunt *atqui*. At scribendum erat *at quin*. Vid. p. 449. In recentioribus scriptoribus res est in-

certa. Librarii enim haec plerumque ex suo more conformarunt. Atque legitur *atquin* in codicibus quibusdam Sueton. Vespas. 23. Flori 3, 12. 13. 4, 2, 53. Consentire videntur libri apud Vlpianum in Digest. 4, 3, 18, 3. in Tertull. Apolog. 2. et 8. et 41. de Patient. 3. ubi unus codex Vrsini *aquam* praebet. in Lactant. de Persequut. mort. 23, 8. in Arnob. 3. p. 67. Elm. (144. Her.) in Prudent. Cathem. Prooem. 34. Perist. 6, 79. ita ut haec ab ipsis auctoribus, qui recentiores sunt, profecta videantur.

* De commutatione verborum *atque* et *atqui* vide in ATQVE. Distrahendorum exemplum, *at qui*, Mich. Heusingerus esse voluit in Cic. de Off. 3, 33, 3.

AV.

Haec interiectio, quam Priscianus 15. p. 1024. ad sonituum illiteratorum imitationes refert, a lexicorum auctoribus et a criticis mirum in modum versata est. Donatus ad Terent. Andr. 4, 4, 12. ad Eun. 4, 4, 13. 5, 2, 60. consternationem et conturbationem animi ita exprimi dicit. Alii autem huic voci tribuunt vim abominandi, excitandi, admonendi, alii metum, alii indignationem intelligunt. Omnes tamen praeter unum Gronovium, qui verum perspexit (ad Plaut. Cas. 4, 3, 4.), falluntur. Nam collatis omnibus exemplis una apparet voculae potestas, duplex forma *au* et *hau*. Vtitur ea, qui admiratur, quomodo aliquid, quod nimium aut non probabile, nec credibile, nec optabile, videtur, dici aut fieri possit, admixta saepe indignatione in re praeter opinionem exsistente. Hinc is quoque ita loquitur, qui aliquid repudiat, aut precibus instat, ut res aliter fiat: quare saepe componuntur *au obsecro*. Nos dicimus *ach bewahre! ach geh!* Nec negari potest cognatio praepositionis *au* in *aufugio* et *aufero*, quae pro *ab* dicitur: quamquam Gellius 15, 3. *quaeri dignum putat, versane sit et mutata ab praepositio in au syllabam propter lenitatem vocis, an potius au particula sit propria origine.* Certe interiectioni recte tribuimus significationem refutationis: *absit.*

Plaut. Stich. 1, 3, 104. *hau, nulla tibi lingua est, quae quidem dicat, Dabo?* Cist. 3, 15. *hau, voluisti istuc severum facere?* Terent. Eun. 4, 3, 14. *au obsecro, mea Py-*

thias, quod istuc nam monstrum fuit. incredulus miratur ea, quae Pythias dixerat: *ih bewahre!* Heaut. 5, 3, 13. Cu. *Confitere.* So. *Au obsecro. istuc nostris inimicis siet.* Admiratur cum severa indignatione, quomodo Chremes sibi imputare possit, ut confiteatur, Clitiphonem non filium suum esse. Eun. 4, 4, 13. Ad. 3, 2, 38. *au, au, mi homo, sanus es?* Afranius apud Charisium p. 214. *au, mi homo, immo edepol vos supremum meum concelebretis diem.* Terent. Eun. 5, 2, 60. *au, tace, obsecro.* Phorm. 5, 1, 27. 5, 3, 20. Phorm. 5, 3, 20. Nausistrata quum acerba Demiphonis verba *deliras: satin sanus es?* audivisset, interponit haec: *au obsecro: cave, ne in cognatam pecces.* i. e. hoc nimium est: ne ita loquere. In Andr. 4, 4, 12. non opus est intelligamus Mysin a Davo manu arreptam esse, sed illa recedit verbis strenue pronuntiatis, *dictura es quod rogo?* et admiratur Davi impudentiam.

Dubia est scriptura in his locis: Plaut. Curc. 4, 2, 26. Men. 2, 1, 3. Mil. 2, 2, 62. 4, 8, 47. Terent. Andr. 4, 4, 42. Eun. 4, 6, 20. In Petron. 67. variant libri: sed si recte legitur *au, au*, Fortunata non dolorem vehementiorem significat, ut Burmanno videtur, sed repugnat temeritati Habinnae: nos *ih geh doch!*

AVT.

Avt e punico vocabulo *au* factum esse opinabatur Angelus Caninius, ex hebraico אוֹ Schellerus. Nemo eos audivit. Probabiliorem sententiam Scaligeri, qui de Caussis lat. ling. c. 22. a graeco αὖτε deducit, plerique amplexi sunt. Atque Lindemannus de Adverb. III. p. 8. nuper ita disputavit: „*aut* cognatum est cum particula *autem*, respondetque Graecorum αὖ et αὖτε. Proprie igitur *aut* et *autem* significat *rursum*, *iterum*, quod quomodo cohaereat cum illa disiunctiva notione, quae inest particulae *aut*, et illa oppositiva, quam habet *autem*, ei non mirum videbitur, qui reputaverit, quoties Latinorum vim habeat oppositivam, quoties Graecorum αὖ et δ'αὖ pro *autem, vero* dicatur, et quantopere et forma et notione coniuncta sint Germanorum *wieder* et *wider*.“ Scheidius ad Sanctii Min. p. 243. ex perversa doctrina sua αὖτε ablativum vocat, cui desumpta sit ultima syllaba in *aut*. In his primum *aut* non recte comparatur cum graeca forma αὖτε: ea enim composita est ex αὖ et τέ: latinum verbum additam habet litteram paragogicam T, sicuti τρέμει fit *tremit*. Conferri igitur pos-

sunt αὖ et *aut*. Deinde, ut iam p. 297. dixi, in his vocabulis non habemus formam ab aliis gentibus ad alias translatam, sed primitivam et populis non paucis communem. Nam vocibus *a*, *au*, *o* exprimitur notio vicissitudinis et alternationis, quae adhibetur et ad disiunctionem et ad oppositionis quoddam genus significandum. Denique igitur, si *aut* cum αὖ comparare volumus, necesse erit observare, graeca voce tantum significari id, quod altera ex parte, altera vice ponitur, latinam autem non nisi disiunctioni inservire, quam Graeci ad comparationis normam redigunt per vocabulum ἤ. In disiunctione vero inest etiam aliqua alternatio. Eam tenuerunt Latini.

Sed in universa grammaticorum doctrina, quae de disiunctivis particulis traditur, incerta atque dubia rei cognitio multos errores peperit. Disiunctionem enim omnes dixerunt eam esse formam, in qua opposita se invicem excludant, sed quum apud Latinos duas particulas easque in similibus enuntiationibus adhibitas vidissent, qua eas distinguerent, variam rationem proposuerunt. Atque Noltenius in Lex. p. 849. ita praecepit: „*aut* proprie est διαζευκτικὸν, et contraria invicem opponit ita, ut alterutrum excludat, *vel* proprie est ὑποδιαζευκτικὸν, et diversa nihil excipiendo coniungit. v. g. *vel tu vel uxor tua vel e tua familia quispiam affligetur.*“ Coniunge haec verba per *et — et:* tum diversa habebis praeter ullam exceptionem coniuncta, nec quidquam different ex hoc quidem praecepto formulae *vel bona vel mala*, *et bona et mala.* Tamen in illis disiunctio est diversarum rerum, etiam hac exceptione: si bona sunt, non sunt mala. Quare alii ita distingui voluerunt: *aut* poni inter ea, quae opposita sint, sed *vel* inter ea, quae non diversa sint, vel non diversa esse dicantur sic, ut inter aequalia concedatur electionis arbitrium. Ita Doelekius in Gramm. p. 137. At ex his non colligitur, quo differat *sive*, nec negari potest, in omnibus, quae per *vel — vel* disponuntur, fieri disiunctionem, et alterum alteri opponi, saepe etiam alterum ab altero tolli. Sicuti Caesar B. G. 1, 6. *Allobrogibus sese vel persuasuros, — existimabant, vel vi coacturos, ut per suos fines eos ire paterentur.* Num haec non diversa sunt? an non recte dici poterat *aut — aut?* Frotscher ad Quinctil. X. 1, 47. contra Spaldingium in hunc modum iudicat: „non disiungit *vel*, sed in similium cognatarumque rerum

enumeratione usurpatur, et ut valde differt ab *aut*, ita non potest idem esse cum *et*." Iam vero quaeritur, quid illud sit, quod similia componat, nec tamen idem significet quod *et*. Nec melius Lindemannus de Adverb. p. 8. ait: „*aut* opposita tantum disiungit, *vel* autem similia discernit et opposita coniungit." Nam quo eodem modo similia discernantur et opposita coniungantur, id per se non patet. Ramshornius ut rationem adderet, §. 180. statuit, per *aut* alterum, quod dicitur, ab altero prorsus tolli et excludi, sed ex parte tantum per *vel:* et Zumptius §. 336. per *aut* differentiam rerum magis declarari quam per *vel*. Quibus omnibus parum aut nihil efficitur in hac re exploranda. Aliquanto subtiliora ea sunt, quae Aug. Grotefendus in Commentar. p. 152. proposuit, in eo tamen falsus, quod particulae *vel* tribuit diversam vim, qua ea modo utrumque, quod dicitur, obtinere vel obtinere posse concedat, modo re vera disiungat, pro *sive* posita. Neque necessitas distinctionis, quam doctissimus ille vir bene cognovit, continetur ipso vocabulo *aut*, nec quum Cicero Orat. 1, 4. ait, *in poetis non Homero soli locus est, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis vel etiam infra secundos.* intelligitur unus Homerus, aut unus Archilochus, reliquis, qui nominantur, exclusis, sed Homerus et Archilochus et Sophocles opponuntur reliquis secundis, illosque omnes, tamquam praestantissimos poetas, iuxta positos ut putemus, quod Grotefendus proprium tribuit particulae *vel*, id ipsum vocabulum *horum* indicat. Prae ceteris rem acute perspexisse videtur Lachmannus ad Propert. 4, 21, 25. ubi quae disputavit, cum iis, quae nunc exponam, confer.

Disiunctio ea est enuntiationis forma, qua diversa et ex adverso posita comprehenduntur una ratione ita, ut alterumutrum obtineat locum. Haec vero diversitas aut in ipsis rebus apparet, et res dicuntur sua natura distare, aut cogitatione ponitur esse, etiamsi in rebus ipsis non obstet, nec in hac, quam ponimus, diversarum notionum coniunctione valeat. Illam appellamus disiunctionem rebus inhaerentem, sive cum logicis assertoriam, hanc a cogitatione factam, sive problematicam. Illa quum ipsam rem diversam et contrariam ante oculos ponat, maiori vi distinguit, haec quum cogitatione tantum diversa apponat, non modo non negat, ea in ipsa re convenire, sed quae disparia videantur, lo-

cum obtinere posse aut obtinere concedit: illa rem, qualis ipsa sit, significat, haec qualis res esse possit. Atque illam Latini exprimunt per particulam *aut*, hanc per *vel*. Nam per *aut* mutatur et tollitur res, quae dicta erat, aliaque substituitur, per *vel* mutatur cogitatio, et aliud substituitur cogitatione: id quod convenit cum origine verbi *vel*. Quum Cicero dicit de Orat. 2, 2, 5. *omnia — bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est.* indicat, re vera haec esse contraria, non tantum cogitatione disiuncta: sed quum Tacitus Germ. 3. *quae neque confirmare argumentis, neque refellere in animo est: ex ingenio suo quisque demat vel addat fidem.* distinguuntur quidem illa contraria *demere* et *addere*, sed in ipsa re tamen conveniunt, neque rem ipsam mutant: quasi auctor dicat: et quum addis et quum demis fidem, quae contraria sunt, non repugnabo. Cic. de Sen. 16, 57. *ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?* Calor et frigus opponuntur sua natura, sive illum cogitemus ortum esse apricatione, sive igne. Sic Goerenzius bona auctoritate correxit verba Cic. de Fin. 2, 10, 30. *hic si definire vel dividere didicisset.* et si definitio et divisio genere et re differunt, nec concurrunt, dicendum est *aut dividere:* at poterat etiam dici *definire vel dividere*, quum Cicero quidem definitionem a divisione ita distinguere soleret, ut unius generis essent, sed divisio minorem definitionis partem contineret. vid. Topic. 22, 83. Pertinet igitur haec distinctio ad cogitationem tantum. Quum vero una notio per *vel* discindi possit in suas partes, usurpatur, quod antiqui auctores tradiderunt, plerumque in subdisiunctione. Vlpian. Fragm. 8, 2. *adoptio fit aut per populum, aut per praetorem vel praesidem provinciae.*

Ex his sponte intelligitur, quo modo haec vocabula, commutata ratione, ipsa commutari possint, dum quae cogitantur tantum pro re vera, et vice versa rem pro cogitatione ponimus. Caesar si in verbis supra allatis scripsisset *aut persuasuros aut vi coacturos*, modum alterumutrum appariturum esse dixisset: sed positis *vel — vel*, unum illud, quo diversus modus coiret, consideravit, et de re, quae diverso modo fieri posset, loquutus est. Ac potest una sententia utraque ratione exprimi, veluti Planc. Ep. ad Cic. 10, 4, 3. *in quo* (officio) *tuendo habeo caussas plurimas, vel paternae necessitudinis, vel meae*

a pueritia observantiae. de Off. 1, 9, 28. *descendique officii plures solent esse caussae. Nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt, aut etiam negligentia, pigritia — impediuntur.* Martialem critici excusant poeticae licentiae nomine, quod Epigr. 1, 92. *vel* posuerit pro *aut* in his: *quum tua non edas, carpis mea carmina, Laeli. Carpere vel noli nostra, vel ede tua.* Et debebat dici in distincta evocatione non conditionaliter concepta *aut — aut.* Illud vero de re, quae fieri debere cogitaretur, in hunc modum dictum est: nihilo magis mea refert, sive carpere nostra cesses, sive edas tua, modo alterumutrum efficiatur. Igitur poeta, nisi verba negligenter confudit, id tantum sibi concessit licentiae, ut sententiam non plenam exprimeret, et quod ad modum rei pertineret, ipsi rei adscriberet. Totam sententiam expressam videmus apud Terent. Eun. 2, 3, 28. *hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.* Tacit. Ann. 1, 59. *fama dediti benigneque excepti Segestis vulgata, ut quibusque bellum invitis, aut cupientibus erat, spe vel dolore accipitur.* ubi vocabula non nisi varietatis caussa mutata esse videntur. Ita Cic. Acad. 2, 4, 11. *viderenturne illa Philonis, aut ea num vel e Philone, vel ex ullo academico audivisset aliquando.*

Huius discriminis immemor Wolfius malam fecit coniecturam in Cic. Tusc. 2, 7, 17. *hic qui solum hoc malum dicit, et malorum omnium extremum, sapientem censet id suave dicturum.* Scripsit ille *aut malorum omnium extremum*, quod esse debebat *vel*, ut Orellius quoque vidit. Nam distinctio fieret de opinione, nec constituenda esset res, sed sententia.

Ceterum his etiam illud declaratur, quod Noltenius p. 850. non perspecta ratione, sed subtiliter observavit, de rebus praeteritis usurpari *vel*, de praesentibus et futuris *aut:* quare Curtii verba 3, 1, 18. *oraculi sortem vel elusit vel implevit,* de futuro tempore dici debere *oraculi sortem aut eludet aut implebit.* Hoc ita concipiendum erat: ubi de praeteritis, quae iam facta sunt, caussa constituitur opinione vel coniectura, ipsa haec disiunctio ad cogitationem redit, neque ex ipsa re intelligitur: quare ponendum est *vel.* Quo non negatur, etiam de praesentibus et de futuris poni posse *vel*, ubi sententia problematicam formam induat: ut vidimus in exemplis Terentii, Martialis, Caesaris antea allatis.

Accedit aliud momentum hoc. Disiunctio utriusque generis aut opposita habet cum quadam necessitate. ut alterumutrum aequa ratione obtineat locum, nec

quidquam intermedium admittatur, et tertium, quod dicitur, excludatur, aut disiunctio non plena est, et necessitate expers ita, ut non aequa ratio inter utrumque, quod distinguitur, intercedat, sed alterum in alterius locum substituatur, et arbitrio fieri videatur compositio. Latini illam necessitatem exprimunt particula in utraque parte posita *aut — aut*, *vel — vel*. In disiunctione rebus inhaerente, veluti *aut Caesar aut nihil*, necessitas apparet, quum altero posito alterum tollatur, altero sublato alterum obtineat. Disiunctio cogitatione facta, v. c. *pace vel Quirini vel Romuli dixerim* Cic. de Off. 3, 10, 41., eam in se habet necessitatem, qua absolvitur cogitatio, ut ei nihil amplius hac quidem in parte addi possit, et altero reiecto, alterum cogitetur. In utraque disiunctione necessaria plus uno verum esse non potest, et totum ac plenum est, quod complectimur. In disiunctione non necessaria, quam arbitrariam vocare possumus, sive re sive notione constituta, partes unius generis ex adverso ponuntur, quarum una si locum obtinet, alteram non esse praedicamus, quamquam fieri potest, ut utraque tollatur, aut aliud quid substituatur: non absolutus est rei vel notionis ambitus. Logici dicunt partes esse contrarias, non contradictorias. Igitur hi modi relatione differunt: in altero enim partes referuntur ad totum, in altero partes inter se conferuntur. Nam quum dico *cuncti aut magna pars*, utraque notio ad se invicem refertur, nec quidquam impedit, quo minus tertium ponas: at quum dico *aut cuncti aut nemo*, relatio fit utriusque partis ad *esse*, vel quidquid intelligitur, quo illae partes continentur. Haec etiamsi communis usus interdum negligenter tractat, constat tamen certa ratio.

Zumptius quum n. 338. docet, in *vel — vel* non apparere oppositionem necessariam, neque etiam exclusionem, confundit diversas res. Inest enim in his eadem necessitas, quae unum admittat et tertium excludat, sed ea ad cogitationem pertinet: unde *vel* prope accedit ad *sive*. Cic. de Orat. 1, 12, 52. *quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram, aut ad odium, aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis?* Tertium non datur. Sed posuit auctor *vel*, quum intelligeret, quae fieri possent, interposuit *aut*, in illis certa genera distinguens.

Persius 1, 3. *vel duo, vel nemo.* non verti possunt *vel-*

leicht auch niemand: bis positum *vel* strictam exhibet disiunctionem. Antecedit enim interrogatio mirantis *nemo?* cui respondetur: fac esse duos, fac esse neminem: alterum utrum tibi ponendum est, nec tamen res mutatur.

Proculus in Digest. 50, 16, 124. *haec verba ille aut illo non solum disiunctivae, sed etiam subdisiunctivae orationis sunt. Disiunctivum est, veluti quum dicimus, aut dies, aut nox est. quorum posito altero necesse est tolli alterum: item sublato altero poni alterum: ita simili figuratione verbum potest esse subdisiunctivum. Subdisiunctivi autem genera sunt duo. Vnum, quum ex propositis finibus ita non potest uterque esse, ut possit neuter esse, veluti quum dicimus, aut sedet aut ambulat. Nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrum, veluti is qui accumbit. Alterius generis est, quum ex propositis finibus ita non potest neuter esse, ut possit utrumque esse, veluti quum dicimus, omne animal aut facit aut patitur: nullum est enim, quod nec faciat nec patiatur: at potest simul et facere et pati.* In his Proculus non attendit ad discrimen diversorum exemplorum: neque in subdisiunctionis illius generibus poni potest duplex *aut*, sed unum: duplici posito necessarium est alterum unum ex duobus verum esse. conf. Cic. Acad. 2, 30, 97. Quae Priscianus 16, 1, 7. p. 1029. disputat, falsa sunt cum veris mixta. Io. Conr. Schwartzius in Gramm. p. 750. usum duplicatae particulae ad pleonasmi genus refert.

Iam usum particulae *aut* per singulas partes persequamur.

I. 1. Atque duplex AVT — AVT qua ratione usurpetur, iam satis dictum est. Ea vero ad logicam formationem pertinet, non ad elegantiam dictionis, ut Bentleius censuit ad Horat. 1, 1, 8. sed ille ipse vera sensisse videtur ad Carm. 3, 19, 11. Necessitas absolutae disiunctionis exprimitur, et aequa est oppositionis ratio. Quare iam Diomedes p. 411. AVT *coniunctio dubitativam, si geminetur, habet potestatem, ut qui dicit, aut librum volo aut pretium, utrumque ex aequo desiderare significat.*

Cic. Acad. 2, 30, 96. *aut, quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars ista nulla est.* Male fecerunt, qui prius *aut* abiecerunt: id enim necessarium est. Quod vero Goerenzius in particula *igitur*, non apto loco inserta, et in diversis temporibus iunctis offendit, ipse nunc expeditum habebit: nam quae temporis diversitas admittitur post sim-

plex *aut*, eadem convenit duplicato. vid. n. 8. Tusc. 5, 41, 118. *aut bibat, inquit, aut abeat.* Doelekius in Grammat. p. 138. negat haec opponi proprie: quod falsum: negationem alterius in se habet alterum. Horat. Serm. 2, 7, 117. *aut insanit poeta, aut versus facit.* haec sibi opponuntur, ut tertium interponi non possit. Carm. 3, 19, 11. *tribus aut novem miscentor cyathis pocula commodis.* Bentleius non improbabilem putat aliorum librorum scripturam *aut tribus* hoc sensu: aut tres ad numerum Gratiarum, aut novem ex numero Musarum: utrum vultis? At quae sequuntur, alium sensum postulant hunc: tribus, aut potius novem cyathis miscentor hodie pocula: nam insanire iuvat. Igitur prius *aut* recte omittitur.

2. Interdum in hac rerum oppositione non tam ad id respicitur, quod alterum ab altero tollitur, quam eo, ut tertium quodcumque excludatur. Horat. Carm. 4, 8, 6. *quas aut Parrhasius protulit aut Scopas.*

Horat. Art. p. 333. *aut prodesse volunt, aut delectare poetae.* quo non dicitur poetas, qui volunt prodesse, velle non delectare, sed eos praeter utilitatem et delectationem aliam rem nullam curare. Cic. de Leg. Man. 11, 29. *quae tanta sunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus, non fuerunt.* Tertium ne cogitari quidem potest. Liv. 42, 6, 15. *partem planitiae aut Iovis templum aut oppidum tenet.* Tacit. Germ. 5. *terra in universum aut silvis horrida aut paludibus foeda.* i. e. ubi non sunt silvae, paludes sunt: quod male interpretantur *partim — partim.* Et Beierus adeo ad Cic. de Off. 1, 3, 9. *aut anquirunt, aut consultant.* dixit: „duplex *aut* hic coniungit magis quam disiungit, pariter ac 44. *aut liberalitati aut honestati.*“ Ipse tamen distinguit genus diversum argumenta undique conquirentium et consultantium. Quae vir doctus p. 85. comparat 1, 11, 36. 1, 20, 66. et 69. omnia in se habent negationem: de qua vide n. 9.

3. Praemitti potest disiunctioni communis utriusque partis notio. Ita etiam praecedit coniunctio utramque partem regens.

Cic. Tusc. 5, 30, 84. *nihil bonum, nisi naturae primis bonis aut omnibus aut maximis frui.* ubi non cum Goerenzio abiiciam v. *bonis.* de Fin. 1, 18, 61. *alii minuti et angusti, aut omnia semper desperantes, aut malevoli.* de quo loco vid. Matthiae in Miscell. et Goerenz. 4, 21, 60. *ex his rebus, quas dixi, aut plurimis aut gravissimis.* Terent. And. 3, 1, 5. *utinam aut hic surdus, aut haec muta facta sit.* Tamen

non elegantiae consuluit Goerenzius in Cic. de Leg. 2, 1, 1. corrigens *sive aut quid scribo aut lego*, pro *sive quid scribo aut lego.*

4. Saepe verba *ut quisque*, *utcumque* cum disiunctivis *aut — aut* formulam efficiunt.

Liv. 22, 7, 12. *ut cuique aut laeta aut tristia nuntiabantur.* 21, 35, 2. *utcumque aut locus opportunitatem daret, aut progressi morative aliquam occasionem fecissent.*

5. Etiam interrogatio admittit hanc plenam disiunctionis formam.

Cic. de Lege Man. 11, 31. *quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse?*

6. Per se intelligitur, in disiunctione non numerari nomina seu partes, modo eae totum comprehendant. Igitur *aut* ter vel quater vel quinquies repetitum instar est bis positi.

Terent. Andr. 1, 1, 29. *ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes ad venandum, aut ad philosophos.* Cic. Part. or. 14, 50. Liv. 8, 16, 3. Quater positum vid. apud Lucret. 4, 933. (936.) quinquies apud Cic. de Off. 1, 9, 28. Lucret. 4, 936. sexies apud Cic. de Nat. d. 3, 12, 30. Propert. 3, 21, 26.

7. Et possunt duae disiunctiones componi, quarum quaeque suam rationem sibi vindicat.

Cic. de Orat. 1, 9, 35. *assentior Crasso, ne aut de C. Laelii soceri mei, aut de huius generi aut arte aut gloria detraham.* in Pis. 39, 94. *res ipsa et rei publicae tempus aut me ipsum, quod nolim, aut alium quempiam aut invitabit aut dehortabitur.* ubi Garatonio displicet *aut* ante *invitabit*, sed frustra.

Lael. 21, 77. *sin aut morum aut studiorum commutatio quaedam, ut fieri solet, facta erit, aut in rei publicae partibus dissensio intercesserit.* ita edidit Beierus, alii *autem:* ille copulandi vim tribuit particulae, hi autumant, ea non opus esse, ubi uni iniuriae omnis agendi ratio opponatur. Neutrum verum est. Si primo loco recipimus *aut*, commutatio morum et studiorum, quae iterum distinguuntur, opponitur dissensioni in reip. partibus: quod, ne haec dissensio minoris videatur esse momenti, necessarium est.

8. Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 30, 96. negare videtur, Ciceronem umquam diversa tempora per duplex

aut iunxisse. Cuius opinionis ratio quaerenda esset in aequalitate partium. At unitas, quae duas partes ita continet, non in tempore sita est, atque Cicero quum dicit: *aut quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis, aut ars ista nulla est*, non agitur nisi de praesente re. Adde quae dixi p. 531. extr.

9. Peculiari modo *aut — aut* dicitur in negativa sententia, et quae eiusdem sunt generis, in interrogatione et in aliquot comparationis formis. In iis negatio transit in particulam ita, ut pro *neque — neque*, *neu — neu* dictum videatur, et si interrogationem et comparationem ad enuntiationem negantem revoces, duplicem teneas negationem. Atque possunt ita res disiungi, quae eiusdem generis et coniungendae potius videantur.

Terent. Ad. 1, 1, 11. *ne aut ille alserit, aut uspiam ceciderit.* Cic. de Orat. 1, 9, 35. *ne aut de C. Laelii soceri mei aut de huius generi aut arte aut gloria detraham.* in Catil. 1, 6, 15. *neque enim sunt aut obscura aut non multa post commissa.* Curt. 4, 15, 28. *nec aut Persae, aut Macedones dubitavere, quin ipse rex esset occisus.* Sueton. Caes. 58. Ner. 34. Tacit. An. 14, 58. 3, 54. Germ. 13. Cic. de Off. 1, 20, 66. *quum persuasum sit, nihil hominem nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari aut optare aut expetere oportere.* Et ita 1, 11, 36. 1, 20, 68. in quibus Beierus copulativam vim agnoscit. de Orat. 2, 45, 189. *non mehercule umquam apud iudices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium excitare dicendo volui.* Atque huc retulerim etiam de Fin. 4, 21, 59. *non esse in his partem maximam positam aut beate aut secus vivendi.* Etiamsi critici in multis codd. prius *aut* non invenerint, ideoque reiecerint, mihi quidem necessarium videtur in aequali hac negatione.

Cic. Acad. 2, 7, 22. *quomodo aut geometres cernere ea potest, quae aut nulla sunt, aut internosci a falsis non possunt, aut is, qui fidibus utitur, explere numeros et conficere versus?* extra interrogationem esset *neque — neque.* In quo loco constituendo erravit Goerenzius. de Off. 1, 15, 44. *talis autem simulatio vanitati est coniunctior quam aut liberalitati aut honestati.* i. e. simulatio coniuncta est vanitati, non liberalitati, nec honestati.

Negatio potest alio nomine condi, veluti Cic. de Rep. 1, 42. *cave putes, aut mare ullum aut flammam esse tantam quam non facilius sit sedare* etc. Ita optime restituit Heinrichius.

Cic. de Orat. 1, 9, 37. *an vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse aut Sabinorum connubia coniunxisse aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur?* pro Rosc. A. 40, 118. *num aut ille lanista omnino iam a gladiatore recessisse videtur, aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere?* Senec. de Const. sap. 5, 5. *cogita nunc, an huic fur, aut calumniator, aut vicinus potens, aut dives aliquis regnum orbae senectutis exercens facere iniuriam possit* etc. Cic. de Nat. d. 1, 43, 121. *quis enim istas imagines comprehendere animo potest? — quis aut cultu aut religione dignas iudicare?* Non offendere debebat Heindorfium, quae propemodum idem sint, sic disiungi.

II. 1. Discrimen illud, quod antea exposui, particulae *aut* semel positae, ratione constat, atque confirmatur usu omnium scriptorum, qui non negligenter loquuntur. Nam quae in *aut — aut* aequa ratio conspicitur, in *aut* iniqua est, et quum in alterius locum alterum substituatur, potest illud ipsum pro primario haberi, unde fit plerumque descensus a maiore ad minus. Significat *aut* simplex *oder auch*, aut etiam. Quare Schwartzius aliique praeceperunt *aut* poni in rebus iniucundis et minoribus et vilioris pretii. vid. Wolf. et Heindorf. ad Horat. Sat. 1, 1, 8. Necessitate sublata *aut* propius ad *vel* accedit: sed *vel* cogitatione tantum distinguit, non re.

Diomedes p. 411. *Aut si semel pronuntiatur, diminutiva est et gradum habet ad inferiora tendentem, ut quum dicimus librum volo aut pretium, ut, si liber quem potissimum volo, minime reddatur, tum, quod secundum, pretium. Item incute vim ventis submersasque obrue puppes, aut age diversas et disiice corpora ponto. nam furens Iuno et irata, quod gravissimum credebat, optavit, deinde quod secundum intulit.*

Sallust. Iug. 56, 5. *profecto cuncti aut magna pars Siccensium fidem mutavissent.* Tacit. An. 1, 30. *pars — a centurionibus aut praetoriarum cohortium militibus caesi.* i. e. *oder auch.* Liv. 6, 18, 7. *audendum est aliquid universis, aut omnia singulis patienda.* alia exsistit sententia geminato *aut.* illud enim significat: audendum est aliquid universis: hoc primarium est, quod nisi fiat, nihil reliquum erit, quam ut omnia singuli patiantur. Cic. de Off. 3, 13, 54. *quaero — num iniuste aut improbe fecerit.* i. e. nisi iniuste, tamen improbe, certe improbe. ad Att. 10, 12. *quare vi aut clam*

agendum est. Quomodo haec distent, intelligitur iis, quae sequuntur: *clam autem istis: in quo si quod σφάλμα, vides, quam turpe sit.* Quare vertas *oder auch verstohlen.* 2, 20, 69. *a se postulari aut exspectari aliquid suspicantur.* recte Gernhardus: si non postulari, at exspectari certe: male cum Heusingero alii duplicem *aut* receperunt.

Cic. de Nat. d. 2, 61, 153. ex emendatione Heindorfii: *e quibus vita beata exsistit par aut similis deorum.* in Caecil. Divin. 3, 7. *quid est quod aut populo romano gratius esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit.* cod. Franc. omittit primum *aut*, quod Orellius ne notavit quidem: tamen praestat haec scriptura. Horat. Epod. 11, 3. *amore, qui me praeter omnes expetit mollibus in pueris aut in puellis urere.* Non praestat altera, quae totius sententiae formam corrumpit, lectio *aut pueris:* nam gravior vis orationis est in nomine puerorum, nisi quis totum genus per partes ita complecti malit. In Cic. p. Planc. 14, 35. Garatonius non debebat probare alteram scripturam hanc: *sed aut contentione dicendi aut lacessitus.* Recte legitur Virg. Ge. 2, 49. *haec quoque, si quis inserat, aut scrobibus mandet mutata subactis, exuerint silvestrem animum.* i. e. aut tantum, *oder auch nur.* nam insitio magis valet in mitificandis arboribus quam mutatio loci.

Ne quis tamen opponat haec Horat. Sat. 1, 1, 8. ubi Heindorfium non oportuit admittere Bentleii emendationem *horae momento aut cita mors venit, aut victoria laeta.* Nam nautae, qui desperat, victoria non potior videtur, sed in cita morte omnium miseriarum finem agnoscit, additque, quae non tam certa putat, *aut victoria laeta, oder auch ein froher Sieg.* Si duplex *aut* ponitur, mors et victoria totam beneficii notionem explent, et aequali distinctione componuntur. Quod nescio an non praestet. Liv. 21, 43, 4. *hic vincendum, aut moriendum, milites, est, ubi primum hosti occurristis.* hic in morte intelligitur id, quod scilicet reliquum esset militibus non vincentibus, sed ab omni refugio seclusis, pessima vitae sors. Si de una virtute ageretur, dicendum erat, *aut vincendum aut moriendum.* Ita recte legitur apud Demosthenem Leptin. 68. *ὑπὲρ ὧν ἐκεῖνος ᾤετο δεῖν ἀποθνήσκειν ἢ νικᾶν.* nam Chabrias maluit pro honoribus sibi decernendis mori, aut si fieri posset, vincere. Conf. Curt. 9, 2, 34. Quamquam his non contendo, a scriptoribus antiquis numquam dictum esse *aut* pro duplicato *aut — aut.* Veluti Varro de Re r. 1, 7, 5. *a qua parte vel maxime bonus aut non bonus appellatur.* Plerumque id fit in oratione irata, aut cum indignatione pro-

lata, veluti Plaut. Curc. 5, 2, 14. Aul. 3, 3, 10. Terent. Hec. 4, 4, 76.

Formulae *aut nihil aut paullo* et *parum aut nihil*, sicuti ἢ μηδὲν ἢ μικρά, Demosth. Prooem. p. 1419. et ὀλίγον ἢ οὐδέν, vid. Dorvill. ad Chariton. p. 581., differunt. In altero enim descensus apparet, nec facile quis dixerit *aut parum aut nihil*, nisi certa caussa intercedente. Vellei. P. 2, 29, 3. *potentia sua numquam aut raro ad impotentiam usus.* i. e. aut certe.

2. Hoc usu potest alterum secundum et tertium et quartum *aut* subiungi, nec mutua est eorum ratio.

Cic. de Fin. 3, 1, 1. *si virtuti diutius repugnet, aut si honestis iucunda anteponat, aut pluris esse contendat dulcedinem corporis.* Lael. 11, 38. *loquimur de iis amicis, qui ante oculos sunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis.* Haec non conveniunt. Scribendum est *vidimus*, et eiiciendum posterius *aut:* nam non nisi ii, quos ipsi praesentes vidisse et de quibus memoriam accepisse dicuntur, distinguuntur.

3. Sed inaequalem hanc partium rationem non tantum descensum ad minora continere dicunt grammatici, sed etiam adscensum ad maiora, seu gradationem. Vid. Gernhard. ad Cic. Lael. 12, 41. Beier. ad Off. 3, 13, 54. ad Lael. 13, 48, 10. At quae afferunt exempla ita comparata sunt omnia, ut aut id, quod secundo loco ponitur, peius, vel turpius, vel iniucundius esse videatur: veluti Cic. de Off. 2, 20, 69. *patrocinio vero se usos, aut clientes appellari mortis instar putant.* nimirum hoc turpius putant. 3, 5, 21. *si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisque emolumentum spoliet aut violet alterum.* Terent. And. 1, 5, 43. *adeone porro ingratum, aut inhumanum, aut ferum.* In his non re vera adscendit gradatio. Aut negatio posita est, veluti in v. *non multum aut nihil omnino:* aut interrogatio negationis speciem induit. Cetera ad illud genus pertinent, quo aliqua notio aut aliquod dictum arctius comprehenditur, de quo v. n. 5.

Cic. Lael. 12, 41. *num quid simile populus romanus audierat, aut viderat?* Gernhardus: „*aut* significat *aut vero*, h. e. aut quod maius est.“ Paullo ante 11, 38. legitur *quos vidimus, aut de quibus memoriam accepimus.* Illud autem significat: nec quidquam simile audierat, nec viderat. de Off. 3, 13, 54. *quaero, — num iniuste aut improbe fecerit.*

Mich. Heusingerus explicat *aut saltim*, Belerus intelligit gradationem: neutrum probo: improbitatis enim notione universum animum malum, qui modum excedit qualemcumque, complectimur: verte igitur *oder vielmehr überhaupt schlecht handelt.* Tusc. 1, 3, 5. *ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur.* ad Att. 3, 23. et de Fin. 4, 13, 32. *vix aut ne vix quidem:* quae formula alias per *aut — aut* conficitur.

Ciceronem semper dixisse *aut vix aut nullo modo*, id Goerenzius affirmat: equidem rationem non perspicio.

Etiam in Acad. 2, 7, 22. *ars vero quae potest esse nisi quae non ex una aut duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat:* incipit gradatio a verbo *multis.*

4. Per *aut* transit oratio ad id, quod esse aut fore praevidimus, nisi id, quod modo dictum est, verum sit aut efficiatur. Quare *aut* significat *alioqui.* Nos etiam pro *sonst*, *widrigenfalls* usurpamus *oder.* De graeco usu part. ἤ vide Soph. Phil. 1341. Viger. p. 408. et Matthiae ad Eur. Electr. 306. Duae sunt orationis partes, quarum altera additur in se constans. Atque hac dictione utuntur, qui, quum praevideant, non concessum iri antea dicta, provocant, ut res aliter se habere demonstretur.

Virgil. Aen. 10, 630. *nunc manet insontem gravis exitus: aut ego veri vana feror.* Ovid. Met. 10, 51. *ne flectat retro sua lumina, donec avernas exierit valles: aut irrita dona futura.* quamquam non displicet, quod duo codices praebent, *haud.* sicuti Propert. 4, 1, 77. praeferendum videtur *haud ego vates nescius:* nam ut antea Iunoni convenerat certa affirmare, sic etiam vati convenit. Plin. Hist. n. 2, 70, 71. *neque enim mundus hoc polo excelsiore se attollit: aut undique cernerentur haec sidera.* 19, 5, 30. *effodiuntur bulbi ante ver: aut deteriores fiunt.* Cic. de Orat. 2, 2, 5. *omnia quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur: aut eloquentiae nomen relinquendum est.* ita interpungendum erat. Quinctil. 2, 17, 9. *illud admonere satis est, omnia quae ars consummaverit, a natura initia duxisse. Aut tollatur medicina, quae ex observatione salubrium — reperta est.* Terent. Hec. 4, 4, 76. Sueton. Caes. 66. In Liv. 4, 25, 11. *aut patricios habendos fuisse tribunos plebei.* codices quidam exhibent glossatoris explicationem *alioquin.* In 42, 42, 9. *aut frustra* etc. nescio unde pervenerit *at* in editiones recentiores: ipse Drakenborch.

4, 25. affert *aut.* Quinctil. 1, 12, 5. *quamlibet multa egerimus, quodam tamen modo recentes sumus ad id, quod incipimus. Quis non obtundi possit, si per totum diem cuiuscumque artis unum magistrum ferat? Mutatione recreabitur. — Aut dicant isti mihi, quae sit alia ratio discendi?* i. e. nisi mecum consentiant, dicant etc.

5. Vnum *aut* ponitur, ubi notioni alicui alia distinctior substituitur, vel ubi quae generaliter, aut non satis accurate dicta videntur, strictiori verbo exprimuntur, vel ubi is, qui loquitur, se corrigit et rem exactius definit. vid. Cort. ad Plin. Ep. 1, 10, 4. Nos dicimus *oder vielmehr, oder genau genommen.* Est igitur saepe id quod *aut potius:* quod ipsum dicitur.

Cic. de Fin. 5, 11, 33. *de hominum genere, aut omnino de animalium loquor.* i. e. *oder vielmehr.* Acad. 2, 8, 23. *intolerabili dolore lacerari potius quam ut officium prodat aut fidem.* Nam officium ad actionem, fides ad voluntatem pertinet, atque ne hac quidem peccare vult sapiens. Bene igitur emendavit locum Davisius. de Leg. 1, 13, 36. *et scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut is es, qui in disputando non tuum iudicium sequare.* ubi Lambinus male coniecit *aut — aut.* de Fin. 5, 20, 57. *qui sibi alios proposuerunt fines bonorum, quos utilitate, aut voluptate dirigunt.* ubi Goerenz. recte explicat *vel potius.* de Fin. 2, 17, 55. *num igitur eum postea censes anxio animo, aut sollicito fuisse?* 4, 6, 15. *omnibus aut maximis rebus.* utroque in loco Goerenz. explicat: *aut certe, a. saltem.* quod nimium videtur. Quinctil. 1, 1, 23. *an Philippus, Macedonum rex, Alexandro filio suo prima litterarum elementa tradi ab Aristotele, summo eius aetatis philosopho, voluisset, aut ille suscepisset hoc officium, si non studiorum initia et a perfectissimo quoque optime tractari, et pertinere ad summam credidissent?* Ita pereleganter emendavit amicus Spaldingii pro *credidisset*, nec probari potest vana et incondita doctrina viri, qui in Ephem. litt. Ienens. 1825. n. 73. p. 101. obloquutus est.

Additur *potius* apud Cic. de Leg. 1, 14, 40. *nemo est iniustus, aut incauti potius habendi sunt improbi.* ubi non opus est correctione Ernestii *atque. Incauti* enim nomen est praedicati.

6. Hoc usu, quo significat: *aut potius, si illud non placet, hoc dictum sit: aut vero, si hoc non conceditur*, particula incipere potest novam enuntiationem,

praesertim in interrogatione. Ita provocamus ad aliud quid, remissa priori sententia.

Cic. de Fin. 4, 26, 72. *cur igitur, quum de re conveniat, non malimus usitate loqui? Aut doceat, paratiorem me — fore* etc. Plin. Ep. 1, 10, 3. *ut ille multum virtutibus suis addidit. Aut ego nunc illas magis miror, quia magis intelligo.* ubi vid. Cort. et Gesner. illi tamen conferre non licuit Liv. 42, 42, 9. et Ovid. Am. 2, 16, 17. in quibus librorum auctoritate confirmatur *at.* Cic. Acad. 2, 7, 21. *potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? Aut, ita qui sentiat, non apertissime insaniat?* de Nat. d. 1, 1, 1. *quid est enim temeritate turpius? Aut quid tam temerarium tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire* etc. de loco pro Cluent. 45, 127. vide infra.

7. Locum obtinet *aut* in afferendis aliis exemplis atque aliis argumentis. Nos dicimus *oder auch*, pro, ut alio exemplo, alia argumentatione utar.

Cic. de Div. 2, 27, 59. *nam si ista sequimur, quod Platonis Politiam nuper apud me mures corroserunt, de re publica debui pertimescere: aut, si Epicuri de Voluptate liber rosus esset, putarem annonam in macello cariorem fore.* quamquam quod alii praetulerunt *at*, non male se habet. vid. p. 422. 2, 17, 38. in interrogatione, uti de Leg. 2, 7, 16. *quid est enim verius, quam neminem esse oportere tam stulte arrogantem, ut in se rationem et mentem putet inesse, in coelo mundoque non putet? aut ut ea quae vix summa ingenii ratione comprehendat, nulla ratione moveri putet?*

8. Ita minuitur et pene tollitur prorsus illa inaequalitas partium. Quare *aut* simplex componit saepe etiam ea, quae aequalia et unius generis sunt, et ea, quae synonyma esse videantur: unde frequentissima commutatio verborum *aut* et *ac*, sicut graeca καί et ἤ saepissime confunduntur. Id criticos multos permovit, ut partic. *aut* vim copulativam tribuerent, atque pro *et* acciperent. Et iam Diomedes p. 412. ita praecepit: *modo coniunctiva pro et, ut: molirive moram aut veniendi poscere caussas. Et pro que, ut: liquidas corvi presso ter gutture voces, aut quater ingeminant, pro quaterque.* Conf. Priscian. 18. p. 1170. Sed quemadmodum grammaticus hic exempla selegit falsa (nam in altero Virg. Aen. 1, 114. praecedit negatio, in altero Georg. 1, 410. non dicitur pro *ter quaterque*), ita etiam reliqui fece-

runt. Remotis iis, quae alieni sunt generis, pauciora restant una regula comprehendenda. Atque non huc pertinent ea, in quibus negatio antecedit, de qua re dicam n. 9. Tum duo verba, quae unam constituunt notionem, non possunt per *aut* coniungi, sed per *et* vel *atque*. Deinde duo verba, ut ad unam rationem referantur aequo modo, necesse est coniungantur per *ac*. Supersunt igitur ea, in quibus alia alius rei vicem exhibere potest, et quidem triplici modo, aut ubi parum refert, utrum hoc an illud ponas, quod est *oder auch*, aut ubi unum genus in suas partes dividitur, aut denique ubi res distinctius designatur, quod est *oder vielmehr:* in omnibus his non aequalitas, sed inaequalitas, vel parum vel aliquantum efficiens, apparet. Cum his confer, quae Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 448. docuit, et quae Ernestius ad Tacit. Hist. 3, 52. ubi ipsa verba *aut rursus* ad demonstrandum discrimen adhiberi possunt.

Exempla negativae sententiae vide paullo post. Liv. 21, 33. *suos continuit, ne tumultum ac trepidationem augeret.* Cant. cod. *aut:* non male: quamquam *ac* quoque post negationem recte ponitur. Curt. 8, 8, 17.

Liv. 2, 3, 1. *per dolum ac proditionem prope libertas amissa est.* ubi duo libri *aut.* Intelligitur proditionis dolus. vid. p. 463.

Liv. 3, 6, 9. *circuitio ac cura aedilium erat.* ubi cod. Gaert. *aut.* vid. p. 465. Lactant. Inst. 1, 18, 19. *num potest plus aut maius videri, collegisse fruges, hisque fractis, panem facere docuisse, aut uvas de vitibus lectas expressisse vinumque fecisse, quam fruges ipsas aut vites generasse aut protulisse de terra?* Sine dubio e cod. gothano restituendum est *ac protulisse.*

Liv. 21, 53, 3. *quid enim ultra differre, aut teri tempus?* 1, 13, 3. *melius peribimus quam sine alteris vestrum viduae aut orbae vivemus.* i. e. nisi viduae, vivemus orbae. 21, 33, 6. *icti forte aut vulnerati adeo consternabantur.* Terent. And. 1, 1, 56. *observabam mane illorum servulos venientes aut abeuntes.* Sallust. Iug. 53, 3. *plerique, abiectis armis, collis aut noctis, quae iam aderat, auxilio integri abeant.* alii codd. *ac noctis*, quod non praestat, sicuti re vera praestat 8, 7. *gloriam atque divitias quaeri.* Tacit. An. 15, 47. *quia in utero repressum, aut iter iuxta editum sit.* Interpretes *aut* pro *et* accipiunt. At duplex erat ominis interpretatio. quare *aut* significat: aut si alterum ominis indicium magis conside-

retur. Cic. de Orat. 1, 2, 5. *pueris aut adolescentulis nobis.* i. e. *oder vielmehr.* Cic. Orat. 2, 5. *reliqui — experti sunt, quid efficere, aut quo progredi possent.* In Sallust. Iug. 32, 3. restituenda est antiqua scriptura. Vulgo: *fuere, qui auro corrupti elephantos Iugurthae traderent, alii perfugas vendere.* Omnes codd. *venderent*, quod quum non conveniret cum antecedente *alii*, mutarunt ita, ut pervaria, sed inconcinna exsisteret oratio. At confusa sunt compendia *al'* et *āt*, atque corrigendum est *aut p. venderent.*

Cic. de Fin. 5, 18, 48. in codd. legitur: *videmusne, ut pueri ne verberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur, aut pulsi requirant, et aliquid scire se gaudeant?* Orellius in editione Morelli se invenisse narrat, *ut pulsi recurrant*, ridetque eos, qui aliter sentiant. Equidem ei non invideo hoc ἕρμαιον: nam Cicero dicit haec: pueri ne verberibus quidem deterrentur, aut si pulsi sunt, tamen requirunt, i. e. iterum redeunt, et in hac tenacitate gaudent aliquid se scire. Illa verba *ut recurrant — ut* substituerunt correctores. Liv. 8, 38, 11. *fremitus aequalis tenorque idem pugnae in defatigationem ultimam aut noctem spectabat.* Benedictus nihil profecit emendando *et noctem:* nam *aut* recte diceretur: alios in defatigationem, alios in noctem spectasse. At quorsum aequalis tenor pugnae spectaverit in defatigationem ultimam? Gravior subesse videtur corruptela. Tacit. An. 1, 8. *legionariis aut cohortibus civium romanorum ccccc nummos viritim dedit.* sine dubio emendandum est *ac cohortibus*, nec possunt probari, quae Anquetilus, ut *aut* pro *et* dictum esse demonstraret, in libro: *Extraits de Tacite* ad h. l. annotavit.

Inter iurisconsultos quum de sensu formularum *Titius aut Gaius heres esto: illum aut illum liberum esse volo*, magna disceptatio esset excitata, atque alii ob disiunctionem unum heredem admisissent, eique, qui primo loco nominatus fuisset, praerogativam concessissent, alii autem particulam *aut* de heredibus coniunctis et aequalibus dictum esse censuissent, Iustinianus, ut controversiam dirimeret, hanc legem constituit Cod. de Verb. signif. 6, 38, 4. *Melius itaque nobis visum est, omni huiusmodi verbositate explosa, coniunctionem aut pro et accipi, ut videatur copulativo modo esse prolata et magis sit παραδιάζευξις, ut et primam personam inducat, et secundam non repellat. Quemadmodum enim, verbi gratia in interdicto quod vi aut clam, aut coniunctio pro et apertissime posita est.* Hoc non ex ratione grammatica, sed de arbitrio et in favorem personarum, maxime pupillorum decretum erat: nam in extrema lege additum est, ut in rebus

ita per *aut* designatis vetustatis iura manerent incorrupta, disiunctivo sensu particulae accepto. Vid. Emundi Merilli Exposit. in L. Decis. Iustin. p. 109. In edicto Praetoris *quod vi aut clam factum est* Dig. 43, 24. non verbis expressum est, quod iurisconsultis largam controversiae materiem praebuit.

Potest sententia ita comparata esse, ut utroque modo exprimatur, veluti Liv. 24, 16, 4. *alii omnes caesi aut capti.* 10, 36, 14. *ita in medio caesi captique.* Sic in formulis *unus aut alter*, *hic aut ille*, de quibus vid. Cellar. curae post. p. 383.

Et aut proxime se attingere possunt, quod negare voluit Morpheus quidam in Seebodii Biblioth. a. 1822. p. 647. corrigens sanissima verba Senecae Nat. q. praef. 6. *etiam qua exstat, late squalidum et aut ustum aut rigentem.*

Quod igitur dicunt, *aut* etiam pro *partim* poni, ad hanc regulam reduci debet. Bis posito *aut* certa descriptio exhibetur alternantium partium sibi oppositarum, ut indicetur alterum esse, ubi alterum non sit. vide exempla e Livio et ex Tacito allata p. 532. Semel positum *aut* id significare potest, quod alibi per *partim* expressum videmus, sicuti Tacit. Hist. 4, 71. *quem locum — Valentinus obsederat montibus aut Mosella omne septum.* Potuit dici: *aut montibus aut Mosella*, quod sensum praeberet: ubi non montibus, ibi Mosella septum. Haec communis vitae loquela non subtiliter distinguit, sed apud omnes gentes negligenter miscet.

9. Supra exposuimus, quo modo negationem recipiat sententia aequaliter et cum necessitate disiuncta. Sed multi exstiterunt grammatici, qui docerent, praemissa negatione etiam unum *aut* ita poni, ut *nec — aut* idem significarent quod *nec — nec*, *weder — noch.* At hoc non nisi a poetis et ab iis seriori saeculo factum est, qui poetarum dictionem affectabant. Reliqui omnes ab universo particulae usu numquam recesserunt. Igitur *aut* non modo vim negandi non per se habet, sed ne recipit quidem eam ex antecedente negatione. Nam, ut p. 530. dixi, per *aut* semel positum res inter se conferuntur tamquam partes vicariae, eaeque subiici possunt negationi, quae cum verbo cohaeret. Est autem appositio nominis per disiunctionem arbitrariam facta, neque antiquiorum scriptorum quisquam enuntiationes integras, quae non unum verbum commune haberent, per

non — aut, *nec — aut* coniunxit, quod poetae interdum usurpabant. Errant tamen, qui cum Oudendorpio ad Lucan. 1, 504. et 5, 547. *non* omissum esse putent.

Oudendorp. ad Caes. B. G. 3, 14, 3. et interpretes ad Tacit. Germ. 7. in colligendis exemplis acquieverunt. Doelekius p. 138. et alii ne id quidem observarunt, negationem cohaerere cum verbo.

Liv. 3, 42, 4. *natura loci ac vallo, non virtute aut armis tutabantur.* i. e. non tutabantur virtute, aut, si hoc etiam respicitur, armis. Caesar. B. G. 1, 31. *si qua res non ad nutum aut ad voluntatem eius facta sit.* Stat. Theb. 1, 74. *orbum visu regnisque parentem non regere aut dictis moerentem flectere adorti.* Silv. 1, 4, 21. 1, 5, 34. Lucan. 1, 506. Plin. Hist. n. 22, 24, 51. *ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse.* amara et dulcia, ipsa distincta, unius notionis ambitu continentur, et negationi submittuntur. Sallust. Cat. 13, 5. *non famem aut sitim, neque frigus neque lassitudinem opperiri.* ubi alii codd. *non sitim*, quod non falsum. Tacit. Germ. 22. *gens non astuta nec callida.* unus cod. *aut callida.*

Liv. 3, 16, 4. *nemo tribunos aut plebeios timebat.* Singulari dictione Plaut. Most. 1, 2, 43. *sibique aut materiae ne parcunt.* i. e. non parcunt.

Cic. Lael. 18, 65. *neque vero, qui non iisdem rebus movetur et natura consentit, fidus aut stabilis potest esse.* Tusc. 1, 13, 30. Acad. 2, 7, 21. *sine quibus nec intelligi quidquam, nec quaeri aut disputari potest.* Liv. 1, 18, 5. *neque se quisquam, nec factionis suae alium, nec denique patrum aut civium quemquem praeferre illi viro ausi.* Lucan. 3, 480. *nec Graiis flectere iactum aut facilis labor est longinque ad tela parati tormenti mutare modum.* Tacit. An. 13, 39. *hostem vagum, neque paci aut proelio paratum.* 3, 54. (offensiones) *inanes et irritas, neque mihi aut vobis usui futuras.* i. e. neque usui futuras mihi, aut etiam vobis. 15, 13. *neque eamdem vim Samnitibus, italico populo, aut Hispanis ac Parthis, romani imperii aemulis.* Germ. 7. *nec illae numerare aut exigere plagas pavent.* alii *nec exigere.* Sed positum est pro *aut etiam*, alternante rei notione.

Post *ne quidem* sequitur *aut* eadem ratione Sueton. Cal. 24. *nec umquam postea quantiscumque de rebus ne pro concione quidem populi aut apud milites nisi per numen Drusillae deieravit.* Tacit. Hist. 2, 76. Post *ne* bene restituit Freinshemius in Curt. 8, 1, 18. *ne pedes venaretur, aut sine de-*

lectis principum. Post *neu* positum est *aut* apud Plaut. Poen. prol. 18.

Poetae pro *nec* — *nec* dixerunt. Lucan. 1, 286. *nunc neque te longi remeantem pompa triumphi excipit, aut sacras poscunt Capitolia lauros.* Virgil. A. 4, 339. *neque ego hanc abscondere furto speravi, ne finge, fugam, nec coniugis umquam praetendi taedas, aut haec in foedera veni.* Stat. Silv. 1, 4, 66. *nam neque plebeiam aut dextro sine numine cretam servo animam.* Valer. Fl. 1, 17. de quo loco disputat Weichert. in Epist. p. 14. Conf. Bentlei. ad Horat. Sat. 1, 6, 68.

Liv. 22, 2, 6. *Galli neque sustinere se prolapsi, neque assurgere ex voraginibus poterant: aut corpora animis, aut animos spe sustinebant.* Crevier. et Doering. *aut* pro *nec* positum putabant: Perizonius, qui usum cognoverat, scripsit *neque aut.* Mihi autem ita constituendus videtur locus: *Galli neque sustinere se prolapsi* (sic enim labentes dicuntur per prolepsin), *neque assurgere ex voraginibus poterant. Aut corpora animis, aut animos spe sustinebant.* i. e. alii corpora, ne collaberentur, sustinebant animi fortitudine, alii, qui corpora sustinere non poterant, certe animos spe erigebant. Cic. ad Fam. 2, 19, 3. *sed neque unde, neque quo die datae essent, aut quo tempore te exspectarem, significabant.* Cortius e codd. profert *atque tempore*, Martyni Laguna *nec quo tempore.* A quibusdam auctoribus affertur Cic. ad Fam. 5, 12, 3. *ut nullam rem neque tam magnam aut tam parvam putet:* at in omnibus editionibus, quas inspexi, legitur *neque tam parvam.* Virgil. Aen. 4, 500. *non tamen Anna novis praetexere funera sacris germanam credit, nec tantos mente furores concipit, aut graviora timet quam morte Sichaei.* Iortinus, difficultatem bene sentiens, coniecit *concipere.* Equidem non reiecerim aliorum codd. scripturam *haud graviora.* Sicuti apud Lucan. 8, 378. restitutum est: *non ulla est machina belli: haud fossas implere valent.* conf. 2, 362.

10. Quae in negativa sententia locum habet rerum ac notionum alternatio per simplex *aut* expressa, ea etiam in interrogatione et in comparatione, quae utraque negativae sententiae respondet, propriam sedem occupat.

Plaut. Truc. 1, 2, 39. *an tute bene rem publicam aut amoris alia lege habere posse se postulas, quin tu otiosus fias?* Cic. Orat. 8, 27. *quonam igitur modo audiretur Mysus aut Phryx Athenis?* Liv. 22, 9, 4. *proelio magis ad eventum*

secundo quam levi aut facili affectus. quod idem est ac *non levi aut facili.* 21, 2, 5. *is — hospitiis regulorum magis conciliandisque per amicitiam principum novis gentibus quam bello aut armis rem carthaginiensem auxit.*

11. Quidam tradiderunt, *aut* necti cum particulis coniunctivis: quod nullo pacto fieri potest. Nam oratio, quae ab *aut* incipit, non continuatur per *et* in altera parte enuntiationis positum, nisi in anacoluthi grata negligentia, cuius alia quaedam exempla apponam similia.

Cic. de Fin. 4, 28, 77. *quasi vero aut concedatur, in omnibus stultis aeque magna esse vitia — : et quasi nihil inter res quoque ipsas, in quibus peccatur, intersit.* Interposita verba, quae nos omisimus, caussam praebebant mutandae orationis. Atque eodem nomine, sed frustra studuit vindicare Goerenzius Cic. Brut. 2, 6. *hunc et praeter ceteros, aut cum paucis sustineret dolorem.* In his enim anacoluthiae nulla opportunitas, nec convenit *et* pro *etiam* accipere, ut bene vidit Ellendtius, neque etiam dici poterat *et praeter ceteros, et cum paucis.* Praestat *autem*, quod Ernestius coniecit, emendationi Lambini: *aut praeter cet.*

Cic. Brut. 14, 53. *quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto — defuisse? qui de matre suavianda ex oraculo Apollinis tam acute arguteque coniecerit.* Ellendtius eiecit *aut.* Sed vid. Walchii Emendat. Liv. p. 188. Orat. 69, 229. *sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc sequuti non tenuerunt, simile faciamus: ne aut verba traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut volvatur oratio.* Meyerus ad h. l. „dicere voluit, ne aut verba traiiciamus aperte, aut numero servientes inania inculcemus verba, aut concidamus numeros, aut in eodem semper versemur numerorum genere.“ p. Cluent. 45, 127. *aut illud afferant, aliquid se, quod de iis duobus habuerint compertum, de ceteris comperisse. Nam illud quidem minime probandum est, ad notationes auctoritatemque censoriam exemplum illos a consuetudine militari transtulisse.* Ita enim scribendum videtur: alii eiiciunt verba *aliquid esse*, alii inserunt *non* ante *compertum.* Sed sententiae formationem Matthiae in Wolfii Analect. 3. p. 3. ita expediit, ut alterum membrum *aut — se transtulisse*, mutata oratione suppressum existimaret. At sententia in eum modum, quem p. 530. illustravimus, composita esse videtur. Dicit enim Cicero: „ego video duos solos condemnatos a censoribus, aut, si hoc non concesserint. afferant, ali-

quid, i. e. magnum aliquid, quod de iis duobus habuerint compertum, etiam de ceteris se comperisse. Nam militaris consuetudo ad hanc censoriam notationem transferri non poterat." Conf. exempla supra allata.

12. Sed iam antiqui grammatici huic particulae tribuerunt potestatem variam, quam, ab ipsa alienam, ad totius enuntiationis formam referre nos oportet. Ita Diomedes p. 412. appellat comminativam, et hortativam in verbis *aut tu magne pater divum miserere.* quorum verborum apud Virgil. Aen. 9, 496. longe diversa est ratio. Nostris temporibus Goerenzius ad Cic. de Leg. 1, 13, 36. et 14, 41. observasse sibi visus est, per *aut* ironiam exprimi vel continuari. Nec deerant, qui assentirent. Ego autem dum omnia circumspicio, invenire non potui, quodnam ironiae receptaculum in voc. *aut* situm sit. Ex iis, qui afferuntur, locis alter: *et scilicet tua libertas disserendi amissa est, aut tu is es* etc. ironiam habet indicatam in verbo *scilicet*, et *aut* inservit correctioni, neque aliter se habent verba in altero loco *aut incauti* etc. vid. p. 530. Ibi nulla ironiae potestas valet. Tamen est aliqua oratio ironiae similis, in qua *aut* per eam vim, quae deteriora atque minora opponit, indignationem exprimit interrogatione, praemissa sententia negativa.

Virg. Aen. 3, 43. *non me tibi Troia externum tulit: aut cruor hic de stipite manat?* Ovid. Her. 16, 169. *nec piget: aut umquam stulte legisse videbor?* 16, 357. *nec plus Atrides animi Menelaus habebit quam Paris: aut armis anteferendus erit?* Ita haec omnia interpungenda mihi videntur: quod si improbaveris, referenda sunt ad eam formam, de qua modo loquuturus sum. Interrogatione scilicet vis additur orationi alioquin languescenti.

Cic. Acad. 2, 7, 21. *potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut ita qui sentiat, non apertissime insaniat?*

13. Indignationem vel irrisionem in eius sermone, qui alios hortetur, vel excitet, per hanc formulam ab *aut* incipientem exprimi, id Ernestius ad Tacit. 13, 21. notavit. Ibi legitur: *aut exsistat, qui cohortes in urbe tentatas, qui provinciarum fidem labefactatam, denique servos vel libertos ad scelus corruptos arguat.* Est sensus: aut si hoc, quod dixi, non sufficiat, nec desistant delatores, exsistat etc. Plaut. Rud. 4, 4, 118.

placide, aut ite in malam crucem. Curc. 5, 2, 14. Aul. 3, 3, 10. Vehementiam quamdam cognosco etiam in Cic. de Div. 2, 7, 19. *aut si negas esse fortunam et omnia, quae fiunt, quaeque futura sunt, ex omni aeternitate definita dicis esse fataliter, muta definitionem divinationis.* nec mutaverim cum Hottingero *at si:* quod ipsum non male dictum esset. vid. p. 429.

14. Non parum disceptarunt grammatici de varia compositione particularum *aut — vel, vel — aut.* Atque re acriter perspecta, Scioppius omnino negavit pro *aut*, quod διαζευκτικὸν esset, poni posse *vel*, reprehenditque propter hunc usum Casaubonum et Thuanum in Ind. de Stil. Hist. p. 118. et 120. Neque aliter Withofius in Praemet. cruc. crit. p. 114. Quare Vossius in Aristarcho de Constr. p. 598. et Schraderus in Emendat. p. 211. excitarunt bonorum scriptorum exempla, quorum rationem nemo satis perspexisse videtur. Spaldingius ad Quinctil. 9, 2, 18. credulus provocat Tursellinum Schwartzii, falsum in hac re testem. Meliora et maxima ex parte vera docuit Lachmannus ad Propert. 4, 21, 25. Primum seiungi debent plurima ea exempla, in quibus per *vel* alia subiungitur vel praemittitur disiunctio, in qua cogitatio aut notio supponitur. Id iam Gesnerus monuit in Thesauro. Qua autem ratione haec subdisiunctio conveniat cum vocabulo *vel*, antea iam exposui.

Cic. de Senect. 16, 57. *ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius vel igni, aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?* Vlpianus in Dig. 11, 5, 1, 4. *haec clausula pertinet ad animadversionem eius, qui compulit ludere, ut aut multa multetur aut in lautumias vel in vincula publica ducatur.* Cic. de Rep. 1, 42. *si quando aut regi iusto vim populus attulit, regnove eum spoliavit, aut etiam — optimatium sanguinem gustavit.*

Cic. de Orat. 1, 12, 53. *quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis?*

Ita poetae in diversis disiunctionibus componendis varietatis caussa adhibent diversa vocabula, quorum discrimen non exacte distinguunt. Virgil. Aen. 6, 84. Praeter necessitatem Vossius in Tibull. 1, 4, 18. *ve* pro *aut* scribendum existimavit.

Tum adiungitur saepe aliquid simile per *vel*, quod significat *vel etiam*, *vel si ita vis*. Ita alternari possunt *aut — vel*, nulla ipsorum ratione intercedente.

Tacit. Hist. 2, 76. *nec adversus cautissimam Tiberii senectutem, ne contra Caii quidem, aut Claudii, vel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus.* Claudii et Neronis domus unius erat generis, diversa a Caio. Dial. de Orat. 28, 1. *non reconditas caussas requiris, nec aut tibi ipsi aut huic Secundo, vel huic Apro ignotas.* Horat. Epod. 9, 33. *capaciores affer huc, puer, scyphos et chia vina aut lesbia, vel, quod fluentem nauseam coerceat, metire nobis caecubum.* i. e. vel etiam, si ita vis. Cic. Tusc. 3, 19, 44. *haec Epicuro confitenda sunt, aut ea, quae — dixi, tollenda de libro, vel totus liber potius abiiciendus.* Vlpian. Fragm. 2, 10. *per fideicommissum libertas dari potest tam proprio servo testatoris quam heredis, aut legatarii, vel cuiuslibet extranei servo.* i. e. sive is sit legatarius, sive alius.

Neque alia est caussa, ubi *vel* praecedit. Nam ibi aut nova additur disiunctio per *aut*, aut *vel* significat *adeo*, nec respondet particulae *aut*.

Ovid. Met. 15, 600. *vos urbe virum prohibite, Quirites, vel si dignus erit, gravibus vincite catenis. Aut finite metum fatalis morte tyranni.* Ibid. 289. 301. In Propert. 2, 2, 6. *et incedit vel Iove digna soror: aut quum Munychias Pallas spatiatur ad aras. vel* non disiungit, sed significat *adeo*. Eodem modo dictum puto 3, 20, (21,) 25. *illic vel studiis animum emendare Platonis incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis: persequar aut studium linguae, Demosthenis arma, librorumque tuos, docte Menandre, sales.* in quo loco exstirpando multam operam viri docti consumpserunt: quibus equidem non assentior, sed tantum scribendum puto *persequar aut stadium linguae* Reliqua verba, et *vel*, et *illic*, et repetitum nomen *docte*, et *studiis animum emendare* propriam vim et elegantiam sibi vindicant.

Quae restant exempla, in quibus *aut — vel*, *vel — aut* necessitate composita sunt, apud poetas tantum reperiuntur. Oratores hac varietate abstinuerunt: at in poetis hanc licentiam negare, ut voluit Lachmannus, aut exempla, quae exstant, ad diversitatem utriusque particulae primitivam referre non licet.

Plaut. As. 3, 1, 19. *quoties te vetui Argyrippum — compellare aut contrectare colloquive aut contui?* Ovid. Met. 1,

546. *tellus, aut hisce, vel istam, quae facit ut laedar, mutando perde figuram.*

Martial. 3, 3, 3. *ipsam crede deam verbis tibi dicere nostris: aut aperi faciem, vel tunicata lava.* 4, 77, 6. *aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.* Silius 16, 32. *non ars, aut astus belli vel dextera deerat.*

Varro de Re r. 1, 7, 5. *a qua parte vel maxime bonus aut non bonus appellatur.* cohaerent *vel maxime.* i. e. imprimis. Cic. de Nat. d. 2, 34, 87. *aut quum solarium, vel descriptum, aut ex aqua contemplere.* Heindorfius e cod. restituit *aut descriptum.* Equidem vellem invenisset in codice *vel — vel:* certe mutari non poterat *aut* ante *quum.* Quinctil. 9, 2, 18. *verborum quoque vis ac proprietas confirmatur vel praesumtione: Quamquam illa* etc. *aut reprehensione: Cives, cives* etc. Interpretes dicunt esse pro *vel — vel* sive *aut — aut.* Id ipsum tamen hic locum habere non potest. Sed *vel* dictum est, ut 5, 6, 1. *ut vel adversarius iuret* — pro *etiam.*

Drakenborchius in Liv. 22, 49, 11. emendat *ne aut reus iterum e consulatu, sive accusator collegae exsistam.* additque: „vocabulo *aut* subiungi potest *sive* eadem ratione, qua *seu* vocabulo *sive.*“ Vellem addidisset exempla in auctoribus prosae orationis reperta. Virgilius quidem dixit Aen. 12, 684. *ac veluti montis saxum de vertice praeceps quum ruit, avolsum vento, seu turbidus imber proluit, aut annis soluit sublapsa vetustas.* In his nova fit disiunctio, et *aut* positum est pro *aut si.* Tacit. Hist. 5, 7. *nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herbae tenues aut flores, ut solitam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt.* quamquam dubia est lectio, tamen in verbis *sive h. t. aut f.* alia adiicitur sententia, quae per se constat, et nomina herbarum et florum per *aut* opposita habet. Quare Dronkium cautiore iudicio uti oportuit ad Dialog. 5. p. 78. Etiam Oudendorpius in Caes. B. Civ. 3, 25, 4. malam fecit coniecturam: nam alia est ratio verborum *sive — vel.* Propert. 3, 21, 7. *vix tamen aut semel admittit, quum saepe negavit, seu venit extremo dormit amicta toro.* quae verba nuper a Paldamo in suspicionem vocata sunt: at elegantiam habent admirabilem: nam poeta narrat, se vehementissimo amore vexari, et quum ipsa tamen puella non aequali fervore respondeat, sibi unum auxilium superesse in itinere. Illud *seu* post *aut* positum est pro *aut si.*

15. Quo differunt *aut* et *an*, id iam pag. 298. exposui. Quamvis igitur ob ipsam disiunctionem, quae utrique vocabulo, sed diversa ratione imposita est, cognata videantur, et adeo proxime se attingant, tamen *aut* non ponitur pro *an*. Nam id, quod incertum videtur et de quo dubitatur, non potest certa notione comprehendi. Exemplis id demonstravi p. 298. et p. 303. et 308. quae hic repetere non attinet. Ex multis, quae in promptu sunt, pauca hic adiiciam. Sed potest nova interrogatio ab *aut*, quae potiora opponat, incipi, ut Plaut. Most. 2, 2, 47. Mil. 2, 5, 59. Cic. de Fin. 1, 16, 52. Caesar. B. G. 1, 40. vid. p. 354. potest in quacumque interrogatione et dubitatione interponi disiunctio duarum notionum: quod in multis exemplis fefellit criticos. Iam Quinctilianus 1, 5, 50. *nam et an et aut coniunctiones sunt: male tamen interroges hic aut ille sit?* quibus e verbis colligere non licet, quosdam illius temporis scriptores ita loquutos esse. Et quae afferuntur tamquam certa exempla Plinii Sec. et Taciti, aut falsa sunt, aut alia commoda et apta ratione expediri debent. Sed Noltenius, et quos ille in Lex. antib. p. 1333. affert auctores, in hac re non accurate versati sunt: tamen non pauci crediderunt his testibus parum idoneis. vid. Grotefend. Commentar. p. 210.

Inter eos, qui rem caute et diligenter tractarunt, nominandi sunt Gesnerus ad Plin. Ep. 10, 48. Oudendorp. ad Suet. Dom. 17. Heusinger. Observ. antibarb. p. 459. Matthiae ad Cic. p. Rosc. A. 21, 59.

Plaut. Aul. 2, 6, 11. *coenaene caussa, aut tuae mercedis gratia, nos nostras aedes postulas comburere? aut* est corrigentis sese, aut potius, *oder vielmehr*. Bacch. 1, 2, 54. *tibi ego, aut tu mihi servus es?* antiquae editiones, quas inspexi, et codd. *an* habent. Vulgatum *aut* esset *haud*, ut Gruterus correxit: si disiunctiva poneretur, ironiae vim et salem inesse Gesnerus existimabat. Cic. ad Att. 8, 3. recte legitur: *age iam cum fratre an sine? cum filio? aut quomodo?* i. e. cum filio an sine? aut quomodo? Brut. 44, 162. *erit, inquit Brutus, aut iam est iste quem exspectas?* Heusing. et Schützius scribendum esse putabant *an*, Ellendtius haec addit: „illud *aut* in altero membro interrogationis positum adeo sermonis purioris legibus repugnat, ut in soloece dictis posuerit Quinctil. 1, 5, 50. Et ne Suetonio quidem concedit Oudendorpius ad Dom. 17.“ Matthiae reiicit omnem emendationem, et recte quidem: nam non quaeritur, utrum

futurus sit, an iam exstiterit, sed num umquam futurus sit, aut etiam iam adsit. Est igitur: num erit, aut potius num iam est iste? de Off. 3, 13, 54. *quaero — num iniuste aut improbe fecerit.* ubi Heusingeri demonstrant lectionem olim vulgatam esse prorsus ineptam. vid. eorum notam et nostram p. 78. ad Fam. 14, 18, 1. *considerandum vobis — puto —, Romaene sitis, aut mecum in aliquo tuto loco.* Bengelius *aut* non pro *an* accepit, et alterius membri ellipsin explevit per *necne:* alii mutarunt *an*, quod necessarium erat. Longolius ad Plin. Ep. 10, 48. auctoritate cod. vaticani defendere vult *aut*, sed frustra. Acad. 2, 39, 124. *tenemusne, quid animus sit? ubi sit? denique sitne, aut, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus?* Cum Davisio Goerenzius edidit *an*, Orellius ne commemoravit quidem antiquiorem scripturam. Senec. Ep. 52, 7. *quem, inquis, invocabo? hunc aut illum?* de hac formula, etiam apud Cic. p. Rosc. A. 21, 59. obvia, vid. p. 303. Plin. Ep. 10, 48, 2. *dignum est certe deliberatione, sitne faciendum, aut sit relinquendum, an etiam destruendum.* Quidquid Longolius dicat, scribendum est *an.* sed 1, 18, 5. verba *aut si totius putas* non respondere antecedenti *an*, iam Gesnerus notavit. Paneg. 84, 1. *dubitare cogatur, utrum sit efficacius ad recte vivendum bene institui, aut feliciter nasci.* ita plurimi libri, sed cod. vatican. *an.* Vid. Schwarz. ad h. l. Sed viri docti adeo in alienissimis exemplis haeserunt, veluti in Cic. Parad. 1, 14. *melioremne efficit aut laudabiliorem virum?* Vid. Titii Manuductio p. 332. Tacit. An. 4, 17. *accitosque pontifices percunctatus est, num id precibus aut minis Agrippinae tribuisset.* Non quaerebat e pontificibus, num fecissent precibus Agrippinae commoti, an minis eius, sed, num fecissent Agrippinae sive precibus sive minis. *sie hätten wol den Bitten oder Drohungen der A. gewillfahrtet.* Plin. Hist. n. 7, 1, 1. correctum nunc legitur: *parens melior homini, an tristior noverca fuerit.*

Plaut. Curc. 1, 1, 90. *voltisne olivas, aut pulpamentum, aut capparim?* Cas. Prol. 69. *servine uxorem ducent, aut poscent sibi?* Men. 4, 2, 56. *num ancillae aut servi tibi responsant?* Varro de Re r. 3, 2, 14. *nuncubi hic vides citrum aut aurum? num minium aut armenium?* In his omnibus non est interrogatio bimembris, sed uni nomini alterum substituitur. Neque aliter Men. 5, 4, 1. *narra, senex, num larvatus aut cerritus? fac sciam: num eum veternus aut aqua intercus tenet?* duae interrogationes coniunguntur. Sic etiam Pseud. 1, 1, 83. *num quoipiam est hodie tua tuorum*

opera conservorum nitidiusculum caput? aut num ipse pulmento utor magis unctiusculo?

16. In verbis *aut si* saepissime varietatem scripturae occurrere, formulis *at si* et *ac si* commutatis, criticos autem non semper certo iudicio hanc controversiam constituisse, id neminem fugit. Atque haec res ita comparata est, ut multis in locis, quae dictio praeferri debeat, affirmare non liceat. Nam praeter vulgarem usum, quo duae sententiae conditionales per disiunctionem componuntur (Cic. de Orat. 2, 17, 76), *aut si* poni solet in afferendis similibus exemplis, sicuti Cic. de Leg. 1, 15, 42. et in ea sententiarum oppositione, qua vel ad rem ingratam, nec primum comprehendendam transitur, vel aliud, quod non adeo probabile, nec facile fieri posse videatur, adiicitur: quod, omissa huius descensionis nota, etiam per *at si* recte exprimi potest. Sic Tacitus An. 3, 54. dicere poterat: *hanc curam sustinet princeps: haec omissa funditus rem publicam trahet. At si quis ex magistratibus tantam industriam ac severitatem pollicetur, ut ire obviam queat, hunc et laudo, et exonerari laborum meorum partem fateor.* Sed scripsit *aut si quis*, ut sententiam indignationis vi intenderet, et rem, quam dicit, non facile fieri ostenderet.

Ovid. Her. 3, 137. *respice sollicitam Briseida, — nec miseram lenta ferreus ure mora, aut si versus amor tuus est in taedia nostri, quam sine te cogis vivere, coge mori.* Ita bene nunc correctum est: olim legebatur *at si*. Id contra restitutum est Amor. 2, 11, 33.

III. 1. De constructione verborum in enuntiationibus per *aut* conformatis notabilia esse videntur haec. Duo nomina singularis vel utriusque numeri si per *aut — aut* disiunguntur, verbi numerus ad extremi nominis formam accommodatur: sin vero simplex *aut* interponitur, uterque numerus admittitur usu. Zumptio cur magis placuerit singularis n. 374., ipse non exponit: Pearcius etiam ad Cic. Off. 1, 41, 148. negaverat usum pluralis, repugnante Oliveto, quem non audivit Mich. Heusingerus ob exemplorum desiderium: at defendit iure pluralem Iacobus Fridericus.

Cic. Phil. 11, 11, 27. *nec enim nunc primum aut Brutus aut Cassius salutem libertatemque patriae, legem sanctissimam et morem optimum iudicavit.*

Cic. de Off. 1, 28, 97. *si Aeacus aut Minos diceret.* Tusc. 5, 9, 27.

Cic. de Orat. 2, 4, 16. *ut ne Sulpicius aut Cotta plus quam ego apud te valere videantur.* alii codd. *videatur*, quod Pearcius recepit. de Off. 1, 41, 148. *si quid Socrates aut Aristippus contra morem consuetudinemque civilem fecerint.* ad Fam. 4, 5, 12. Liv. 5, 8, 13. *pauci reip. huic atque illi, ut quosque studium privatim aut gratia occupaverunt, adsunt.* alii libri *occupaverat.* Graeca exempla comparat Schaeferus ad Plin. Pan. 75, 2. De varietate scripturae in Cic. in Caec. Divinat. 1, 1. vid. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 41, 10. et Orellius.

2. „*Aut* coniunctio aut voces coniungit eiusdem generis, v. g. *si ea, quae est in te aut vis ingenii aut dicendi venustas:* aut geminatum pronomen requirit, v. g. *si ea, quae est in te aut vis ingenii, aut is dicendi lepos:* aut opus est priorem coniunctionem relinquere, v. g. *si ea, quae est in te vis ingenii aut dicendi lepos.* At si dicas *si ea quae est in te aut vis ingenii aut dicendi lepos*, soloecum est.“ Ita Noltenius in Supplem. p. 85. Caussa huius observationis in eo cernitur, quod per *aut — aut* totum aliquid complectimur, et utriusque partis aequalem tenemus rationem: per simplex *aut* substituimus aliud quid, utrumque invicem conferentes.

3. Coniunctio si quae iterum ponenda est cum altero *aut*, potest ea locum mutare, atque etiam omitti ea ratione, qua p. 74. eam diximus utrique parti praemitti. Cf. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 17. p. 100.

Liv. 2, 27, 2. *postulabant, ut aut referret ad senatum, aut ut auxilio esset consul civibus suis, imperator militibus.* ubi Gronovius perperam sustulit disiunctivas, quibus relationi ad senatum faciendae totum imperatoris officium opponitur.

Cic. p. Cluent. 14, 42. *sed quum esset haec illi proposita conditio, ut aut iuste pieque accusaret, aut acerbe indigneque moreretur.*

Cic. de Fin. 1, 10, 33. *itaque earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut reiiciendis voluptatibus maiores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat.* Wopkens. Lect. Tull. p. 33. (46.) defendit *aut ut reiic.* quod si probemus, sensus erit, ut sapiens delectum faciat in diversum et peculiarem finem. Per *ut aut — aut* utriusque finis commune esse consilium indicatur. Acad. 2, 17, 53.

si aut in sensibus ipsius est aliqua forte gravitas aut tardidas, aut obscuriora sunt, quae videntur, aut a perspiciendo temporis brevitate excluditur. Lambinus coniecit *aut si obscuriora sunt.*

4. Ellipsin particulae esse volunt grammatici, ubi verba sive sententiae, quae alternant, nullo vocabulo interposito coniunguntur, veluti *sex septem mensibus.* vid. Vossii de Constr. p. 605. Atque nonnulli in hac ellipsi elegantiam quaerentes, particulam *aut*, si fieri potuit, abiecerunt. Pertinent haec ad breviloquentiae formam. Ea non adhibetur in negativa sententia: quare Cicero etiam dixit Lael. 4, 15. *vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum.* Poetae in aliis quoque formis omittunt particulam: velut Horat. Sat. 1, 2, 84. *quod venale habet, ostendit, nec, si quid honesti est, iactat habetque palam, quaerit quo turpia celet.* pro *aut quaerit.*

5. Particula *aut* quamquam sua natura primam sedem in verborum ordine postulat, poetae tamen saepe eam post primum vel secundum nomen ponunt.

Tibull. 1, 3, 18. *Saturni aut sacram me tenuisse diem.* 2, 5, 112. Lucan. 2, 362. ubi vid. Bentlei.

Liv. 24, 47, 5. *quam ob noxam Romanorum, quod aut meritum Poenorum pro alienigenis ac barbaris Italici adversus socios romanos bellum gererent?* ita Gronovius e codd. restituit pro *quod ob meritum.* Dukerus correxit *autem*, quod multo minus probari potest. Mihi quidem illud *aut* a librariis adiectum videtur, quum temere in soluta oratione haesissent. Scripsit igitur Livius: *quam ob noxam Romanorum, quod meritum Poenorum.* Nam in huiuscemodi dictione a Livio omittitur praepositio iterum ponenda: quod multis exemplis demonstrare possum.

IV. Restat, ut de particula *aut* cum aliis vocabulis coniuncta dicamus.

1. Vtraque forma, et duplicata et simplex, assumit ad sensum magis declarandum particulas *etiam* et *certe*, diciturque *aut etiam*, *aut certe*, quorum sensus, ut vidimus, saepe per unum *aut* exprimitur. Lucretius usurpat *aut etiam* in transitu ad aliam argumentationem antecedentibus oppositam. Plautus dixit *aut — aut modo.* Quod Badenius et Olshausenius in Cic. de Orat. 3, 18, 66. inferri voluerunt *aut tamen*, abhorret ab usu.

Cic. Tusc. 5, 18, 51. *quid ergo aut hunc prohibet, aut etiam Xenocratem, illum gravissimum philosophorum, — in virtute — vitam — beatissimam ponere?* de Off. 1, 9, 28. *nam aut inimicitias aut laborem aut sumptus suscipere nolunt, aut etiam negligentia, pigritia — impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, desertos esse patiantur.* Orat. Part. 14, 51. ad Att. 4, 1. *etsi omnia aut scripta esse a tuis arbitror, aut etiam nuntiis ac rumore perlata.* Ita Graeci ἢ — ἢ καί. vid. Demosth. p. Cor. p. 327. ubi Wunderlich. Lucret. 4, 936. *fere res omnes aut corio sunt, aut etiam conchis, aut callo, aut cortice tectae.* Lactant. 6, 11, 23.

Cic. de Div. 2, 26. *iam vero coniectura omnis — ingeniis hominum in multas ac diversas, aut etiam contrarias partes saepe deducitur.* ad Fam. 1, 19, 36. *quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur.* Cels. 4, 18. *qui intra verba desipiunt, aut leviter etiam manu peccant.* de Orat. 1, 17, 76. *sed is, si qui esset, aut si etiam umquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto.* Orat. 3, 12. *si modo sim, aut etiam quicumque sim.*

Lucret. 1, 1007. *ipsa modum porro sibi rerum summa parare ne possit, natura tenet: quia* etc. —. *Aut etiam, alterutrum nisi terminet alterum eorum* etc. In Panegyr. Constantin. 3, 2. *an ostentare voluisti diligentiam tuam, divisis copiis inter custodiam pacis et belli, aut etiam iactanter et gloriose probare, liberandae urbi te sufficere cum paucis?* Iaegerus emendavit: *an etiam:* illud tamen probari poterat.

Cic. Orat. 3, 11. *ac video hanc primam ingressionem meam — aut reprehensionis aliquid, aut certe admirationis habituram.* Topic. 17, 64. Brut. 73, 254. *ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut certe ignorata videantur.* Liv. 2, 1, 4. Dolabell. ad Cic. 9, 9, 2. *tibi suadere, ut te aut cum Caesare nobiscumque coniungeres, aut certe in otium referres.* Liv. 40, 46, 2. Lactant. Epit. 33, 12. vid. Bünemann. ad Inst. 6, 15. p. 784. In Propert. 3, 21, 29. *aut certe tabulae capient* etc. miror nuper criticos haesisse: nam sensus est: nisi remedium e philosophiae studio petere licuerit, in contemplandis artis operibus quaeram animi medicinam.

Cels. 1, 2. *exercitationis autem plerumque finis esse debet sudor aut certe lassitudo.* 5, 26. *opportunissimumque curationi tempus vernum est, aut certe neque fervens neque frigidum.*

Plaut. Cas. 5, 4, 22. *si umquam posthac aut amasso Casinam aut occoepso modo, ne ut eam amasso.*

De AVT ADEO vide in ADEO.

2. AVT — AVT VERO componuntur, ut altera sententiae pars maiorem vim accipiat in adscensu ad maiora. Est fere idem quod *aut adeo*. In coniungenda sententia num *aut vero* pro *an vero* dici possit, equidem non affirmaverim.

Cic. in Verr. 4, 35, 78. *quum tibi aut hominem, invitis diis immortalibus, aut vero deum, tantis eorum religionibus violatis, auxilio futurum putas?* de Orat. 1, 9, 36. *quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consilio compulsum potius quam disertorum oratione delenitum se oppidis moenibusque saepsisse, aut vero reliquas utilitates — a disertis et ornate dicentibus esse constitutas?*

Cic. de Nat. d. 2, 44, 115. *haec omnis descriptio siderum atque hic tantus coeli ornatus ex corporibus huc et illuc casu et temere cursitantibus potuisse effici, cuiquam sano videri potest? Aut vero alia quae natura, mentis et rationis expers, haec efficere potuit?* Heindorfius emendavit *an:* non male.

3. AVT — AVT NE QVIDEM semel dixit Cicero, ac nescio an acuminis caussa: nam etiam simili vocum sono, *rem*, *spem*, lusisse videtur.

Cic. ad Att. 3, 22. *ego iam aut rem, aut ne spem quidem exspecto.*

4. *Aut enim, aut igitur* et similia saepe coniunguntur. vid. Cic. Tusc. 2, 13, 31. Sed Heindorfius videtur aliquid constituere voluisse, quasi dictio praestaret, si inter utrumque vocabulum aliud intercederet. Nam Cic. de Nat. d. 2, 33, 85. *aut igitur nihil est*, correxit *aut nihil igitur*, ut Tuscul. 2, 13, 32. ubi ne legitur quidem ita. Acad. 2, 30, 96. *aut quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis, aut ars ista nulla est.* ubi Goerenz. eiecit *aut* non iusta de caussa.

5. *Aut quidem* dixit Sueton. Caes. 66. *mihi, qui compertum habeo, credant: aut quidem vetustissima nave impositos quocumque vento in quascumque terras iubebo avehi.* vid. QVIDEM.

* In scriptis libris hae reperiuntur mutationes vocabuli *aut*, praesertim e compendiorum confusione ex-

ortae. Commutatur cum *ad:* vid. Heins. ad Ovid. Fast. 3, 238. Drakenb. ad Liv. 6, 4, 2. et Tom. 5. p. 334. cum *ac:* vid. p. 512. add. Gronov. ad Pomp. Mel. praef. cum *atque:* vid. Cort. ad Sallust. Iug. 82, 2. Cat. 52, 33. Drakenb. ad Liv. 7, 39, 14. cum *at:* vid. p. 451. add. Werfer. in Actis Monac. Vol. 1. p. 555. cum *an:* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 7, 7. 5, 3, 7. Heusinger. ad Cic. Off. 3, 13, 3. Heindorf. ad Cic. de N. d. p. 229. Meyerus ad Cic. Orat. 34, 121. qui narrat se in quodam codice utramque vocem uno compendio *a'* expressam vidisse. cum *an ut:* vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 17. p. 102. cum *ante:* vid. Drakenb. ad Liv. 10, 36, 19. cum *autem:* vid. Drakenb. ad Liv. 3, 52, 6. 4, 42, 6. interpr. ad Tacit. 1, 8. Miscel. Obs. Tom. 4. p. 33. Heusinger. Emendat. p. 99. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 7, 22. p. 48. de Fin. 2, 12, 38. Madvig. Emendat. p. 126. cum *haud*, sive *haut:* Salmas. ad Capitolin. Antonin. 28. Duker. ad Flor. Praef. p. 10. et 3, 20. p. 601. Heins. ad Virg. Aen. 3, 43. Drakenb. ad Liv. 28, 2, 11. 41, 1, 8. Miscel. Obs. T. 6. p. 367. ubi alii nominantur. Oudend. ad Lucan. 1, 504. 5, 547. cum *vel:* vid. Cic. de Off. 1, 41, 148. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 28, 91. cum *ut:* vid. Drakenb. ad Liv. 4, 21, 8. Goerenz. ad Cic. Ac. 2, 8, 23. de Fin. 5, 18, 48. Meyer. ad Orat. 80. cum *et:* vid. crit. ad Cic. Brut. 2, 6. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 153. Heindorf. ad Cic. de N. d. p. 201. 268. Schwarz. ad Plin. Pan. p. 344. Librarii saepe omiserunt *aut:* vid. Bentlei. ad Horat. Sat. 1, 1, 8. Beck. ad Cic. Agrar. 1, 4, 12. Schütz. ad Ep. ad Att. 10, 13. (ep. 379.) Goerenz. ad Cic. de Fin. 5, 11, 33. praesertim post *autem*, ad 3, 21, 69. Contra etiam addiderunt duplex. vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 2, 30, 96. de Fin. 2, 34, 111. Gernhard. ad Lael. 18, 65. Adiectum *aut* prodit interdum glossam. vid. Wunder in Var. lect. cod. Erfurt. p. 52.

AVTEM.

Brevis esset haec nostra disputatio, nisi grammatici ea, quae simplicia sunt, non solum turbato ordine confudissent, sed etiam significationes alienas particulae AVTEM adscripsissent. Nam si primitivum sensum vocabuli recte percepissent, et in singulis locis explanandis constanter tenuissent, ipsi facile vidissent, non significa-

tionem esse multiplicem, sed varium usum. Legimus autem in explicationibus huius usus propositis commixta vocabula *iam vero*, *attamen*, *sed*, *item*, *certe*, *minus*, *ita*, *idcirco*, *immo*, *an* et alia, quae sunt diversissima. Atque illud quidem non potest dubium videri, *autem* unius esse originis cum *aut*, et utrumque cognatum graeco αὖ. Nam quo modo *item*, *itidem*, *quidem* adiecta syllaba *tem* vel *dem* conformata sunt, ita etiam *autem:* quamquam alii αὖτε, quod est αὖ τε, alii αὐτὰρ formationis fundamentum poni malunt, quod haud probabile videtur. Primitiva igitur notio nominis *au* id indicat, quod contra positum (nam quod αὖ *rursus*, *iterum* significat, notio est inde deducta), ideoque *autem* principio notat *contra*, *dagegen eben*, hancque vim oppositivam per omnem usum, modo adstricto, modo relaxato sensu, servat. Syllabam *tem* enim non meram puto esse terminationem adverbialem, sed potestatem habet distinctionis demonstrativam, quam nos vocabulo *eben* designamus. Idque, ut videtur, animo tenens Priscianus comparavit graecum δή. Sed oppositivam, non adversativam nominavi vim, quippe quae sua oppositione non reiiciat aut restringat aliud quid, quod antecedit, sed si quando hoc fiat, id ex ratione et argumento enuntiationum componendarum recipiat. Discrimen proprie indicatur, non diversitas, ut bene vidit Bauerus ad Sanctii Min. T. 2. p. 341. atque ita opposita sibi respondent invicem. Inde oritur vis distinctiva, quae aliam rem ab alia distinguat, atque in oratione componenda prope accedit ad vim demonstrativam: nam eum, qui audit, ab altera parte in alteram traducimus distinguendo, et utramque rem ut committat iubemus. Ita ea, quae re discreta intelligi volumus, ut recte perspexit Gesnerus, oratione connectimus. Hinc intelligitur, quousque attineat cognatio vocabuli *at*, quod quatenus oppositioni simplici inservit, propemodum idem significat, et in iisdem dictionibus usurpatur. Errant vero ii vehementer, qui *autem* idem esse dicunt quod *sed*. Hoc separat et removet, illud componit et continuat. Nec sine caussa iam Tursellinus monuit, ut in explicatione potius *et* quam *sed* adhiberetur. Sed in hoc usu etiam temporis est aliqua diversitas. Antiquiore enim tempore particula plerumque vim illam puram ac simplicem obtinebat, et distinctionem addebat rebus non natura sua, sed positione adversis: recentiores autem

scriptores eam frequentius usurpabant ad opponenda ea, quae sibi adversari viderentur, aut quibus ante dicta reiicerentur.

Heusingerus in notis ad Cic. de Offic. libros, Wolfius ad Tacit. An. 1, 8. *adversativam* appellant particulam. Goerenzius, qui ad multos Ciceronis locos primariam illam significationem observavit tamquam peculiarem et saepe quidem obviam, ab hoc fundamento proficisci debuit, omnemque usum ad unam hanc notionem referre.

Germani quum particulam reddunt per *aber*, utuntur vocabulo, quod proprie significat *αὖ*, *rursus*, sicuti dicebant olim *abermal*, *und aber*.

Iam particulae usum, qui, apud philosophos frequentissimus, oratoribus et historicis non nisi in certis dictionibus quibusdam placuit, a poetis autem et ob prosae orationis proprietatem, et ob formam vocabuli versibus conficiendis parum idoneam fere respuitur, per singulas partes persequamur.

I. 1. Ac primo AVTEM, uti ipsa eius forma declarat, rem opponit alii rei cum quodam distinctionis atque affirmationis adminiculo: quod nos dicimus *dagegen eben*. Quibus verbis quum etiam in explicanda particula *atqui* usus sim, hic sensum primitivum verbi latini, non usum germanici respicio. Est igitur *autem* idem fere quod *at quidem* (vid. p. 449.), sed gravius quam simplex *at*: nam quadam ex parte prope accedit ad *at vero*. Graeci δὲ δὴ dicunt, Demosth. Olynth. 2. p. 22. ext. οἱ μὲν οὖν πολλοὶ Μακεδόνων —, οἱ δὲ δὴ περὶ αὐτὸν ὄντες ξένοι —. Hanc primitivam significationem in iis agnoscimus, in quibus confirmativa vis magis elucet. Sed quum illa oppositiva potestas, quam primum spectamus, in his aliquantum reprimatur, infra erit agendum de hac re.

Cic. Acad. 2, 28, 91. *si haec et horum similia iudicat, de se ipsa iudicat. Plus autem pollicebatur.* Intelligi potest *at vero*. Glossarum auctores in Digestis non semel interpretationem apposuerunt *certe*, ut 31, 3, 97. 37, 4, 3, 1. vid. Barbosae Diction. usu frequent. p. 526. Strauchii Lexic. Particul. s. h. v. n. 3. Quod narrant lexicorum auctores, *autem* in sententia poni posse, quae orationem incipiat, nulla antecedentium oppositione, absurdum est. In Cic. ad Att. 9, 11. nunc restituta est epistolarum forma et nexus. Apud Vlpianum Digest. 37, 4, 3. oratio ad edictum, quod illustratur, spectat.

2. Sed vulgari usu AVTEM simpliciter opponit aliam rem alii rei, idemque exprimit quod Graecorum δέ, sive praemisso μέν, sive non praemisso: i. e. *contra*, *dagegen*, *aber*. Quo sensu saepissime componitur cum pronominibus: *ille autem*, *tu autem*, *qui autem:* et a quibusdam scriptoribus usurpatur tantummodo in designandis personis. Sic Tacitus quidem semper. Oppositio, quae fit, nihilominus contrarias res continere potest, tamquam diversas: quo ipso tamen non nascitur vis adversativa. Ceterum oratores illis pronominibus saepe particulam adiungebant non aliam ob caussam, quam ut ea fulcirent pedamento quodam.

Plaut. Men. 5, 3, 9. *ait se obligasse crus fractum Aesculapio, Apollini autem brachium.* Amph. prol. 35. *nam iniusta ab iustis impetrare non decet, iusta autem ab iniustis petere insipientia'st.* Cic. ad Fam. 16, 22, 3. *ego hic cesso, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissime.* de Orat. 1, 25, 115. *sunt quidam aut ita lingua haesitantes* etc.: *sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles* etc.

Plaut. Men. 2, 1, 43. *tu magnus amator mulierum es, Messenio: ego autem homo iracundus, animi perditi.* Aul. 2, 5, 7. *i sane cum illo, Phrygia, tu autem, Eleusium, huc intro abi ad nos.* Capt. 2, 3, 4. *nam ego te aestimatum huic dedi viginti minis, hic autem te ait mittere hinc velle ad patrem.* Bacch. 4, 8, 58. *rus misit pater: illa autem in arcem abivit.* Mil. 4, 4, 13. *si et illa vult, et ille autem cupit.* Epid. 5, 2, 7. *ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias.* Cic. Acad. 2, 19, 61. *Cimmeriis quidem — ignes tamen aderant, quorum illis uti lumine licebat: isti autem, — tantis offusis tenebris ne scintillam quidem ullam nobis ad dispiciendum reliquerunt.* Plaut. Mil. 2, 1, 1. *mihi ad enarrandum hoc argumentum est comitas, si ad auscultandum vostra erit benignitas. Qui autem auscultare nolit, exsurgat foras.* Cic. Tusc. 1, 23, 54. Plaut. Ep. 2, 2, 95. *quid tu autem, Apoecides?* i. e. quid tu ex tua parte iudicas? Capt. 3, 4, 24. Terent. Eun. 3, 2, 22. Plaut. Pers. 5, 1, 11. *cur ego sine te sum? cur autem tu sine me es?*

Cic. de Orat. 1, 8, 30. *neque vero mihi quidquam praestabilius videtur quam posse dicendo — voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere.* de Nat. d. 3, 10, 25. *versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur, callidos autem, quorum — animus usu concalluit.* Sueton. Calig. 21. *opera sub Tiberio semiperfecta — absolvit. In-*

choavit autem aquae ductum regione Tiburti. Ernestio displicuit *autem.* At opponuntur verba *inchoare* et *absolvere.*

Cic. de Orat. 1, 27, 125. *qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum: cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo, aut certe diuturna valet opinio tarditatis.* Schützius in priori editione temere eiecit *autem*, in secunda restituit.

Item in interrogatione: Cic. Tusc. 4, 2, 5. *quam brevi tempore, quot et quanti poetae, qui autem oratores exstiterunt?*

3. Iam vero, quum diversa et ob aequalem rationem aliquam coniungi et propter contrariam speciem ex adverso poni possint, duplex in hac voce apparet vis, quarum altera magis ad coniunctionem inclinat, altera adversativa esse videtur. Ita etiam graecum δέ, modo ad καί, modo ad ἀλλὰ propius accedit: quamquam id, quod antecedentem sententiam restringat aut reiiciat, non exprimitur ipso vocabulo *autem*, sed reliquis, quae adduntur, verbis aut universa orationis forma. Id egregie observavit Hoogeveenius in graeco δέ, quod vicem vocabuli ἀλλὰ explere aliis videbatur. vid. eius Doctrin. part. a Schützio in epitomen redact. p. 129. Quare falluntur ii, qui *autem* pro *sed* positum esse multis in locis notaverunt. Multo aptius conferri potest *at.* Nam in simplici ista distinctione vis oppositionis tantum potest augeri, ut aliam rem tamquam contrariam opponat. Neque vero ii magis prudenter rem agunt, qui aut de copulativa potestate ipsius particulae loquuntur, aut eam significare *item*, *etiam*, *praeterea* tradunt. Vid. Wopkens. Lect. Tull. p. 10. (7.) et in Miscel. Observat. T. 9. p. 63. Heusinger. ad Cic. Off. 1, 4, 2. Schelleri Observat. p. 193. Atque ut similes res coniungi possunt, ita ipsam similitudinem non significat particula *autem:* sed quod nos Germani cogitare solemus in verbis *et ex altera parte praeterea*, vel *item ex altera parte*, Latini simpliciore ratione exprimunt per *autem.* Iurisconsulti multum laborarunt in distinguenda hac significatione adversativa et copulativa. vid. Barbosae Diction. usu frequent. p. 526. Inde tamen nihil ad nostram doctrinam redundat.

Cic. de Divin. 2, 56, 115. *nam quum sors illa edita est opulentissimo regi Asiae, Croesus* etc. *hostium vim sese perversurum putavit, pervertit autem suam.* Non scripsit

suam autem pervertit, quoniam magis ad rem vere effectam quam ad oppositam hostium et Croesi vim respiciebat. Hinc *autem* explicari poterit *at re vera*, *at vero*.

Plaut. Trin. 3, 2, 56. *me — in divitiis esse agrumque habere, egere illam autem.* quod est, in altera parte. Pareus adversativam appellat. Idem in Rud. 3, 4, 22. explicat per *tamen*, per *sed* in Trin. 2, 2, 8. *quod tuum'st meum'st, omne meum est autem tuum.* Ibi legendum est: *omne meum autem tuum'st.* Saepe fit talis oppositio per interrogationem, ut Terent. Hec. 1, 1, 14. Sv. *Tamen pol eamdem iniurium'st esse omnibus.* Ph. *Iniurium autem est ulcisci adversarios?*

Discrimen verborum *sed* et *autem* conspicuum est in Cic. de Off. 1, 11, 36. *Popilius imperator tenebat provinciam: in cuius exercitu Catonis filius tiro militabat. Quum autem Popilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium — dimisit. Sed quum amore pugnandi in exercitu permansisset, Cato ad Popilium scripsit* etc. Plaut. Merc. 2, 2, 48. *humanum amare est, humanum autem ignoscere est.* i. e. ex altera etiam parte. 5, 1, 1. *limen superum inferumque salve, simul autem vale.* Most. 3, 2, 91. *vehit hic clitellas, vehit hic autem alter senex.* explicant *item*, sed ipsum voc. *alter* indicat, ex altera parte stare senem. Cic. de Off. 1, 5, 16. *quocirca huic quasi materiae, quam tractet, et in qua versetur subiecta est veritas. Reliquis autem tribus virtutibus necessitates propositae sunt ad eas res parandas tuendasque, quibus actio vitae continetur. — Ordo autem et constantia et moderatio — versantur in eo genere, ad quod adhibenda est actio quaedam.* Mutarunt Facciolatus *enim*, Pearcius *item:* utrumque male. Cic. Acad. 1, 4, 17. *quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiae quasi heredem reliquisset, duos autem praestantissimos studio et doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem.* ubi Schellerus quoque in Observ. p. 193. coniecit *item.* vid. not. ad Wopkensii Lect. Tull. p. 10. Nihil est enim frequentius hac formula verborum *quum — autem* in componendis duabus caussis. Cic. ad Fam. 4, 10. p. Caec. 6, 16. Nec magis probari possunt emendationes a Lambino in Cic. Tusc. 1, 33, 80. a Davisio in Cic. Tusc. 4, 29, 63. ipso Wolfio approbante et in Hirt. B. Afr. 72. a Bynkerhoekio in Vlpiano Dig. 7, 1, 17. pr. factae. vid. Wopkens. l. l.

Quod interest inter voc. *porro* et *autem*, cognosci potest in Cic. de Leg. 1, 7, 23. *est igitur — primo homini cum deo rationis societas. Inter quos autem ratio, inter eosdem*

etiam recta ratio communis est. Quae quum sit lex, lege quoque conciliati homines cum diis putandi sumus. Inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est. Quibus autem haec sunt communia, civitatis eiusdem habendi sunt. Per *autem* promovetur ratiocinatio ad aliam conclusionis partem: in *porro* ipsa haec progressio expressa est. Conf. p. Caec. 6, 16.

Ratio, quae inter duas enuntiationes ita coniunctas intercedat, multiplex est. Saepe id, quod in priori generaliter dictum est, in altera ad rem certam refertur, ut Curtius 10, 6, 16. *Alexandrum consultum, cui relinqueret regnum, voluisse optimum deligi, iudicatum autem ab ipso optimum Perdiccam, cui annulum tradidisset.* Ita a regula transitus fit ad exemplnm, ut apud Quinctil. 4, 1, 66. ubi vid. Spalding. et ab universa rei descriptione ad singularum partium expositionem, veluti Cic. Orat. 54, 180. 63, 212. Sed potest etiam a re singulari ad generalem sententiam transiri: ut Curt. 8, 8, 13. *et sane plus habemus quam capimus. insatiabilis autem avaritiae est, adhuc implere velle, quod iam circumfluit.* Saepe componuntur partes ita, ut altera restringi videatur ab altera: at non restringitur hac particula. Cicero quum dicit de Leg. 1, 12, 34. *tum illud effici, quod quibusdam incredibile videatur, sit autem necessarium.* non idem est sensus ac si dixisset *quod quidem incredibile videatur.* Conf. II, 2.

4. Hoc modo per *autem* in continuanda oratione transitur ad aliam rem, aut ad novam sententiam, quae antecedentibus ita opponitur, ut utriusque diversitas animo obiiciatur, et quod ab altera parte appareat, hac distinctione indicetur. Et ut oratio habeat huius distinctionis certam ansam, unum nomen, quod eminet, eligitur et primo loco ponitur, cui adhaereat *autem.* Ita factum est, ut haec particula nectendae orationi inserviret, ne continua cogitationis series et ordo turbaretur aliena re apparente. Quae oppositio sive distinctio saepe non ad intellectum pertinet, sed ad sensum eum, quem nos ab imaginibus nominamus. Oratio enim ipsa constat imaginibus animo obiiciendis, in quibus disponendis et distinguendis usurpantur quaedam particulae eo modo, quo pictores in tabulis adminiculis utuntur, quibus singulae figurae et partes continentur sibique respondent. Atque hoc saepe fit in particula *autem* externa oppositione, quam ad ornatum et perspicuitatem referri licet. Scriptores igitur, qui artem adhibent in componenda oratione, concinnitatem Graecorum exemplo maximo-

pere curant, neque ullam partem abruptam, aut non in unum cum ceteris colligatam, aut non ad alias per oppositionem relatam esse sinunt. Quare, ut constat, frequentissimus particulae usus est in Ciceronis libris philosophicis et rhetoricis, rarior in orationibus et apud Caesarem, rarissimus apud Tacitum, pro cuiusque diverso genere dicendi.

Cic. Acad. 2, 2, 4. *quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et graecis litteris celebrata et latinis. Nos autem illa externa cum multis, haec interiora cum paucis ex ipso saepe cognovimus. Nos* opponitur nulla restrictione antecedentium, sed ex altera tantum parte tamquam novum apponitur. 2, 42, 131. *alii voluptatem finem esse voluerunt —. Voluptatem autem et honestatem finem esse Callipho censuit.* ubi conf. Goerenz. Orat. 5, 18. *insidebat videlicet in eius mente species eloquentiae, quam cernebat animo, re ipsa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio (sic enim fuit) multa et in se et in aliis desiderans, neminem plane, qui recte appellari eloquens posset, videbat.* Dici poterat *et vir acerrimo ingenio*, ut nos Germani solemus: sed *autem* adiecto nomen *viri acerrimo ingenio* lumine distinguitur. Cornel. Nep. Attic. 1, 2. *hic* (pater) *prout ipse amabat litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero — summa suavitas oris* etc.

Etiam interrogationes hanc formam recipiunt. Cic. p. Cluent. 60, 167. *quid umquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? quid autem magnopere Oppianicum metuebat, quum ille verbum omnino in hac ipsa caussa nullum facere potuerit?*

Cicero in iis libris, quibus doctrinam tradidit, rerum demonstratione per continuam ratiocinationem procedente, frequentissime particulam usurpavit, quam huic dictionis generi propriam assignamus. In orationibus praeter quasdam formulas et coniunctionem illam pronominum, rarior est usus, quam rhetores et grammatici veteres existimabant, qui quum elegantiam aliquam observasse sibi visi essent, multos locos interpolaverunt. Veluti in oratione pro Archia particula semel tantum, in oratione pro Ligario ter legitur, et in interrogatione quidem et cum pronomine coniuncta. In Philippicis saepius occurrit, quod nescio an consuetudini oratoris mutatae tribuerim: nam in iis multa reperiuntur, quae Ciceronem senescente aetate philosophicis studiis occupatum fuisse, etiam in dictione

ostendunt. Librariorum sedulitatem in connectenda et fulcienda oratione, quae dissoluta aut non satis apta videretur, nemo magis expertus est quam Livius. Vid. Drakenborch. ad 4, 33, 8. 21, 40, 11. Cornelius Nepos et Suetonius saepissime hanc vocem usurpant in narratione, ubi ad aliam rem se convertunt. Tacito, cuius brevitas externum orationis ornatum repudiat, librarii non uno in loco alienum morem imputaverunt, veluti inepte in German. 2. de quo loco nuper disseruit Schoberus meus. Curtius frequentius posuit *autem* ita, ut *quidem* antecedat, quo acuitur vis pene adversativa.

Gernhardus ad Cic. de Off. 1, 5, 17. „*autem* orationem continuat, ubi res non tam comparandae sunt, quam ordine quodam enumerandae.“ Quae repetit Beierus ad 1, 4, 11. addens continuativam hanc particulam pro *porro*, *praeterea* usurpari. Haec si in explicatione substituimus, particulae tribuimus notionem nimis plenam, neque ipsum ordinem rerum, nisi praecedunt alia vocabula eum significantia, *primum*, *principio*, hac una vocula descriptum videbimus: ea enim tantum rebus distinguendis et in oratione componendis inservit, et ubi animo per plures sententias procedendum est, ad proximam eum traducit.

5. Historicorum proprius usus hic erat, ut *autem* ponerent, ubi in narratione aut res aliqua describenda, aut caussa explicanda esset. Tum saepe continuatur oratio per *sed:* veluti Caes. B. Civ. 3, 9. *oppidum oppugnare instituit. Est autem oppidum et loci natura et colle munitum. Sed celeriter cives romani — sese munierunt.* Philosophi per *autem* ad aliam demonstrationis vel conclusionis partem transeunt, quam paullo post per *sed* et *vero* restringunt aut confirmant. Quare etiam apud hos istae particulae saepe sequuntur: nec desunt critici, qui *autem* per *quidem* explicant.

Exempla, quae Ciceronis quaevis pagina suppeditat, omitto, unumque hoc addo: Cic. de Orat. 1, 16, 70. *est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac pene par.*

Lactant. 3, 16, 4. *bonum est autem recta et honesta praecipere: sed nisi et facias, mendacium est.* Heumannus male mutavit *bonum est quidem.*

6. Plures sententias, adeoque multas una serie per hanc particulam continuari, et alteram ex altera per oppositionem necti posse, id constat exemplo Ciceronis, qui in multis locis ipse ostendit, se necessitati cedere

noluisse. cf. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 8, 1. Progreditur enim per hanc formulam demonstratio, praesertim in rebus ad doctrinam pertinentibus, apprehendens et continens singulas partes, et saepe per gradus quasi adscendens.

In Cic. de Fin. 3, 17, 58. Acad. 1, 10, 36. et alibi ter positum legitur, quater Acad. 1, 10, 36. Bis posito nihil frequentius. vid. Wopkens. Lect. Tull. p. 53. (37.) et 122. (89.) Pomp. Mela Prooem. 2. *dicam autem alias plura et exactius: nunc autem ut quaeque clarissima et strictim.* Abiecerunt particulam critici. Multo minus offendit repetitio in diversa relatione, veluti Cic. de Fin. 1, 18, 61. de quo loco infra dicam. Rarum ex orationibus exemplum est pro Mur. 8, 18. *neque enim quemquam vestrum fugit, quum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus possit obtinere, non eumdem essé ordinem dignitatis et renuntiationis, propterea quod renuntiatio gradus habeat, dignitas autem fit persaepe eadem omnium.*

7. In hac sententiarum continuatione ubi scriptoribus non opus fuit, aut non placuit inserere particulam, nemo desiderabit eam (conf. Ochsner in Eclog. p. 112.): at desiderarunt grammatici in enuntiationibus, quarum alterum membrum oppositionem rectam exhibet, ideoque de ellipsi huius particulae praecepta confecerunt. Vid. Sanct. Minerv. II. p. 340. Bau. Schwartzius in Tursellino, Zumptius in Gramm. n. 781. Sed iure obloquuti sunt Facciolatus in personata Meieri epistola p. ult. et Bauerus. Atque hoc proprium est rectae oppositioni, ut nullo intercedente adminiculo ipsa verba contraria sua vi se reiiciant: veluti Cic. de Senect. 18, 65. *haec morum vitia sunt, non senectutis.* Liv. 22, 51, 4. *vincere scis, Hannibal, victoria uti nescis.* Ita etiam antecedente negatione Cic. p. Mil. 9, 26. *consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse.* Librarii interponere solebant *autem.* Atque in distinctione generum et in partium distributione et in quacumque alia rerum oppositione saepe ipsa verborum structura sufficit, nulla particula adiecta.

Quae Meyerus ad Cic. Orat. 34, 121. affert, non omnia quadrant: nam 37, 128. *quorum alterum est — ad naturas accommodatum, alterum — quo perturbantur animi.* pronomen ipsam praebet iuncturam. In 34, 121. si auctoritate codicum scripsit Lambinus *verba autem aut de ambiguo*, non male fecit. nam Cicero non respuit coniunctionem verborum *autem aut.* vid. infra.

8. In sententiis per *autem* oppositis saepe fit, ut in prosequenda demonstratione non modo idem vocabulum, alia ratione subiecta, iterum ponatur, sed etiam id, quod ab altera parte considerandum, in antecedentibus iam commemoratum sit, atque ex priori sententia posterior prodire videatur: quo in nexu eadem res bis nominatur. Vnde Ramshornius Gramm. p. 541. universum praeceptum hoc tradidit: particulae vim esse unam et propriam, ut notio aliqua ante proposita iterum excipiatur, et eadem cogitatio per aliam sententiam ex altera quidem parte promoveatur. Quod si de certa aliqua specie dictum esset, probari deberet. At ista repetitio eiusdem notionis cum particulae natura oppositiva non minus convenit quam reliqua omnia, neque in istam opinionem, puto, vir doctissimus incidisset, nisi antea originem ex *αὖ*, *rursus*, derivatam sibi informasset. Si quando idem verbum iterum ponendum est, distinguitur per *autem*, utpote ad alteram partem pertinens, ita, ut ab eadem notione nova incipiat cogitatio. Ita saepe etiam res antea nominata, sed propius iam spectata, per *autem* distinctiori declarationi committitur, ubi nos dicimus *aber*.

Cic. in Pis. 38, 94. *admoneri me satis est. Admonebit autem nemo alius nisi rei publicae tempus.* Phil. 11, 10, 24. *nunc quod agitur agamus. Agitur autem, liberine vivamus, an mortem obeamus.*

In oratione vehementius excitata *autem* particula vocabulo iterum posito addit lumen. Quod praesertim fit in exclamatione. Plaut. Mil. 3, 1, 84. *liberae aedes, liber sum autem ego: me uti volo libere.* Merc. 2, 2, 48. vid. p. 563. Pseud. 4, 8, 1. *bene ego illum tetigi, bene autem servos inimicum suum.* Stich. 1, 3, 68. *quot potiones mulsi! quot autem prandia!* Non aliter Epid. 5, 2, 6. *quot illic hodie me exemplis ludificatu'st atque te! ut illic autem exenteravit mihi opes argentarias!* Cic. Tusc. 5, 20, 57. *qua pulchritudine urbem, quibus autem opibus praeditam, servitute oppressam tenuit civitatem.* Graecum usum particulae *δέ* illustrat Matthiae in Gramm. p. 1245. edit. sec.

Dukerus in Liv. 24, 47, 5. legendum esse coniecit: *quam ob noxam Romanorum, quod autem meritum Romanorum — — bellum gererent.* idque recepit Strothius. Similem structuram equidem nusquam reperi: quae Dukerus affert, dissimillima sunt. Sed vid. p. 555.

9. Doctius hoc est praeceptum criticorum: *autem* poni, quando oratio, interposita aliqua sententia per longius breviusve intervallum interrupta, rursus restituenda, et id, quod ante iam nominatum erat, iterum sit commemorandum: quare saepe locum habere post parenthesin. vid. Heusing. et Gernhard. ad Cic. de Off. 1, 23, 79. (2). Bremius ad Cornel. Dion. 3, 3. Goerenz. ad Cic. de Leg. 1, 2, 7. Hoc etiam fit per alias particulas *igitur*, *sed*, *vero*, dum scriptores ad ea respiciunt, quae proxime praecedunt, etiam in parenthesi. cf. Gronov. ad Senec. de Ira 1, 3. Matthiae in Wolfii Analect. 3. p. 11. In verbis enim cum *autem* compositis saepissime conspicimus id, quod superioribus ita opponitur, ut enuntiatio parenthetica, non primaria, continuari videatur: saepe tamen redit etiam oratio ad ea, quae ante parenthesin dicta erant. Quare cohibere debebat Beierus acerbum iudicium ad Cic. de Off. T. 1. p. 184. Nam etiamsi nemo vim oppositivam, quam ille adversativam vocat, negabit, tamen concedendum erit, post parenthesin, quae ab instituta expositione deflexisset, ita rursus excipi superiorem sententiam ab altera parte positam. Graecum usum exposuit Matthiae in Gramm. p. 1247.

Corn. Dion. 3, 3. *eodemque tempore. Philistum historicum Syracusas, hominem amicum non magis tyranno quam tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qui de historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate valuit* etc. Cic. de Fin. 4, 26, 72. *quae dixisti, valere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam graece* προηγμένα: *latine autem producta: sed praeposita aut praecipua malo: sic tolerabilius et mollius: illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed si libet reiectanea.* In his opponuntur Philisto Plato, bonis mala: nec quidquam in oratione mutandum erit, etiam omissis verbis, quae interposita sunt. de Off. 1, 1, 2. *nostra legens — de rebus ipsis utere tuo iudicio (nihil enim impedio), orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorem.*

Cic. de Off. 1, 43, 153. *princepsque omnium virtutum illa sapientia, quam* σοφίαν *Graeci vocant (prudentiam enim, quam Graeci* φρόνησιν, *aliam quamdam intelligimus, quae est rerum expetendarum fugiendarumque scientia) illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum et humanarum scientia.* 1, 23, 79. *omnino illud honestum, quod*

ex animo excelso magnificoque quaerimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus et ita afficiendum est, ut obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando. Honestum autem id, quod exquirimus, totum est positum in animi cura et cogitatione.

10. Parenthesis quum saepe contineat, quod iis, quae ante dicta sunt, adversum ponatur, nectitur ipsa etiam per *autem*, idque fieri adeo potest intra eas sententias, quae aliam ob caussam in se habent hanc particulam. Et quum hac ratione parenthesis particulam sibi propriam vindicet, haec etiam distinctionis quidem caussa ibi additur, ubi non cohaerent membra. Denique vero haec observatio omnia alia sententiarum genera, quae continuam cogitationem aliquo modo interrumpunt, complectitur: qualiacumque enim interposita *autem* simpliciter disterminat. Sed falsum est, quod Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 41. p. 229. tradit, quasi *autem*, quod in aliena sententia praecedit, ipsam parenthesin regat. Haec enim cum illo non cohaeret. Sic etiam Graeci δέ usurpant.

Cic. de Fin. 3, 7, 24. *quae autem nos ut recta aut recte facta dicamus, si placet, (illi autem appellant κατορθώματα) omnes numeros virtutis continent.* ubi vid. Goerenz.

Liv. 6, 1, 10. *in primis foedera et leges (erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges) conquiri, quae compararent, iusserunt.* 7, 41, 8. ubi cf. Drakenborch. 28, 24, 4. 21, 5, 10. ex egregia emendatione Gronovii.

Curtius 4, 6, 2. *Bessum quoque Bactrianorum ducem, quam maximo posset exercitu coacto, descendere ad se iubet. Sunt autem Bactriani inter illas gentes promptissimi —: semperque in armis errant. Sed Bessus suspecta perfidia* etc.

11. „Avtem in rebus enumerandis continuationi sermonis servit, uti *vero*.“ Ita Schwartziüs in Tursellino, eumque plurimi sequuntur, tamquam plures res per *autem* separatae, ad unum tamen genus referantur, sicuti fit in graecis. Rectius id concepit Matthiae ad Cic. p. Mur. 13, 29. particulam usurpari in enumerando, quum plura iam commemorata sint. Nam supponitur *autem* tum, quum oratio per aequales notiones continuata assurgit ad id, quod inter reliqua eminet, aut magis valet, aut praeter alia considerandum est. Id Goerenzius bene observavit, sed nomine exaggerationis non

apto designavit, neque aptis exemplis illustravit ad Cic. de Leg. 1, 17, 47. Comparavit praeterea vir doctissimus vernaculum *ja:* recte quidem, si modo adscensum intelligas.

Cic. p. Mur. 13, 29. *magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, summa autem gratia.* de Nat. d. 2, 22, 58. *primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulcritudo sit.* de Divin. 2, 43. 91. *docet ratio mathematicorum, — luna — quantum absit a proxima Mercurii stella, multo autem longius a Veneris.*

12. Rem diximus per *autem* distingui. Ob hanc caussam locum obtinet in assumptione, in qua et *at* et *atqui* usurpari supra demonstravimus. *Autem* significat proprie: ab altera parte hoc considerandum est. Atque hoc et in sententiis videmus, quibus veritas alicuius propositionis alia re conspicua et concessa confirmatur, et in iis, quae, conficiendae conclusioni servientes, epicheremati addunt alterum membrum, quod propositionem minorem sive mediam vocamus.

Cic. de Off. 1, 29, 104. *ludendi etiam est quidam modus retinendus* etc. *Suppeditant autem et campus noster et studia venandi honesta exempla ludendi.*

Cic. de Fin. 3, 20, 65. *facile intelligitur, nos ad coniunctionem congregationemque hominum et ad naturalem communitatem esse natos. Impellimur autem natura, ut prodesse velimus quam plurimis —. Itaque non facile est invenire, qui quod sciat ipse, non tradat alteri.* Acad. 2, 30. *si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur.* Topic. 14, 56. *aut hoc aut illud: non autem hoc: illud igitur.* Ita se excipiunt *iam vero est — est autem — est igitur* de Leg. 1, 8, 25. de Nat. d. 2, 30, 77. Topic. 2, 9. *ius civile est aequitas constituta iis, qui eiusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: eius autem aequitatis utilis est cognitio: utilis est ergo iuris civilis scientia.*

Tusc. 5, 16, 47. *qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem ipse homo esset, talem eius esse orationem: orationi autem facta similia, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis* etc. *Ex quibus bonorum beatam vitam esse concluditur.*

13. Coerenzius, qui huius vocabuli naturam diligenter perscrutatus est, etiam vim consequutivam ei at-

tribuendam putavit. Vide eum ad Cic. de Fin. 3, 5, 16. p. 329. 3, 17, 58. p. 386. At consequutio in iis locis, quos ille interpretatur, non alia est, quam quae in ratiocinatione per nova argumenta ad extremam conclusionem progreditur. Eam assumptionem recte vocamus. In apodosi vero nullus est huius particulae usus.

Plaut. Stich. 5, 4, 50. *mecum ubi est, tecum est tamen: tecum ubi autem est, mecum ibi autem est: neuter utri invidet.* Corruptionem ipsum metrum prodit. Bothius audacter coniecit: *mecum ibidem est: neutri neuter invidet.* Editiones antiquissimae *tecum autem ubi est, mecum autem ibi est.*

14. Graecum δέ in apodosi poni nunc inter omnes satis constat, et optime expositum est a Buttmanno in Excursu ad Demosth. in Mid. p. 152., latinum *autem* eodem modo usurpari, duo exstiterunt auctores, Goerenzius et Creuzerus, ille ad Cic. de Fin. 3, 18, 59. in consequutione particulam poni affirmans, hic in defendenda scriptura codicis Cic. de Rep. 1, 42. tamquam de regula certa. Goerenzius vero quum addit, *autem etiam* nostro *ferner auch* respondere, nescimus, quo sensu, quove membrorum ordine orationem constituendam censuerit. Quamquam igitur id, quod Graecis placuit, non a natura latinae particulae, adversas res designantis, abhorrebat, tamen non in usum receptum est, nec certa huius dictionis exempla usquam reperiuntur.

Cic. de Fin. 3, 18, 59. *quoniam enim videmus esse quiddam, quod recte factum appellemus: id autem est perfectum officium: erit autem etiam inchoatum.* Bremius recte intellexit, verba *id autem est p. off.* parenthesi contineri, quam quoniam non cognitam habebant, librarii, ut saepe factum est, alterum *autem* inserebant: quo omisso redit totius loci integritas. Hoc probaverunt Lambinus, Ernestius, Beierus ad Cic. Off. Tom. 1. p. 20. et nuper Madvigius in Emendat. p. 142. Cic. de Rep. 1, 42. *si quando aut regi iusto vim populus attulerit, regnove eum spoliavit, aut etiam id quod evenit saepius, optimatium sanguinem gustavit, ac totam rem publicam substravit libidini suae: cave putes autem, mare ullum aut flammam esse tantam, quam non facilius sit sedare quam effrenatam insolentia multitudinem.* Equidem fateor, me nusquam invenisse modum magis perversum, quam quo Creuzerus hunc locum tractavit. Nam descriptis, quas in collectaneis ad voc. *autem* notatas habebat, observationibus prorsus alienis (in quibus Goerenzii notam ad Cic. Acad. p. 176.

affert, quam si ipse legisset, non indice deceptus vidisset, agi ibi de vocabulo *ergo*), quum cognovisset *autem* animi affectum significare, et Goerenzium in explicando vernaculum *ja* adhibuisse, Ciceronis verba reddit: *dann glaube mir ja nicht.* Tale commentum in latino sermone inauditum est, sive usum particulae in apodosi, sive eius collocationem respicias. Verum vidit Heinrichius corrigens *spoliarit — cave putes, aut mare* etc. Nam recte ponitur duplex *aut*, non ob vim augendam, ut viro eximio videtur, sed post verbum *cave*, quod negationem continet. conf. p. 534.

15. In reddenda ratione saepe reperitur *autem*, ubi *enim* exspectaveris: quam ob caussam innumeris in locis ab iis, qui veteres libros ex suo ingenio emendare solebant, et antiquo et recentiore tempore *enim* pro *autem* substitutum est. Sed potest ratio ita apponi, ut non nisi externa specie distinguatur, et alteram novam partem expositionis constituat. Idem fit in vocabulo graeco δέ pro γάρ posito, de quo Hermann. ad Viger. n. 345. b. Conf. Heusing. ad Cic. Off. 1, 8, 1. Goerenz. ad de Leg. 3, 11, 26. Mirum in modum Degenius ad Cic. de Off. 1, 22. particulae vim concludendi assignat, ut *idcirco* significet.

Schefferus in Petron. 48. *autem* esse *enim* notavit. At ibi opponuntur *narra tu mihi — ego autem.* Neque aliter c. 61. extr. ubi *enim* ne admitti quidem potest. Quae si accuratius reputasset, non hunc testem Dronkius excitasset, falsam scripturam in Tacit. Dial. 32, 1. *primum autem*, nescio an provido consilio defensurus. Ibi necessario Rhenanus emendavit *primum enim.* Brissonius in Parerg. p. 402. affert Digest. 44, 3, 10, 1. *quatuor autem anni* etc. Ibi transitur per *autem* ad expositionem rei.

16. Priscianus p. 1170. (18, 21, 172.) graecum δή cum *autem* comparat, affertque Terent. Ad. 4, 2, 39. *id autem angiportum non est pervium:* ubi Terentii exemplaria exhibent *id quidem angiportum:* nec quidquam desiderabimus. Tamen negari non potest, talem vim confirmativam, qua distinctioni quaedam gravitas sive lumen additur, cum indole huius particulae congruere. vid. p. 560. Id magis sensisse, quam sibi persuasum habuisse videtur Beierus ad Cic. de Off. 1, 22, 77. Manifesta res est in interrogatione et in formulis *ecce autem, ast autem*, de quibus deinceps, et in iis locis, ubi *autem — sed* vim verborum *quidem — sed* exprimit. vid. infra.

Plaut. Rud. 3, 4, 22. *hae autem Veneri complacuerunt:* quae si explicaveris *at*, *tamen hae V. c.* non habebis, quo referas. Sensus vero est: hae quidem Veneri complacuerunt: *diese grade*, *diese eben haben der Venus sehr gefallen.* Cic. de Off. 1, 22, 77. *illud autem optimum est*, *in quod invadi solere ab improbis et invidis audio.* i. e. at illud quidem optimum est, *τοῦτο δή.*

Plaut. Rud. 3, 2, 44. *iterum autem imperabo?* ubi correxerunt *haud.* vid. n. 18.

Cic. de Orat. 2, 54, 217. *inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum: — sed qui eius rei rationem quamdam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum, nisi ipsa insulsitas, rideatur.*

18. *Ego autem* saepe ab initio sententiae ita dicitur, ut formula videatur esse simillima verbo *equidem.* At aliquantum differunt, sicuti graeca *ἐγὼ δὲ* et *ἔγωγε.* In *equidem* et *ἔγωγε* dum, qui loquitur, iudicium ad unam personam suam refert, vocabulo maior vis additur, ut sensus exsistat accentu in pronomine gravato, *ich für meinen Theil*, *ich wenigstens*, *ego ex mea parte*, *ego certe.* Sed *ἐγὼ δὲ* et *ego autem* significant *ego ex altera parte:* quod saepe reddi potest *ich auch*, *ego etiam.*

Cic. ad Att. 9, 13. *ita paratus est, ut, etiamsi vincere non possit, quo modo tamen vinci ipse possit, non videam. Ego autem non tam γοητείαν huius timeo quam πειθανάγκην.* ad Fam. 4, 14, 2. *ego autem, si dignitas est bene de republica sentire — obtineo dignitatem meam.* Liv. 21, 18, 6. *ego autem non, privato publicone consilio Saguntum oppugnatum sit, quaerendum censeam, sed* etc. Cic. Orat. 19, 68. *ego autem — licentiam statuo maiorem esse.* Philip. 9, 1, 3. *ego autem sic interpretor sensisse maiores nostros.* Orat. 3, 12. *ego autem et me saepe nova videri dicere intelligo* etc. Demosth. Olynth. 3. p. 28. *ἐγὼ δ' ὅτι μὲν ἐξῆν τῇ πόλει καὶ τὰ αὐτῆς ἔχειν ἀσφαλῶς καὶ Φίλιππον τιμωρήσασθαι, καὶ μάλ' ἀκριβῶς οἶδα.* vid. Erfurdt. ad Soph. Antig. 1181. Liv. 21, 10, 13. olim legebatur *ego autem ita censeo.* sed abest *autem* plerisque codicibus. Tamen bonum est atque elegans.

18. Burmannus ad Petron. 58. diversis exemplis collatis, tradidit particulam *autem* aliquoties apud comicos graviori et concitatae orationi inservire. Et Schützius in Doctr. Particul. p. 105. affectum animi et commotionem notari dicit: cumque multi alii sequuti sunt.

At arctioribus cancellis hunc usum terminare, et ad solam interrogationis formam reducere debebant. In interrogatione enim praeter eos, quos p. 561. et p. 563. et 565. illustravimus modos, enuntiationibus omnis generis communes, potestas particulae competit quintuplex. Atque primum *autem* exprimit quaerentis impetum et vehementiam, sive ea ab admiratione proficiscatur, sive ab indignatione et iracundia, maxime in reprehensione. Graeci dicunt δή, de quo vid. Hoogeven. s. h. v. et δέ. vid. Matthiae Gramm. p. 1245. Westerhov. ad Terent. Eun. 4, 7, 28. Quae extra interrogationem ita gravata supra p. 568. attuli, ex repetitione eiusdem nominis pondus recipiunt.

Plaut. Asin. 3, 3, 126. *quem te autem deum nominem?* i. q. tandem. Terent. Eun. 5, 7, 5. *quid hoc autem'st mali?* Heaut. 2, 3, 10. *quid istuc? quae res te sollicitat autem?* Cic. Acad. 2, 8, 25. *quomodo autem moveri animus ad appetendum potest, si id, quod videtur, non percipitur* etc.? i. e. πῶς δή; ad Fam. 7, 12, 5. *quomodo autem tibi placebit Iovem lapidem iurare, quum scias Iovem iratum esse nemini posse?* nisi hoc loco *autem* ponitur propterea, quod oratio ab universa re convertitur ad personam singularem. vid. Goerenz. ad Acad. 2, 7, 22. ubi tamen enumerationis mentio non erat facienda. Flor. 3, 10, 11. *veni ad Caesarem: quis est autem Caesar?*

Elegans est Guilielmi et Dousae emendatio in Plaut. Men. 5, 2, 71. *num hinc migrasti?* Se. *quem in locum autem, obsecro?* vulgo legebatur *quem in locum aut ob rem.* Apud Terent. Eun. 5, 6, 4. *quid hoc autem est?* interrogat secum loquens Parmeno, qui miratur accedere Pythiam, et Ad. 3, 4, 16. *quid autem?* Demea, qui inscitiam simulans, miratur, se etiam ab Hegione quaeri.

Plaut. Pseud. 1, 3, 70. *metuo credere.* Ps. *Credere autem? eho. an poenitet te, quanto hic fuerit usu?* Terent. Ad. 2, 1, 31. *egone debacchatus sum autem an tu in me?* Plaut. Amph. 1, 3, 41. *pergin' autem?* Terent. Eun. 4, 7, 28. Th. *ego non tangam meam?* Ch. *Tuam autem, furcifer?* „Quod dempto effectu, esset: minime vero tua est. Ita Graeci suo δὲ aliquando utuntur.“ Boecler. in Chrest. Terent. Ruhnkenius id in responsione fieri dicit, quae interrogationis formam induat. At cuicumque interrogationi vehementer pronuntiatae id commune est.

Tum ponitur *autem*, ubi, qui loquutus est, se non recte, aut non satis apte dixisse animadvertens, orationem cohibet atque intendit, et interrogatione ipsum se corrigit. Epanorthosin vocant technici. Sensus est *quid dico?* quod ipsum additur a Livio. Primus observavit Hadr. Cardinalis. Cf. Goclen. Observ. p. 96. Saepe sequitur *immo*, saepe etiam alia verba, quae caussam retractationis exponunt.

Cic. p. Rab. P. 5, 40. *num quis testis Posthumium appellavit? testis autem? num accusator?* Plin. Pan. 28, 1. *alio me vocat numerosa gloria tua. alio autem? quasi vero iam satis veneratus sim* etc. Cic. ad Att. 5, 13. *si intelligis, quam meum sit scire et curare, quid in republica fiat. fiat autem? immo vero etiam quid futurum sit, perscribe ad me omnia.* 6, 2. *quid tandem isti mali in tam tenera insula non fecissent? non fecissent autem? immo quid ante adventum meum non fecerunt?* 7, 1. med.

Liv. 21, 44, 7. *parum est, quod veterrimas provincias meas Siciliam et Sardiniam adimis, etiam Hispanias? et inde cessero, in Africam transcendes. Transcendes autem dico? duos consules huius anni — miserunt.* Ita sanavit locum Gronovius.

Deinde particulae locus datur, quando interrogatione interposita accuratiorem considerationem in rem dictam intendimus.

Cic. in Pis. 37, 91. *nobiles urbes atque plenas fateris ab hostibus esse captas. quibus autem hostibus? nempe iis, qui* etc. quae quomodo ab exemplo Tusc. 4, 2. supra p. 562. allato differant, sponte patet.

Porro duae interrogationes per *autem* ponuntur adversae, ut, quae secundum locum obtinet, alteram tollere videatur, quod alias per *an* exprimitur.

Cic. in Verr. 3, 89, 208. *cur non in media oratione mea consurgitis atque disceditis? Vultis autem istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare. Desinite dubitare, utrum* etc. p. Cluent. 60, 167. *quid umquam Avitus in se admisit, ut hoc tantum ab eo facinus non abhorrere videatur? quid autem magno opere Oppianicum metuebat?*

Denique is, qui aliud opponendo reprehendit eum, qui antea loquutus est, vel se ipsum, hac interrogationis forma utitur.

Plaut. Truc. 3, 2, 27. St. *heu edepol hominem nihili.* As. *anne autem ut soles?* Lambinus recte: an redis ad ingenium

tuum, atque ad mores tuos truculentos? Aul. 5, 11. *iamne autem, ut soles, deludis?* Bacch. 1, 1, 58. *sumne autem nihili, qui nequeam ingenio moderari meo?* Lambinus egregie: „hic succumbit adolescens, victus callida et fallaci meretricis oratione, quod intelligens ipse se reprehendit atque accusat his verbis: nonne ego sum homo nullius pretii, qui nequeam mihi imperare? qui nequeam ingenio meo temperare?" Virgil. Aen. 2, 102. *sed quid ego haec autem nequidquam — evolvo?*

Heindorfius ad Cic. de Nat. d. 1, 43, 121. dixit, in interrogatione post plura alia poni *autem*, (intelligebat enim extremum membrum multiplicis interrogationis) attulitque quatuor locos, quibus emendationem a se factam defenderet. Sed illud, quod verum est, per *autem* diversas res distingui, non a proprietate interrogationis proficiscitur, vid. p. 570. haec autem exempla eam rem, quam Heindorfius demonstraturus erat, non comprobant. Nam in Tusc. 5, 20. *urbs* et *civitas* distinguuntur, vid. p. 568. in Tusc. 4, 2. oppositio fit poetarum et oratorum, vid. p. 562. ad Fam. 7, 13, 5. caussa cernitur in miratione aut in transitu, vid. p. 575. p. Cluent. 60, 167. quamquam plures res per *primum*, *deinde*, *porro* componuntur, verba *intercapedo* et *de integro* per *autem* opponuntur: denique emendatio de Nat. d. 1, 43, 121. *quis autem cultu et religione dignas indicare?* nemo praeferet vulgatae, in qua externus cultus a religione recte disiunguitur per *aut — aut*.

19. De loco, quem part. *autem* in verborum serie obtineat, antiqua est observatio Quinctiliani 1, 5, 39. turbato ordine exsistere soloecismum, quo *autem* ab initio enuntiationis ponatur. Id tamen non semper curavit librariorum stupor. vid. Petron. 61. *autem in angustiis.* Rationem vero istius usus in eo conspicimus, quod particula nusquam per se constat, sed semper aliud vocabulum attrahit, et circumclusum secum fert. Et ne comici quidem, sicuti in *enim* passim fecerunt, ab hac regula umquam discesserunt, sed, in quo liberiores videntur fuisse, nomen vi praestantius non semper primo loco posuerunt, nec particulam ei verbo adiunxerunt, in quo fieret oppositio. Haec tamen libertas non tam magna et frequens est, quam critici nostri existimare solent. Nam saepe plura vocabula uno notionis ambitu comprehenduntur, praesertim in interrogatione: saepe etiam duplex est verborum relatio, quam *autem* semel indicat.

Plaut. Cas. Prol. 27. *ratione utuntur, ludis poscunt nemi. nem: secundum ludos reddunt autem nemini.* in his non magis opponuntur verba *reddunt* et *poscunt* quam simul *ludis* et *secundum ludos.* Bacch. 4, 9, 136. *i, fer filio: ego ad forum autem hinc ibo.* Poen. 5, 5, 27. *quid tibi negotii autem est cum istac?* 5, 6, 7. *quid tibi mecum autem?* Terent. Heaut. 2, 3, 10. *quae res te sollicitat autem?*

Plaut. Epid. 3, 3, 39. *ego illic me autem sic assimulabam quasi stolidum.* Capt. 3, 4, 121. *illic servum se assimulabat, hic sese autem liberum.* Cas. 2, 4, 27. *si non impetravit, etiam specula in sortitu est mihi: si sors autem decolassit, gladium faciam culcitam.* Truc. 5, 10. *puero opu'st cibum, opus est matri autem quae puerum lavit.*

Plautus seiunxit, quae vulgo coniunguntur, vocabula *tum autem* Pers. 5, 2, 3. *sin autem* Cas. 2, 4, 28.

Oratoribus certa ratione constitutum erat, ne sedem particulae ultra primi vocabuli propinquitatem removerent. Quare si quid huic adhaeret necessarium, simul comprehenditur eadem notione, nec regulam excedit particula, quae post secundum aut tertium vocabulum unius quidem notionis ponitur. Ita, quod mirati sunt adeo grammatici nonnulli, praepositio nomini adhaeret, et negatio, et verbum auxiliare *esse.* Atque illud decretum, quod Schaeferus ad Plin. Epist. in Praefat. p. 11. proposuit, multi alii probaverunt, in formulis *est autem, est enim* secundum omnium scriptorum communem consuetudinem particulam tertio loco ponendam esse, eosque locos corrigi debere omnes, in quibus ea verbo substantivo praeposita reperiatur, id ipsa ratione sua, non a Schaefero exposita, aliquantum restringitur. Vbi enim verbum *esse* aut cum adiectivo aut cum alio vocabulo in unam notionem coit, tertius locus et quartus pro secundo numerantur. Et Goerenzius ad Cic. de Fin. 2, 7, 21. p. 148. asseverandi vim, quae in his formulis appareat, non tam ex ipsa particula pendere dicit, quam quod verbum substantivum cum pondere praemittatur. Eique assentitur Beierus ad Cic. de Off. 1, 36. p. 269. et recte quidem: repleta enim verbi notione ac forma augetur vis eius. Quare distinguendi sunt ii loci, in quibus *esse* significat *vere esse, exstare:* qui vereor ut multi sint. Aliorum verborum exempla aut nulla reperiuntur, aut rarissima et dubia. In Livii libris nullum invenisse se narrat Drakenborch. ad 6, 17, 3. Ceterum conf. quae in ENIM dicturi sumus.

Sueton. Vesp. 22. *et supra coenam autem.* Cic. de Off. 1, 24, 82. 1, 21, 78.

Cic. de Nat. d. 2, 25, 65 *vinctus est autem a Iove.* de Off. 1, 36, 131. *cavendum est autem.* ut multi codices habent. itemque 1, 39, 140.

Cic. de Leg. 2, 7, 16. *utiles esse autem opiniones has.* Acad. 1, 12, 43. *verum esse autem arbitror.* de Off. 1, 38, 6. *rectum est autem.* Plin. Paneg. 36, 5. *liberum est autem.* Cic. de Off. 1, 34, 13. *nihil est autem, quod tam doceat.* p. Planc. 23, 57. Senec. Ep. 82, 17. *non est autem gloriosum.* Cic. Tusc. 1, 46, 110. *non possum autem dicere:* ubi Bentleius temere coniecit *tamen.*

Cic. Acad. 1, 6, 22. *quaeque ipsa per sese expetenda, aut omnia, aut maxima: ea sunt autem maxima, quae in ipso animo — versantur.* quod est pro *sunt autem ea maxima.* de Fin. 2, 7, 21. *id est autem malum.* ita non male emendavit Goerenzius. Vtroque loco sententia interponitur per parenthesin, quod quidem aliquod momentum affert. Quinctil. 10, 1, 115. olim legebatur: *imitator est autem Atticorum.* quod non displicet Frotschero: at falsum est, quum sensus verborum sit: est re vera imitator. Codices recte exhibent: *imitator autem est A.* Cic. Lael. 21, 79. *digni autem sunt amicitia, quibus in ipsis inest caussa, cur diligantur.* Gernhardus in Addend. p. 278. cum Beiero suspectum habet verbum substantivum, quia acrior vis adiectivi copulam respuat. Immo eam requirit in definitione adiectivum, quod quum per se constet, ne transpositio quidem verborum *digni autem amicitia sunt,* quam Beierus fecit, praeferenda est.

Cic. Brut. 79, 275. *qua de re agitur autem illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, id ubi esset, videbat.* Ita recte interpunctionem constituerunt Orellius et Ellendtius. Verba, quae particulae antecedunt, unam formulae notionem continent. Celsus 7, 27. *non nisi aquam autem bibendam esse manifestius est, quam ut subinde dicendum sit.* Adverbium arctissime cum nomine coniunxit Cic. Orat. 28, 98. *melius ille autem, quem modicum et temperatum voco, si* etc.

In interrogatione ipsae particulae interrogandi praemittuntur quasi in anacrusi, ut vocabulum, quod adest, gravius arsis ictu notatae locum obtineat. Sed non semper voculationis est ratio: etiam sensus verborum mutatur. *Quid est autem, was ist aber,* non maiorem vim habet quam *quid autem est, was aber ist,* sed di-

versum sensum. In illo cogitamus nihil aut nihil aliud esse, in hoc quaerimus de certo genere.

Cic. de Div. 2, 62, 127. *quid inscitius autem est quam mentes mortalium falsis et mendacibus visis concitare?* conf. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 178. p. Cluent. 60, 167. *cur non de integro autem datum?* Terent. Eun. 5, 2, 10. *quid mea autem?* Cic. Philipp. 8, 10, 29. *quod autem est periculum?* Tuscul. 4, 36, 78. *quid est autem se ipsum colligere, nisi* etc.? p. Cluent. 52, 143. *cui ego autem narravi?* In utroque priori vocabulo *cui ego* inest aequalis vis.

Ne quis existimet, me grammaticorum mirabilia decreta ignorasse, Doelekium commemoro, qui in Gramm. p. 134. haec docuit: *autem* non significare *aber* ob locum, quem post aliud vocabulum obtineret, neque, si sententia uno tantum verbo constaret, fieri posse, ut extremo loco poneretur: igiturque dici non posse *stultum consilium, clemens autem.* Talia refutare piget.

II. Restat, ut de particula *autem* cum aliis vocabulis connexa explicemus. Sunt enim nonnulla, quae illi aut respondent ex adverso posita, aut proxime iuncta sunt.

1. Quum particula vim habeat distinguendi et partes designandi, ponitur praemissis vocabulis *primum, principio*, pro *deinde* vel alio vocabulo ordinem rerum significante. Conf. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 28, 9. Sic Graeci πρῶτον μὲν — δέ. Xenophont. Mem. 2, 1, 10. Et potest in extrema sententiae parte adscendere oratio addito vocabulo praestantiae, cui *autem* adhaeret: sicuti *maxime autem.*

Plaut. Pseud. 4, 3, 9. *primum omnium iam hunc comparem metuo meum, ne deserat me atque ad hostis transeat. Metuo autem, ne herus redeat.* Cic. de Off. 1, 14, 44. *primum in eo peccant —. Inest autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi.* ubi vide Mich. Heusinger. et Beierum. de Fin. 1, 6, 17. *principio inquam in physicis* etc. *Epicurus autem* etc. vid. Goerenz. p. 21. Orat. 61, 205. de Nat. d. 2, 22, 58. *primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem ut in eo eximia pulchritudo sit.*

2. Omnes scriptores, praesertim recentiores, *autem* dixerunt praemisso in altera parte *quidem:* ut nos *zwar — aber.* Idque plerumque fit, ubi unus aliquis, cuius res vel sententia, quae potior aut maior videtur, ceteris opponitur. De *ac quidem — autem* vide p. 502.

Cic. de Off. 2, 10, 36. *admirantur igitur communiter illi quidem omnia, quae magna et praeter opinionem suam animadverterunt: separatim autem in singulis* etc. 1, 11, 35. Brut. 30, 115. ad Att. 7, 6. *est illa quidem postulatio opinione valentior: cur autem nunc primum ei resistamus?* Celsus 7, 12, 4. *et plerique quidem, ubi consanuerunt, loquuntur. Ego autem cognovi, qui succisa lingua, — non tamen loquendi facultatem consequutus est.* Curtius 6, 11, 10. 4, 4, 9. conf. p. 566. Tacit. An. 3, 53. *sed illi quidem officio functi sunt, ut ceteros quoque magistratus sua munia explere velim: mihi autem neque honestum silere, neque proloqui expeditum.* 3, 73. *ceteros quidem ad spem proliceret arma sine noxa ponendi: ipsius autem ducis quoquo modo potiretur.* 6, 5. Sueton. Caes. 30. *et praetextum quidem illi civilium armorum hoc fuit: caussas autem alias fuisse opinantur.* Aug. 42.

Cic. Somn. Scip. 3. *quem ubi vidi, equidem vim lacrimarum profudi: ille autem me complexus atque osculans flere prohibebat.*

3. Goerenzius ad Cic. Acad. 2, 2, 4. ita censet: ubi in altera sententia antecedente *sed* ponatur, fere semper sequi *autem*, veluti in illo Cic. loco: *sed quae populari gloria decorari in Lucullo debuerunt, ea fere sunt et graecis litteris celebrata et latinis. Non autem illa externa — cognovimus.* At si quis exempla accuratius consideraverit, ipse videbit, inter utramque particulam nullam intercedere rationem: immo *sed* semper ad superiora spectat. Neque alia est res, quum observamus, saepissime apud Ciceronem quidem ante *autem* praecedere sententiam, quae in se habeat *enim*. Potest enim sententiae, quae argumentum vel caussam declarat, alia ab altera parte opponi. Quomodo *autem* et *sed* se excipiunt, supra p. 566. exposui.

4. Potestate huic particulae propria efficitur formula verborum *si — si autem*, *nisi — si autem*, quod est *si — sin*. Sed dicitur etiam *sin autem* maiori vi, etiam non praegrediente altero *si*.

Plaut. Cist. 1, 1, 69. *si quid est quod doleat, dolet: si autem non est, tamen hoc hic dolet.* Cic. ad Fam. 16, 1, 4. *tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuae fieri possit, nihil me malle quam te esse mecum: si autem intelliges opus esse, te patris convalescendi caussa paullum commorari, nihil me malle quam te valere.*

Plaut. Pers. 4, 1, 5. *si malus aut noquam'st, male res vortunt, quas agit: sin autem frugi'st, eveniunt frugaliter.* Cic. p. Rosc. Am. 43, 126. *si lege, bona quoque lege venisse fateor: sin autem constat contra omnes non modo veteres leges, verum etiam novas occisum esse, bona quo iure — venierint, quaero.* Philip. 5, 12, 34.

Cic. ad Att. 10, 7. *nisi vincit — sin autem vincit.* Alia in SI et NISI. Cic. de Off. 1, 34, 123. *luxuria vero quum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est.* Curt. 7, 11, 22. *Cophan — mittit ad eos, qui moneret, nunc saltem salubrius consilium inirent: sin autem fiducia loci perseverarent, ostendi a tergo iussit, qui ceperant verticem.*

5. Componitur saepe *autem* cum particulis temporis, ut successionis ordo per rem oppositam indicetur. Ita *post autem, porro autem, tum autem, nunc autem. Post autem* et *tum autem* dicuntur apud comicos etiam pro *deinde* in afferendis rei argumentis, vel partibus. In *tum autem* apud Plautum *tum* pene abundat. Ante *nunc autem* praecedunt plerumque sententiae conditionales, ideoque coniunctiones *quando, si,* ut in graecis *εἰ μὲν — νῦν δέ.* Conf. NVNC.

Plaut. Cist. 2, 1, 49. *postea autem quum primo luci cras nisi ambo occidero.*

Plaut. Merc. 2, 1, 95. *credo, non credet pater, si illam matri meae emisse dicam: post autem mihi scelus videtur.* Cas. 1, 39. Men. 5, 2, 84. *ita illa me ab laeva rabiosa femina asservat canis: post autem illic hircus alius.* i. e. *dann aber auf der andern Seite.*

Sallust. Cat. 46, 2. *laetabatur coniuratione patefacta —: porro autem anxius erat* etc. Terent. Ad. 3, 3, 65. *porro autem.* Eun. 3, 5, 63.

Plaut. Aul. 1, 1, 33. *pervigilat noctes totas. tum autem interdius quasi claudus sutor domi sedet totos dies.* Capt. 4, 2, 38. Cist. 1, 5, 25. Cic. de Leg. 1, 5, 15. *in viridi opacaque ripa ambulantes, tum autem residentes.* Plaut. Amph. Prol. 143. *ego has habebo hic usque in petaso pinnulas, tum meo patri autem torulus inerit aureus sub petaso.* i. q. patri autem. Terent. Eun. 2, 3, 11. *dii perdant — me adeo qui restiterim: tum autem, qui hodie me remoratus sim.* Donatus: „*tum autem* pro *et:* duas vult enim caussas esse, cur se ipsum dii perdant.“ Boeclerus explicat *atque adeo:*

quod nimium est. vid. Plaut. Mil. 4, 2, 12. Poen. 4, 2, 60. In Cic. de Off. 1, 3, 9. *tum autem aut anquirunt aut consultant.* nunc legitur, *autem* omisso, *tum aut anquirunt.* Sed codicum scriptura bona et restituenda est. *Tum illud — tum autem ipsa res.* Cic. de Nat. d. 2, 23, 61. ubi Walkerus correxit *tum etiam.* Inscriptio apud Gruter. p. 769, 9. *sermone lepido, tum autem incessu commodo.*

In Plaut. Amph. 3, 2, 13. *quando ego quod feci, factum id Amphitruoni obfuit, atque ille dudum meus amor negotium insonti exhibuit: nunc autem insonti mihi illius ira in hanc et maledicta expetent.* Cic. Tusc. 3, 1, 2. *sunt enim ingeniis nostris semina innata virtutum, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatam vitam natura perduceret. Nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate — versamur.*

Wolfius in Sueton. Calig. 18. coniecit: *scenicos ludos et assidue et varii generis ac multifariam fecit: quondam autem et nocturnos.* pro eo quod vulgo legebatur: *quondam etiam et.* Vellem attulisset alia exempla huius dictionis. Abest *etiam* a codicibus, nec desideramus hanc particulam.

6. Copulantur adversativae particulae cum hac oppositiva apud poetas et comicos: *sed autem*, *at autem.* Bothius ad Plaut. Rud. 376. *sed autem* esse putat ἀλλά τοι: quod significat *at vero*, *attamen.* Observare scilicet debebat *sed autem* tantum in interrogationis ea forma occurrere, qua quis sibi ipse dubitationem excitat, aut aliquam rem factam admiratur cum dubitatione, quomodo ea fieri potuerit. Quare *autem* illud videtur esse, quod supra diximus interrogationi proprium. Neque obstat, quod Plautus *autem* ante *quid* posuit.

Plaut. Rud. 2, 6, 15. *sed autem quid si hanc hinc abstulerit quispiam sacram urnam Veneris?* Truc. 2, 3, 14. *sed quid haec hic autem tamdiu ante aedis stetit?* Terent. Phorm. 4, 2, 11. *sed quid pertimui autem belua?* Virgil. Aen. 2, 101. *sed quid ego haec autem nequidquam ingrata revolvo?*

Cic. in Prognosticis apud Priscian. p. 1170. (18, 21, 172.) *ast autem tenui quae candent lumine phatnae.*

7. Porro adiungitur *autem* particulis copulativis, et quidem ea ratione, qua per *autem* id, quod ab altera parte apparet, designatur. Ita dicitur a comicis *et autem*, *et — et autem.* Posteriore tempore quum particulae significatio magis ad contradictionem traduci coepisset, non coniungebantur *et autem*, nisi ubi *et* ab

initio enuntiationis pro *praeterea* positum sententiae nectendae inserviret: praesertim in formula *et haec autem*. Comparari non potest graecum δέ τε: nam in τέ inest maior vis aequiparandi: *und so aber*, *so aber*. vid. Dissert. II. de particula τέ p. 7. Sed dicunt Graeci καί — δέ. quod Porsonus quidem ad Eur. Orest. 614. negavit, optimo iure defenderunt Schaeferus ad Longum p. 350. et Hermannus ad Viger. n. 345. b. Latinum usum iam Abreschius in Lect. Aristaen. p. 252. contulerat: graecum haud bene explicuit Bremius ad Demosth. Olynth. 3. p. 32. (p. 290. Schaefer.) Terentius peculiari modo dixit *atque adeo autem*.

Plaut. Truc. 4, 3, 64. *solvite istas, agite, abite, tu domum, et tu autem domum.* Lucret. 1, 1008. *quia corpus inani, et quod inane autem est, finiri corpore cogit.* i. e. *und was dagegen leer ist.* Marcianus in Digest. 32, 65, 4. vid. Brisson. Parerg. p. 402.

Plaut. Mil. 4, 4, 13. *facile istuc quidem est, si et illa vult, et ille autem cupit.* Poen. 4, 2, 19. *et adire lubet hominem, et autem nimis eum ausculto libens.* Poen. 4, 2, 105. *nam et hoc nocte consulendum, quod modo concreditum'st, et illud autem inserviendum'st consilium vernaculum.*

Sueton. Aug. 73. *et forensia autem et calcios numquam non intra cubiculum habuit.* Vesp. 32. *et super coenam autem et semper alias communissimus multa ioco transigebat.* Baumgarten-Crusius *autem* interpretatur „*quod iam attinet*, ut in graeco δ'αὖ": quod non intelligo. Gellius 10, 24. *et historiam autem et verbum hoc sumpsit Coelius ex Origine M. Catonis.* Cf. Gifanii Ind. Lucret. p. 19. Burmann. ad Suet. Aug. 73. Sed ne in his exemplis alterum *et* alteri respondere putes, vide Plin. Hist. n. 15, 13, 12. *et haec autem et persica et cerina ac silvestria, ut uvae cadis condita usque ad alia nascentia aetatem sibi prorogant.* Senec. Epist. 58, 12. *et haec autem, quae non sunt, rerum natura complectitur.* Plin. Hist. n. 15, 22, 24. *et haec autem idem Vitellius in Italiam primus intulit eodem tempore.* Scribon. Larg. 70. *et hoc autem ceteris medicamentis saepius fauces et pressius fricare oportet.* Rhodius coniecit *et hoc ut ceteris.* Plin. Hist. n. 16, 27, 50. *et caprifici autem ab adversis foliis nascuntur.* Forcellinus nescio quid mollius in hac dictione animadvertisse se dicit. In Quinctil. 4, 1, 66. bene restituit Spaldingius: *et Demosthenes autem ad Aeschinem orationem in prooemio convertit, et Marcus Tullius.*

Terent. Eun. 5, 4, 42. *atque adeo autem cur non egomet intro eo?* vide p. 505.

8. *Neque vero* in continuata et adscendente negatione saepissime dici, omnibus constat. Rarior forma est *neque autem*, de qua Linacer de Emend. Struct. 1. p. 356. Valla in Elegant. 2, 61. Cellar. in Antibarb. p. 221. in Curis post. p. 383. Borrichius in Vindic. L. L. p. 141. observarunt, etiamsi *non vero* apud classicos scriptores saepe inveniatur, non item usurpari *neque autem*. Quibus auctoribus Noltenius p. 1604. et Kappius in Iensii Collectan. p. 172. tirones monebant, ne hanc inconcinnam dictionem imitarentur. Et Doelekius in Gramm. p. 144. caussam, cur veteres non ita loquuti fuerint, in eo cognovisse sibi videtur, quod *neque* in se habeat reconditum *et*, idque cum *autem* coniungi non possit. Quod non omnino verum esse, ex iis, quae modo exposuimus, intelligitur. Caussam equidem non aliam esse posse video, quam quod oppositionis vis etiam vocabulo *neque* exprimitur, sicuti Graeci non dixerunt οὐδὲ δέ. Quare formula *neque autem* non usurpatur a bonis quidem scriptoribus nisi praecedente altero *neque*, aut alia negatione ita, ut oppositio ex altera parte crescat. Qui pro *neque vero* vel *nec* adhibuerit, praeter Celsum et Senecam et Quinctilianum cognovi neminem: sed illi interposuerunt aliud vocabulum, quo ipsa ratio mutatur.

Plaut. Aul. prol. 30. *illa illum nescit, neque compressam autem pater.*

Lucret. 3, 822. et 5, 367. *nec tamen est ut inane, neque autem corpora desunt.* 6, 780. *nec sunt multa parum tactu vitanda, neque autem aspectu fugienda.* 6, 102. s. Cic. ad Fam. 5, 12, 21. *neque enim tu is es, qui quid sis nescias: neque autem ego sum ita demens, ut* etc. Celsus 7, 9. *neque senile autem corpus, neque quod mali habitus est — huic medicinae idoneum est.* Quinctil. 4, 1, 60. Apulei. Florid. 1, 9. (p. 345. Elm.) *proconsulis autem tabella sententia est, quae semel lecta neque augeri littera una neque autem imminui potest. — Patior et ipse in meis studiis aliquam pro meo captu similitudinem. Nam quodcumque ad vos protuli, exceptum illico et lectum est, nec revocare illud nec autem mutare, nec emendare mihi inde quidquam licet.* Hoc alterum ex Colvii et Salmasii emendatione pro *nec ante*. Dubitari potest, an non recte, ob illud *nec*, quod sequitur.

Plaut. Merc. 2, 3, 85. *litigare nolo ego vos: quam tuam autem accusari fidem, multo edepol, si quid faciendum est, facere damni mavolo.* Acidalius emendavit eleganter *litigare nolo ego vos, neque tuam autem accusari fidem.*

Celsus 2, 17. *neque terrere autem ea res, si tempestiva est, debet: at ante tempus nocet.* 3, 23. *neque sorbitiones autem his aliique molles et faciles cibi, neque caro — convenit.* Lindenius mutavit *his aut alioqui.* Senec. Epist. 89, 6. *nam nec philosophia sine virtute est, nec sine philosophia virtus est. Philosophia studium virtutis est, sed per ipsam virtutem: nec virtus autem esse sine studio sui potest, nec virtutis studium sine ipsa.* Quinctil. 6, 3, 31. *nec accusatorem autem atroci in caussa, nec patronum in miserabili iocantem feret quisquam.* Offendebatur Burmannus particula: cuius rei caussam Spaldingius quaerit in positu. Vtrumque frustra, nec quidquam mutandum est.

9. Quo modo *et — et autem* dicitur, idem transfertur ad vocabula, quae rerum partes significant. Sic *modo — modo autem, tum — tum autem.*

Celsus 5, 28, 14. *modo unum, modo autem plura nascuntur.* Ita omnes editiones antiquae: nunc mutatum legitur *modo autem unum, modo plura.* Cic. de Nat. d. 2, 23, 60. *itaque tum illud, quod erat a deo donatum, nomine ipsius dei nuncupabant —. Tum autem res ipsa, in qua vis inest maior aliqua, sic appellatur.*

10. *Autem etiam* non magis cohaerent, quam aliud quodcumque vocabulum sententiarum. Goerenzius vero ad Cic. de Fin. 1, 18, 61. negat, umquam haec verba componi. Rara quidem reperiuntur exempla ob ingratam, ut videtur, formae similitudinem: tamen non desunt.

Cic. de Fin. 1, 18, 61. *ecce autem alii minuti et angusti —: alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti.* In quo loco nec particula *autem* iterum recurrens, nec quod *etiam* in membris orationis coniungendis sua vi constat, offensionem praebet ullam, neque vero *etiam* tertio loco positum pro *adeo* accipiatur necesse est, ut Goerenzio videbatur: immo verba *alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti* interposita sunt, ut accessionem aliquam indicent, et in voc. *alii*, quod sequitur, nova incipit enumeratio reliquorum generum. 3, 18, 59. *erit autem etiam inchoatum.* ubi Goerenzius de sua sententia decedens defendit librorum scripturam:

eam Lambinus enim depravatam esse putaverat, cui assentiuntur Bremius et Beierus ad Off. Tom. I. p. 20. et Madvigius in Emendat. p. 142. et optime quidem. *Autem* a librariis adiectum videtur, qui recte factis contraria hic dici notandum existimavissent. Ita de Off. 3, 29, 107. eamdem interpolationem meliores libri monstrant. vid. Heusinger. et Beier. ad h. l. Brut. 63, 229. *hoc etiam autem magis probabatur.* Ernestius eiiciendum censuit *autem*, Schützius cum Manutio *etiam:* illud verum videtur: certe scribendum erat *hoc autem etiam magis p.* quod displicet. Cels. 4, 4, 2. *caput autem etiam in lecto sublime habendum est.*

11. Denique ob vim demonstrativam, quae particulae adhaeret in excitanda animi attentione, coniungitur ea cum interiectionibus, et cum verbo *ecce.* Donatus ad Terent. Phorm. 2, 1, 34. *vox est apta his, quae nova et improvisa animo accidunt.* Asconius ad Cic. in Verr. Act. 1, 6, 17. *ecce autem repente* haec notavit: *proprium hoc Ciceronis est in rebus improvisis. Quod cum cura Virgilius et legit et transtulit, ut* (Aen. 2, 203.), *ecce autem gemini a Tenedo.* Quasi quod ex communi omnium consuetudine desumptum erat, uni Ciceroni deberetur. Nec tantum de improvisis usurpatur, verum etiam de rebus magnis et mirabilibus.

Plaut. Amph. 3, 2, 20. *heia autem inimicos!*

Plaut. Men. 5, 2, 34. *ecce autem litigium.* Curc. 1, 2, 41. *ecce autem bibit arcus: pluet credo hercle hodie.* Most. 2, 1, 35. Mil. 2, 2, 48. Most. 3, 1, 131. *ecce autem perii.* 146. *ecce autem iterum nunc quid ego dicam nescio.* Terent. Eun. 2, 3, 6. ubi vid. Ruhnken.

Plaut. Mil. 2, 2, 52. *eccere autem caput nutat.* Pers. 2, 4, 29. Cic. p. Mur. 33, 68. *eccui autem non proditur revertenti?*

Cic. p. Cluent. 5, 14. *ecce autem subitum divortium.* in Verr. 5, 34, 87. *ecce autem repente ebrio Cleomene, esurientibus ceteris nuntiatur piratarum naves esse in portu Edissae.* 4, 6, 148. de Leg. 1, 2, 5. de Rep. 1, 35. *ecce autem maxima voce clamat populus.* Orat. 9, 30. Restituerunt critici in Liv. 7, 35, 10. *ecce autem aliud minus dubium.* ubi vid. Gronov. et Drakenb.

Nusquam legi *age autem*, observavit Laurent. Valla: nec deest caussa: nam promovendi et excitandi conatus non congruit oppositioni, sicuti nostrates haud facile dicunt *wolan dagegen.* conf. p. 211. Graeci usurpant ἄγε δὴ, non ἄγε δέ.

11. Vbi vocabula *autem aut* proxime se attingunt, alterumutrum criticis suspectum videbatur. vid. Goerenz. ad Cic. de Fin. p. 287. At tantum abest, ut librariis haec tribuamus, quae saepius in Ciceronis libris non discrepantia librorum dubia occurrunt, ut ea ad proprietatem huius scriptoris referamus, qui similitudine vocum etiam in aliis delectabatur.

Philip. 12, 9, 23. *si autem aut domi est* etc. de Fin. *nobis autem aut vix.* de Offic. 1, 3, 9. *tum autem aut anquirunt.* ubi Gernhard. eiecit *autem.* De loco Orat. 34, 121. vide supra p. 567.

* Compendiorum similitudo saepissime librarios fefellit, ut *autem* cum aliis nominibus confunderent. Compendium *ā* notavit Drakenb. ad Liv. 2, 26, 12. 21, 40, 11. Ob eamdem caussam saepe excidit post vocalem *a.* vid. Goerenz. ad Cic. Acad. 1. p. 56. de Fin. p. 178. 441. Confunditur saepe *ante.* vid. interpr. ad Plaut. Cas. prol. 8. Drakenb. ad Liv. 6, 17, 3. 27, 35, 7. *aut.* vid. p. 558. *ut.* vid. Tacit. Germ. 2. *aut ut.* Cic. de Leg. 1, 7, 23. Compendium simile est in quibusdam libris verborum *autem*, *enim*, *huius*, de qua re dixit Wunderus in Var. lect. cod. Erfurt. p. 35. 37. conf. Wopkens. Lect. Tull. 90. (64.) Commutaverunt scribae et interpolatores vocabula *item.* vid. Heusing. ad Cic. de Off. 1, 4, 2. 3, 3, 13. *etiam.* Cic. p. Mil. 34, 92. Heusing. ad Off. 1, 39, 8. *tamen.* Cic. de Fin. 3, 17, 58. vid. Goerenz. ad 5, 24. p. 623. *vero.* Cic. de Orat. 2, 1, 1. De particula a librariis temere adiecta dixerunt Cortius ad Plin. Ep. 5, 9, 2. Drakenb. ad Liv. 21, 40, 11. 7, 41, 8. Heusing. et Gernhard. ad Cic. de Off. 1, 31, 7. 3, 29, 14. Goerenz. ad Cic. Acad. 2. 76. 143. p. 237. de Fin. p. 55. 85. 88. 575. Sigonius saepe ita Livium interpolavit. vid. 4, 6, 6. 21, 28, 3.

11.2.26

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU